

R. 12.701 (R. 3663) Dupl.

APPARATUS
LATINI
SERMONIS PER

Topographiam, Chronographiam,
& Prosopographiam,
perque locos communes,
ad Ciceronis normam
exactus.

AUCTORE MELCHIORE
de la Cerda Societatis IESV,
Hispanoquentiae
professore.

AD PHILIPPVM. III.
Hispaniarum, et Indiarum
Principem.

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 30
Tabla
Número 168

Excudebat Rodericus Cabrera.
Anno. 1598.



27 a. 9.
26.

R. 12.705 (R. 3663) Dupl.

APPARATVS
LATINI

SERMONIS PER

Topographiam, Chronographiam,
& Prosopographiam,
perque locos communes,
ad Ciceronis normam
exactus.

AVCTORE MELCHIORE
de la Cerda Societatis IESV,
Hispani eloquentiae
professore.

AD PHILIPPVM. III.
Hispaniarum, et Indiarum
Principem.



HISPALLI.

Excudebat Rodericus Cabrera.
Anno. 1598.



~~27. a. 9.~~

~~26.~~

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala <u>A</u>
Estante <u>39</u>
Tabla _____
Número <u>168</u>

INDEX ALPHABETICVS CAPITVM DVMTAXAT
 Topographiae singulorum. numerus paginam indicat.

Abacus vitreus.	396	Candidati.	42	Canis.	183
Accipiter.	74	Acupitricēs.	361	Canum diversa genera.	184
Adolescentum ornatus.	353	Aedes Marchionis Bellonii.	328	Canis venaticus.	185
Aedes Monetæ.	389	Aedium brevior descriptio.	334	Capra.	186
Aether.	48	Aer.	54	Caprae secunda descriptio.	188
Alburnus.	99	Agnus.	178	Carduelis.	72
Animalia terrestria.	177	Anguilla.	100	Cardui.	189
Anthlia.	139	Anthlia iterum descripta.	165	Carminatores.	370
Aper.	180	Apertiones aedium.	304	Carpentarii.	384
Aprilis.	170	Apoditerium sacrum.	262	Cariophilatus flos.	334
Aqueum caelum.	34	Aquila.	76	Castellana nova.	222
Aranei.	307	Aratrum.	385	Cathedra delata.	92
Arbores diversi generis.	162	Arcus caelestis.	71	Catulus Melitensis.	185
Area aedium.	294	Aries.	179	Caupona.	376
Area hortorum.	158	Augustus.	170	Cella vinaria.	318
Arena.	304	B.		Cervi.	189
Astinus.	179	Baetica.	213	Cithara.	272
		Baetis.	131	Clepsidrae.	419
		Balnearia.	338	Columbaria.	75
		Brassicae.	159	Columbae.	75
		Bibliotheca Complutensis.	440	Columnnae.	329
		Bibliotheca Salmanticaensis.	443	Collis.	142
		Bos.	18	Collegiū Cōplutense maximum.	428
		C.		Collegia Salmanticaensis.	434
		Caelum Empyreum.	20	Concertationes philosophiae, & sa- crae theologiae.	424
		Caelorum undecim ordines.	33	Conchae marinae.	294
		Calathus florum.	173	Conclavia aterna.	325
		Calcei.	362	Conclavia hyemalia.	325
		Calx.	311	Consiliarij Salmanticaensis acade.	461
		Camelus.	83	Coquus.	317
		Caminus.	301	Coquina.	311
				Coriarii.	380.
				Corduba.	238
				Coturnices.	73
				Crepitacula.	279
				Crocodillus.	190
				Crotala.	278
				Cubicula ad supellectilem.	326
				Cubicula hyemalia.	325
				Cubicula aterna.	322
				Cucurbita.	159
				Culcitriae officinae.	377
				Culex.	190
				Cuniculi.	191
				*	Cu-

Cupa. 387	Currus. 384	Fulmen. 65
Cymba. 125	Cymbala. 273	Fulgur, fulmen tonitrus. 65
D		
December. 171	Gallinarius vicus. 368	
Descriptio quid sit. 5	Gallinae. 368. Gallinae ovū. 371	
Descriptionis forma. 6	Gallinae pullos excludentes. 370	
Describendarum rerum genera. 5	Gallus. 371	Glacies. 68
Descriptio ex quibus locis petatur. 5.	Gladius. 382	Gladii ornatus. 383
Disputationes philosophiae. 436	Glutinatores. 398	
Disputationes theologiae. 437	Gradus litterarii. 455	
Diversoria. 372	Gradus itorum litterarii. 55	
Dolia iterum descripta. 386	Grando. 64	Grues. 77
Domus vetustissima. 335	H.	
Domus amplissima. 334	Hircus. 198	Hirūdines. 75
Domus Marchionis Bellonii. 328	Hispalis. 234	Horti. 156
Draco. 191	Horti urbani. herbarum diversa genera. 158	
E		
Elephas. p. 193	Hortorum via amoena. 166	
Empyreum caelum. 20	Horologium. 406	
Equilia. 305	I.	
Equus. 192	Ianuarius. 169	Incēdium. 336
Equus secundo describitur. 307	Incitamenta litterarum. 416	
Equus stratus, ornatusque. 399	Infectores. 370	Inferorū sedes. 476
Eremitoria. 284	Insulae fortunatae. 223	
F		
Fabrica totius mundi. pag. 9	Iocationes scholasticorum. 466	
Fabri Ferrarii. 364	Iter asperum, ac difficile. 74	
Fabri gladiatorum. 382	Iulius. 170	Iumentum. 39
Fasciculus florum. 178	Iumentum iterum. 179	
Februarius. 169	Iunius. 170	Iuppiter. 37
Ficus. 163	L.	
Figuli. 385	Lampreta parvula. 102	
Firmamētū. 34	Lamina. 349	Lanificiū. 387
Flores diversi. 173	Lapides. 302	Lateres. 302
Floribus ornatus calathus. 136	Leo. 199	Lilium. 174
Fons populeti urbani Hispalēsis. 324	Litterarum incitamenta. 416	
Fōtes plateae. 343	Litterarii gradus. 432.	Locusta. 200
Fōs peristylīi. 324	Lucius. 101	Lucus. 152
Forum fructuarium. 344	Ludus elementarius. 410	
Forum intestinarium. 347	Luna. 46	Lupus. 201
Forum panarium. 346	Luscina. 72	
Formica. 198	Lustra-	
Pornax vitrea. 395		
Fortunatae insulae. 223		
Fulones. 378	Fulgur. 64	

Lustratio Cathedralici. 432	Organa pneumatica. 271		
Lynx. 201	Ornatus mulierum. 356		
M.			
Majus. 170	Ornatus gladii. 383		
Malo Granata. 161	Ostrea. 106		
Malus medica. 160	Oves. 203		
Mangones, & alii. 377	Ovum. 371		
Mare sedatum. 90	P.		
Maris tempestas. 102	Palus. 138	Panifex. 433	
Maris quattuor tempestates. 115. & 117. & 118.	Pantherae. 380	Papiliones. 80	
Mars. 38.	Pavimentum subdialia. 327		
Martium. 169	Pavimentum iterum subdialia. 429		
Melopepones. 160	Parietes. 297	Pepones. 159	
Mercurius. 44.	Perpendiculum. 301		
Milvus. 78	Peristylū Hispal. Societatis Iesu. 412		
Mobile primum. 33	Peristylum Cōpluten. academi. 428		
Mons amoenus. 146	Peristylum Salmanti. academi. 428		
Montis asperitas. 147	Phrygiones. 380		
Mundi quattuor corpora. 48	Phoenix. 77	Pictores. 358	
Mures. 202	Piscium diversa genera. 98		
Musica, & ad illam spectantia. 265	Pisces fluviatiles. 99		
Mustela. 203	Pisces palustres. 102		
N.		Pisces marini. 104	
Navigatio secunda. 112	Platea. s. Francisci. 342		
Navis. 119	Pons. 157.	Porticus. 324	
Navis secunda descriptio. 119	Praelectiones Hispal. Societatis Iesu. 412		
Nautica ministeria. 126	Praelectiones Cōplu. academi. 433		
Nebula. 63.	Praelectiones Salman. academi. 445		
Nix. 66	Prooemium auctoris. 1		
Nocturna volatilia. 79	Promotio ad superiores classes. 420		
Noctua. 79	Protopographiae definitio. 7		
Nosodochia. 288	Psittacus. 75	Pruina. 69	
November. 171	Nubes. 61	Pugiones. 383.	
O.		Pulex. 204	
October. 112	Officina auraria. 392	Putei. 140	
Officina ferraria. 364	Officina lignaria. 366	Puteus iterum descriptus. 323	
Officina lignaria. 366	Oliveta. 150.	R	
Operae aedificantium. 320	Operae aedificantium. 320	Ranae. 102	
Operis explanatio. 1	Operis explanatio. 1	Rector Complutēsis academi. 434	
Oppidi vituperatio. 240	Oppidi vituperatio. 240	Rector Salmaticēsis academi. 461	
Oppidi alterius vituperatio. 243	Oppidi alterius vituperatio. 243	Remora. 107	
Oppidum rusticum. 247	Oppidum rusticum. 247	Renuntiationes doctorum. 436	
		Ros. 69.	
		Rosa. 173	
		* 2	
		S4-	

S		Tibiae.	272
Sacellum Regium Hispalense.	260	Tigris.	211
Sacellum Virginis Mariae del Anti- gua.	258	Tinea. 210 Tonitrua.	63
Sacellum. S. Ermenegildi.		Tonitru, fulgur, fulmen.	65
Sanguisuga.	205	Topographia quid sit.	6
Sardinia. 104 Sata.	151	Torrentes.	138
Saturnus. 36 Scalae.	300	Triremes. ::	124
Scalae iterum.	324	Tuba.	276
Scholae Hispalenses Societatis Ie- su.	411	Tympanum.	279
September.		Tympanum parvum.	280
Sepia. 105 Serpens.	205	Tympana. ibidem.	
Somalia.	278	Typographia.	400
Splendor Scholasticorū Salmanticensium.	463	V.	
Studia grammaticae Sociorum Ie- su.	412	Vallis.	149
Studia rethoricae.	413	Venatio cuniculorum, & leporū.	153
Studia philosophiae, & sacrae theo- logiae.	424	Venatio cervorum, & aprorum.	155
Suffragationes.	450	Venus.	43
Sus.	208	Vervex.	211
T.		Vespertilio.	80
Taberna libraria.	397	Verna cubicula.	322
Taberna vinaria.	386	Vestitus hominum usitatus.	356
Taberna Sartoria.	349	Vestitus clericorum.	355
Taberna sutoria. 362 Taurus.	208	Vestitus adolescentum.	353
Duorum pugna Taurorum.	209	Vestitus mulierum.	356
Tecta.	298	Via hortorum amoena.	166
Templa communia.	282	Via aspera.	174
Templum maximum Hispalense.	248	Viae urbanae.	341
Templum idem iterum.	256	Vinea.	164
Teredo.	209	Viridaria.	167
Terra.	141	Viridarii altera descriptio.	173
Testudo.	107	Volatilia.	72
Thunmus.	108	Vrbes.	228
		Vrsus.	211
		Vtricusulus.	277
		Vulpes.	212
		X.	
		Xiphias.	106

Finis Tabulae.



POR quanto por parte de vos Melchior dela Cerda, dela cõ-
 ppañia de Iesus. Nos fue fecha relacion dixiendo, que vos con
 mucho estudio y trabajo, aviades hecho un libro intitulado
 Apparatus Latini Sermonis: &c. Y por ser obra que otro nin-
 guño hasta agora la avia hecho, y os costo mucho trabajo, y
 que era muy necesario para los estudios. Nos pedistes y supli-
 castes os mandassemos dar licencia para imprimirlo, y Privilegio por diez a-
 ños, o como la nuestra merced fuessse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, y
 como por su mandado, se hizier on las diligencias que la pregmatica por nos
 ultimamente fecha sobre la impresion de los libros dispone, fue acordado que
 debiamos mandar dar esta nuestra Cedula para vos en la dicha razon y nos
 tuvimos lo por bien. Por la qual os damos licencia y facultad, para que por tiẽ-
 po de diez años primeros siguientes, que corran y se quenten desde el dia de la
 fecha desta nuestra Cedula, vos o la persona que vuestro poder oviere, y no otra
 alguna, podays imprimir y vender el dicho libro que de suso haze mencion, por
 su original que en el nuestro Consejo se vio, que va rubricado y firmado al fin del
 de Pedro Capata del Marmol nuestro Escrivano de Camara de los que en el nue-
 stro Consejo residen. Y con que antes que se venda lo traygays ante nos junta-
 mente con su original para que se vea si la dicha impresion esta conforme a el,
 y traygays se en publica forma, como por Corretor nombrado por nuestro ma-
 dado se vio y corrigio la dicha impresion por su original. Y mandamos al im-
 pressor q̄ ansi imprimiere el dicho libro, no imprima el principio y primer plie-
 go, ni entregueis mas de un solo libro cõ el original, al aytor a cuya costa se im-
 primiere, ni a otra persona alguna para el efecto de la dicha correccion y tassa
 hasta que primero el dicho libro este corregido y tassado por los del nuestro Cõ-
 sejo, y estando fecho, y no de otra manera podays imprimir el dicho principio
 y privilegio, y segundamente ponga esta nuestra cedula, y la aprobacõ que del
 dicho libro se hizo por nuestro mandado, y la Tassa y Erratas, sopena de caer en
 las penas contenidas en las leyes y pregmaticas destes nuestros Reynos que so-
 bre ello disponen. Y mandamos que durante el dicho tiempo de diez años per-
 sona alguna sin vuestra licencia no pueda imprimir ni veder el dicho libro, so-
 pena que el que lo imprimiere, y vendiere, pierda todos los moldes y aparejos q̄
 del dicho libro tuviere, y mas incurra en pena de cinquenta mil maravedis. La
 qual pena sea la tercia parte para la nuestra Camara, y la otra tercia parte pa-
 ra el Iuez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la persona que lo de-
 nunciare. Y mandamos a los del nuestro Consejo Presidẽte y Oydores de las nue-
 stras Audiencias Alcaldes Alguaziles de la mi casa y Corte y Chancillerias, y
 a todos los demas Iuezes y Justicias de todas las Ciudades villas y lugares de
 los nuestros Reynos y señorios, ansi a los que agora son como a los que fueren de

aquí adelante, que guarden y cumplan esta nuestra Cedula fopen: de la nuestra merced y de diez mil maravedis para la nuestra Camara. Dada en el Campillo diez y siete dias del mes de Mayo, de 1597 años.

TO EL REY.

Por mandado del Rey nuestro señor
Don Luys de Salazar.

FRANCISCVS de Quesada Provincialis Societatis IESV, in provincia Baetica, potestate ad id mihi facta a Reverendo admodum Patre Claudio Aquaviva Praeposito nostro Generali, facultatem concedo. ut liber Apparatus Latini sermonis a P. Melchior de la Cerda nostrae Societatis compositus typis mandetur. In quorū Fidem has litteras manu nostra subscriptas, sigilloque nostro munitas dedimus Hispali die 4. Aprilis. Anni 1598.

Franciscus de Quesada.

Approbatio.

REgiū Senatus decreto perlegi librū Apparatus Latini sermonis per Topographiam, Chronographiam, et Prosopographiam. P. Melchioris de la Cerda, e Societate Iesu, in quo nihil inveni, quod pium, et Catholicum lectorem possit offendere: in quo multa sunt, non omnia, quae eloquentiae studiosum, et benedicendi cupidum adolescentem magnopere poterunt adjuvare. Unde merito typis dandum, et excudendum censeo. Madrid die vigesima octava aprilis anno 1597.

Licenciatus Alfonso

de Espinosa.

Tassa.

YO Iuan Gil de Cogollos Escrivano de su Magestad, y official mayor en el officio del secretario Marmol, y por su ausencia doy fe, que los Señores de su Consejo tassaron a tres maravedis cada pliego del Libro intitulado Apparatus Latini sermonis, compuesto por el P. Melchior de la Cerda de la compañía de Iesus. En Madrid a 12 de Março de 1598 años.


Iuan Gil de Cogollos.

Errata sic corrige.

P. 32. post habebimus dele quam. p. 83. flares non lores. p. 118. palimulas non palmites. p. 227. uno autem adde die at lege vesperi. p. 92. ornatae de le e. p. 14. lege frustra, et cum nomen hoc inciderit. pag. 337. lege cubuerunt. p. 343. lege vivere non videre. p. 106. lege crustis, et sic aliis in locis. p. 329. lege coronidem. p. 304. post incurretis adde gerentes. p. 214. adde per ante foros



PH. III. H. P.



PHILIPPO TERTIO,
Archiduci Austriae, Philippi. II.
Regis Cath. Hispaniarū, et In-
diarū Principi potentissimo,
Melchior dela Cerda
salutem, et P.F.

Precatur. •




V A E DVAE RES QVON-
dam, celsissime Princeps, in or-
be terrarum floruerūt maxime,
hae pro nobis facere visae sunt
hoc tempore, ut noster hic liber,
qui Apparatus Latini sermonis
inscribitur, celsitati tuae dicatus
prodiret in publicum, res mili-
taris, et oratoria, quae propriae semper summorū Re-
gum, et maximorum Imperatorum fuerunt: quarum
unam a majoribus tuis, et a parente praecipue, et ab
ayo immortalis memoria dignissimo, Carolo Hispaniarum Rege, et quinto Romanorum Imperatore, al-
terā a patre, Catholico Rege, tradito tibi dignissimo,
sapientissimoque praeceptore, Doctore Garzia Loay-
sa acceptam, utranque a Regibus clarissimis, et Impe-
ratoribus orbis terrarum invictissimis, et ad res prae-
clare gerendas, et ad Imperiorū gubernacula tractan-

da amplexam, retētamque, pro tua nostrorum, et veterum, quibus egregie institutus, imbutusque viges, annalium cognitione ignorare non potes. Ut autem de militari arte dicere desinamus, et de Rhetoricae materia, quod praesens munus est Apparatus nostri, subjiciamus aliquid, si liber ullus est, qui materiā oratoriae facultatis, et ob eam causam rerum omnium, quae infra, supraque Lunā sunt, Latinis verbis, et qua principis eloquētiāe potuimus, dictionis constructione, tantique parentis quadam adumbratione multitudinem, varietatemque tam innumerabilem, et infinitam foras det, et emittat: hic est profecto, qui tuae celsitati suppliciter, et humiliter ab auctore devovetur. Cujus proprium munus fuit nulli rerum generi, quae fingi possent, et excogitari, neque caelestiū, neque humanarum, neque maximarum, neque infimarum, neque togae, militiaeque gestarū, neque cujuscunque generis, ordinis, status, aut fortunae mortaliū ignoscere. Quod si peculiare Principū est, et Regum clarissimorum, qui ad orbem terrarum suis, tanquam Athlantis humeris, sustentandum, cōservandumque contendunt, et enituntur, ut nihil sit in ullo rerum genere, quod perspicue, clareque non intueri cupiant: qui liber tantam operis magnitudinem, et paene infinitatem proponet, is Principum, et Regū potētissimorum augustissima proculdubio, celsissimaque Majestate dignissimus esse videbitur. Accedit illa quoque causa, quod tempora Philippi Catholici, parentis tui, diadema Caroli Imperatoris, res suae praeclare gestae, Parente, avoque tuo regnantibus ad Hispaniarū im-

peria divinitus adjuncta fortuna, tot urbium, tot populorū, tot regnorum opulentissimorum tuae ditioni subditorum, rerum, et profanarum, et sacrarum infinita sylvā, et quasi orbis terrae compendium, et quaedam in Apparatum praesentem collata summa Latinis commendata litteris Hispaniarum, et Indiarum haeredem felicissimum, fortunatissimumque, cū rerum bellicarum, tū Latini candoris appetētem, et admodum scientem Principem potentissimum desiderabat. Cum vero Segurae, magistri mei, Primarii eloquentiae professoris in Academia Complutēsi praeceptiones Rhetoricae in tuo nomine apparuerint in publico, a me tanti praeceptoris, et Turritani, et Matamori Hispalensis, et Ambrosii de Morales, Historiographi Regii, ejusdem academiae luminum, et principum eloquentiae maximorum discipulo, quae desiderari videbantur, et plus ponderis, ac dignitatis habere, tantae facultatis exercitationes Philippo hoc nomine tertio, regnorum, et imperiorum tatorum Principi celsissimo dicari, consecrarique debuerunt. Quare quod Pompeji, quod Caesares, quod Alexandri fecerūt, ut de re bellica non solum, sed de oratoria, quae quondam a militari nunquā disjungebatur, benemeriti viderētur, id tu celsissime Princeps facere nō graveris pro tua summa, singularique benignitate. Si jucundum est hanc elegantissimam mūdi fabricam ipsis oculis intueri, si quae novae quotidie exeunt in lucem, Geographicae diversae, illustresque tabulae, si vestis etiam illa Atheniensium antiquissima, rerum caelestium, et terrestrium multitudine referta,

si Homeri Poëtarum Graecorum Principis Ilias in membranula nucis inclusa, si Aeneae pietate insignis et rebus bellicis arma, si Achillis scutum, in quo caelum, aether, aër, terrae, maria affabre depicta cernebantur, si haec omnia, et horum similia Regum oculis, et manibus dignissima videbantur, debet esse in aliquo pretio, et aestimatione celsitati tuae Apparatus iste, qui terrae situm, maris immensitatem, aëris regionem, aetheris ardorem, et caelorum omnium, atque adeo Empyreï praestantiam, quaeque horum omnium complexu continentur, Latinis litteris cōsignavit: et ut Reges annulum gygis propter rerum multitudinem, diversitatemque, quas in illo intueri possent, non cōtemnerent, tu ipse Princeps celsissime munus Apparatus nostri oblatū minime quidē videberis aspernari. Quid quod Princeps terrarū maximus, litteris Latinis, et Graecis adeo flores egregie institutus, veterū, et nostrorū annalium ita sciēs evasisti, sic omnibus dicendi luminibus ornatus, ut nihil sit, (quod Cic. de Pōpejo Maxi. in oratione Corneliāna dixit) de more, de exēplis, de bellis, de rebus publicis, et nr̄is, et veteribus, quod ubertate, varietate, copia, ornatuque dicendi non possis praecclare satis exprimere? Quid, quod nihil magis Regum erit quam te propriam Regum, et ad summos Imperatores spectantem artem animo, voluntate, munificētia, liberalitateque Regali velle cōplecti? Quae verō facultas Regum Majestate celsissima dignior, quam Regia, et excelsa bene dicendi facultas? cui dialectici, cui Philosophi, cui jurisconsulti, cui reliquarū quōdam


dam artium, et scientiarum alumni humiliter, et fervilem (ut verum loquar) in morem ancillabantur? Id aurea virga Mercurii, id catenula Herculis in monilis aurei intorti, inflexique multipliciter speciem, et similitudinē connexa, id denique Regia sedes, et Imperatoria oratoribus sine cōtentione delata quōdā, semperque demandata confirmabit. Quare, quod celsitati tuae humiliter, suppliciterque devovemus, opus solita benignitate Principum cum exceperis, et Majestate tua dignissimū factū edes: et quantopere cum Christianorum Regum, et Regis Catholici, qui praereliquis terrarum Principibus litterarum praestantiā fovit, ornavit, et evexit, tum veterum Imperatorum de facultate bene dicēdi praecclare meritorum, aemulus, et imitator esse velis, ad omnem saeculorum memoriam posteritati mandatū, testatumque relinques.





PROOEMIUM

AD LECTOREM.



COGITANTI mihi saepe-
numero, & memoria repetenti
lucubrationes, et vigiliis ho-
minú doctissimorú, et eloque-
tissimorum labore de oratoria
facultate susceptas, occurrunt
merita virorú in hac arte prae-
cellentium, qui ad Rhetoricen
ornadam, decoradamque se to-
tos incredibili diligentia contulerunt, in multa dissimili-
tudine rerú, & varietate versata: quae in húc usque diem,
cú magna Rhetoricae alumnorum utilitate, tum immor-
tali nominis gloria cóparata, praeclaris ingeniorum mo-
numentis testata constiterunt. Nec vero necesse est a me
multitudinē, & praestantiam librorú, qui abhinc tot aeta-
tes, et innumerabilia saecula prodierunt in publicum, no-
minari: cum alumni Rhetoricae hos auctores gloriosos, &
illustres satis recordétur, & assidue summa cum rei orato-
riae amplificatione versent. Verum illud satis mirari ne-
queo, ex tam infinito scriptorú numero, qui subsidio cui-

A cum-


cūque materiae Latine scribēdae, quantū in se esset, et tractandae, expoliēdaeque venisset, fuisse neminem. Id quod altius cogitanti, magis, et magis investiganti mihi difficultas venit in mentem, tam immensi operis conficiendi; quae non solum a labore conatus hominum, sed animos etiam a suscipienda cogitatione retardaret. Quotus enim quisque reperietur, qui materiam Rhetoricae tam lōge, lateque patentem, nullis septem finibus, et ad omne rerum genus, quae in hominis mentem, et cogitationem cadere possunt, sine controversia pertinentem, hoc uno vigiliarum, et lucubrationum suarum, praecellēte fructu planam, et testatam litteratorū oculis auderet exponere. Quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minime. At multo officiosior, et de benedicendi facultate magis meritus? neque illius quidem laudis, tot quamquam annos, amplius in hac arte septem et viginti praelegenda, id est, totum fere meae vitae curriculum, in illa tractanda, tradendaque in Hispaniarum Principe Hispalensi civitate posuerim, ut quantum ingenii nobis deesset, labor, et diligētia suppleret, me dignum fuisse putarē. Quamquam enim laudem aliquam mererer; tātum tamen honorem ab instituto procul religiosae demissionis, vel moderationis servādae alienū proculdubio, libenti voluntate repudiaffem. Quae me igitur res praeter caeteros impulit, ut hunc laborem tantum humanis quasi viribus imparem, et multorum, ut par est intueri, annorum suscipiens, hūc Apparatum Latini fermōnis instituerim? quia si quis eorum, quos scimus esse in arte oratoria Doctores, et exquisitos de Hispania, de Lusitania, de tota Italia praeceptores, in quibus summa est cum verborum candore, copia et ornatus, et omnes dicēdi flores et lumina clarissima; hunc a me laborem susceptum, in manus suas sumeret: id quod praetenuitate mei ingenii, praec-

prae mediocri, vel exigua dicendi facultate fieri necesse quidem est, opus inchoatum et rude sui acuminis praestantia, et eloquentiae magnitudine, perficeret, et suis omnibus numeris expletum denuo, et saepius daret in vulgus. Omnium enim rerum, quod de nostro Apparatu libens fateor, principia parva sunt; sed suis progressionibus, et novis indies incrementis augentur. Creverunt Calepini annos multos post aucti; quae Thesauri nomen fortiuntur, volumina saeculis etiam post plurimis in tantam amplitudinem pervenerunt. Quid vero dicam de quibuscunque artibus et disciplinis, quae ab exiguis ortae primordiis, multitudine librorum vigent et florent quotidie magis? Illae duodecim tabularum Leges tot voluminibus excreverunt, quot vix poterant Romanae bibliothecae capere: neque legendis, versandisque permultos annos et saecula sufficerent exiguis contentae finibus vitae mortalis angustiae. Quamobrem id datum est negotii, et curae Treboniano juris cōsulto sapientissimo, totum jus civile dispersum et diffusum ad certam redigendi normam faciliorem, multoque breviorē. Hinc tot leges singulis in Regnis, et Imperiis latioribus, et angustioribus, de jure civili declarando latae sanctiones. Hinc ad leges has explicandas, et ad tollendas juris ambigui controversias declaratio multiplex, et nova exivit, et emanavit in orbis gētium lucem clarissimam. Atque, ut uno verbo concludam, quod de jure civili dicimus, id in quacunque facultate disciplinaeque inceptum, de inde auctum, denique perfectum putatote. Qua propter si noster hic labor nunc primum susceptus a Doctoribus eximia dicēdi facultate praeditis auctus fuerit, et indies magis, magisque locupletatus; nos profecto gaudebimus, vehementerque laetabimur. Quidquid

typis mandandum curaverimus, totum hoc, qualecunque est, quod certe exiguum esse recognoscimus, et palam fateri non verecundamur; hoc ipsum scholasticis commodare volumus; & quod est optandum maxime, ad honorem Immortali Deotribuendum potissimum lucubrationes has, & vigilias pertinere desideramus. Inscriptissimum autem opus istud Apparatum Latini sermonis per Topographiam, & Chronographiam, & Prosopographiam, quoniam multitudinem, & diversitatem cujuscunque generis rerum, his tribus capitibus magis, quam alio modo, rationeque concludi posse, qui de litteris iudicium facere possunt, mihi sine dubitatione concedent omnes. Id quod progressionibus, & transitibus multiplex ad multitudinem tantarum rerum, varietatemque confirmabit. Neque quisquam mirari debet si pisces in maria, aves in aëra, in terras animalia, & in Chronographiam, quae temporum descriptio non ferat, intruserimus: cum propositum nobis fuerit, non solum res, personas, et tempora, sed quae in rebus insunt, locis, & temporibus describere. Quod si quaerat etiam lector, cur sermonis nomine nostrum hunc Apparatum asserimus, non vero linguae; huic, ipsius descriptionis continens sermo, qui solutus, & in formulas loquendi redactus linguam notat, et designat, faciet satis. Quoniam vero in descriptionibus versamur rerum, et temporum, et personarum ad quas tam multiplex congeries, et quasi infinita silva confertur, paucula de Descriptione, de Topographia, nostris exercitationibus praeponemus. Quod idem facere necesse non habebimus, cum ad Chronographiam, et Prosopographiam accesserimus, in hunc locum praeceptiones utriusque conferendo.

QVID

QVID SIT DESCRIPTIO.



DESCRIPTIO, quae variis nominibus appellatur, et in hac a me late patente significatione sumitur, est oratio exprimens rem, aut factum, aut dictum, aut personam, aut affectum, mores, et circumstantias, ita clare et copiose, ut lectori ante oculos ea versetur, veluti quaedam pictura ejus, quod describitur.

VNDE CONFLETUR HAEC
descriptio.

ISTiusmodi descriptio maxime formatur ex adjunctis, quae rem ante oculos statuunt; ut eam quasi cernere videamur. Augetur comparationibus, similibus, dissimilibus, imaginibus, metaphoris, allegoriis, et aliis praeterea figuris, et epithetis, quae rem illustrent.

QVAE RES DESCRIBANTUR.

NIhil tam libens in hac materia dico, quam quod sequitur. Desine mirari bone lector tantam multitudinem, et varietatem descriptionum, quae in apparationis volumine veniunt. Nam hoc est praeceptum primum, et singulare descriptionis nihil esse, quod recte quidem, et ex praedictis argumentis describi non queat. Describuntur enim res, siue careant corpore, siue constant; atque haec, quod de cunquo genere collibitum fuerit Rhetori.

Corpore constant personae ratione praeditae, animalia rationis expertia.

A 3 Quae

Quaecūque etiam corpore caruerint, ut arbores, flumina, montes, Deus, Angelus, iusticia, virtutes reliquae, artes, disciplinae, negotia, pugna, convivium, consilium, fuga, locus, tempora, et similia. Haec describuntur observatis diligenter personarum, et rerum proprietatibus; rebus etiam praecipue circumstantibus. In quibus caput est naturae ordinem servare: et, ut quodque primum antecedit, eidem principem tribuere locum in longiore descriptione.

In brevioribus, res punctis attinguntur, et confertim effunduntur. In huiusmodi enim descriptionibus non opus est ordine: caput enim est, ut in hoc rerum genere praesens quasi negligentia, diligens habeatur studium.

FORMA DESCRIPTIONIS.

Multae sunt, variaeque formae demonstratio nis, quibusque cum vim fere oratoriam omnem tribuerim, non aberrabo. Quae non sunt huiusce primi, sed secundi voluminis. Quae propria sunt praesentis operis, et quorum nominibus praesens Apparatus inscribitur, in Topographiam, Chronographiam, et Prosopographiam dividuntur.

QVID SIT TOPOGRAPHIA.

Topographia est vera, et praecipua locorum descriptio: ut, cum tota loci facies, velut spectanda describitur. Ut regionum, civitatis, areae, templi, domus, collegii, montis, maris, fluminis, fontis, hortorum, paradisi, et caeli Empyrei, et inferorum forma describitur.

QVID

QVID SIT CHRONOGRAPHIA.

Chronographia est temporis descriptio, per ea, quae in tempore, quod describitur, sunt, fiunt, dicuntur; ut descriptio veris, aestatis, autumnus, hiemis. Descriptio Natalis diei Domini, Caroli Magni, direptae civitatis. Sic describuntur tempora pacis, belli, seditionum, monarchiae; quo Imperatore regnante, aut consule rempublicam administrante; simulque ostendimus, quae virtutes, aut quae vitia tunc maxime fuerint. Haec describuntur ex locis, de quibus in descriptione praediximus, res suis coloribus depictas, oculis hominum subjici debere.

QVID SIT PROSOPOGRAPHIA.

Prosopographia est personarum verarum, aut fictarum descriptio, quae sumitur ab adjunctis animi, corporis, et fortunae; quemadmodum Plutarchus, et Suetonius, et Plinius Caesares, et illustres viros describunt.


Personae etiam fictae, et res anima, et corpore carentes, et accidentia describuntur ex his, quae personis, corpore, et animo constantibus conveniunt; ut Deus, Angelus, virtus, iustitia, eloquentia, fama.

Ut autem feliciter describamus, oportet singulas totius corporis partes, notatas habere, atque si fieri possit oculis spectare. Quod si personam tractamus ab aliis jam descriptam, petendum est decorum ab illis, qui tales personas finxerunt, sic Homerus finxit Achille acrem, inexorabile, infensum Regi-

Regibus; rursus Vlyffem vafrum, mendacem, dissimulantem, omnia tolerantem.

Hæc Profopographia complectitur notationem animi, et effictionem corporis. Vtriusque præcepta liber de Exercitatio-
ne demonstrationis ostendit.

(S)



TOPOGRAPHIAE

LIBER PRIMVS

FABRICA TOTIVS

MVNDI.



AGGREDIAR usum definitionis, et ejusdem utiles; ac necessarias exercitationes ab elegantissima hujusce Mundi fabrica; cujus primus a spectus veteres philosophos vehementer conturbavit propter egregiam suam speciem, et efficientiam admirabilem. Quem opifex, et architectus tanti operis unigenam, et singularem procreavit, globosum, et undique aequabilem, parem, atque perfectum, atque absolutum ex absolutis, atque perfectis, dans eidem formam decoram, et maxime sibi cognatam. In quo cernere possumus exemplaria multa, et simulachra sui sempiterni numinis. Quem philosophi nonnulli communem Deorum domum, atque urbem utrorumque dicebant; alii meliorem, quam ullam aliam naturam; alii se sibus, et animo praeditum; Deum etiam animantem, compotem rationis, sapientem, et sempiternum, quibusque quondam plurimum sapientiae tribuebatur, Persarum

B Ma-

Magi, Dei templum appellaverunt, admirati tantae fabricationis consensum, atque convenientiam, cuius conversione saecula omnia videbantur effici. Qui quamquam pulcher adeo, atque praestans procreatus fuerit, ut nihil mundo tanto praestantius fieri posse videatur; tamen qua Deus est infinita virtute, atque potentia, non sexcenta modo millia mundorum, sed mundos innumerabiles, et praestantiores, et pulchriores procreare potuisset. Quamobrem mundi istius, qui seminator est, et educator omnium rerum, quae in se ipso contentae, Dei liberalitate generi mortalium tribuuntur, fabrica, et elegatia mirabilis non adumbrabitur oratione cuiusquam; tantum abest, ut, qua fuerit a Deo facta praestabili venustate, describatur. Caeterum ad id, quod possumus, quando, quod volumus, non poterimus, aspiremus, et intendamus mentis, et oculorum aciem in opus hoc praclarum, atque magnificum, in Mundum scilicet, et in partes eiusdem, in terras, maria, aërem, aethera, caelum, et in horum insignia, luminaque clarissima. Principio igitur quattuor sunt genera corporum, vicissitudine quorum mundi continuata fabricatio est; quae tanta Dei providentia, cum suis partibus ab initio constituta sunt, et omni tempore administrata: ut plane appareat Deum esse effectorem, atque molitorem tanti operis, tantique muneris; qui mundum hunc regat, qui cursus astrorum, qui mutationes temporum, rerum vicissitudines, ordinesque conservet: terras, et maria gubernans hominum commoda, vitasque tueatur. In quo nihil unquam immensa, et infinita saeculorum omnium vetustas mentita fuit, neque a recto, definitoque sibi per auctorem tantarum rerum Deum moderatione defecerit. Ita terra sita est in infimo solo. Mare suis se finibus tenet, illud aër medius consequitur, cui proximus est ille splendidus aetheris ardens, et a terris tanto intervallo disjunctum; extremum, et ultimum omnium caelum. Sed terra locata in hac mundi sede solida, atque globosa, immobilis manens, imis quasi defixa radici-

bus

bus, quam multiplicem habet speciem, atque formam herbarum, arborum, ovium, pecorum, et omnis generis animantium? Quam affert voluptatem oculis, et intimis sensibus, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur? quae fontium gelidae perennitates? qui liquores perlucidi amnium? qui riparum vestitus viridissimi? quae concavae spelucarum altitudines? quae saxorum asperitates? quae montium impendentium magnitudines? immensitatesque camporum? quae reconditae latent terrae visceribus auri argenticque venae? infinitaque vis, et copia omnis generis metallorum, ac marmoris pretiosissimi? quae quoque, et quam varia genera bestiarum, vel cicurum, vel ignimanium? qui volucrum lapsus, atque cantus? qui pecudum passus? quae vita silvestrium? quid jam dicemus de hominum genere, qui quasi cultores terrae constituti, non patiuntur eam neque immanitate belluarum efferari, neque stirpium asperitate vastari: quorumque operibus agri, insulae, littoraque colluceant, distincta rectis, et urbibus: quae sicut animis, sic oculis intueri potuissemus omnia, nemo cuncta prospiciens terrarum spatia, divini numinis providentiam assiduis in caelum laudibus efferre, dies noctesque desisteret. Terram hanc mare universum circumfudit. De cuius pulcritudine quid dicam? quid de multitudine, et varietate insularum? quid de amoenitate orarum, ac littorum? quid de generibus tam disparibus partim submersarum, partim fluitantium, et innatantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhaerentium? Iam vero cum mare undique terram appetes littoribus claudat, quam una ex duabus naturis conflata mirabiliter videtur? Deinde finitimus est aër die, ac nocte. Qui cum sit aliis in regionibus purus, ac tenuis, in aliis propter pleniorum caeli naturam crassus, atque coëcretus, ubi puritas haec est, atque tenuitas caelorum propter salubritatem, et temperationem maximam; ille spiritum continet, et vitam animantium; hoc

aluntur homines; hoc bruta sustentantur; hoc sustinetur volatus avium; hoc frigorum fiunt, calorumque varietates. In hac regione venti efficiuntur huc, et illuc effluentes: sive graves, ac vehementes, sive lenes fuerint, atque suaves. In eadem vapores excitantur, et exhalationes, quae in nubes coactae humores colligunt, et terram hanc ad foecunditatem, et ubertatem suam imbribus, et aquis augent opportunis. Supra circumfusam aëris regionem ab eadem regione venti existentes cursum navigationum dirigunt, velis passis secundissimis: cum flant eo, quo naves solvunt. Cum ventus unus, aut alter se ostendit, hoc in Africa, altero in Hispania protinus existunt aquae necessariae. Adde horum ad solvendum, aliorum ad redeundum opportunos flatus, suavitates odorum, qui afflantur ex vectorum flatu, pestilentiam abactam, morbos depulsos, salutem redditam, denique plurimas alias opportunitates, et commoditates maximas ad vitam, ad fortunas, et opes, ad regnorum statum, et ditionem conservandam. Aëris domicilii propinquior est aetheris regio, qui tenuis est, ac pellucens, et aequabili calore suffusus; qui humorem omnem absorbit, calore ipso dominatum obtinente. Sed neque splendet, nec flagrat, nisi materia concipiens ignem admoveatur: qua confestim deflagraret, et accenderetur, ut fornax; qui proxime successus deflagrare desit, intus adhuc flammam, calore permanente, flammam facile admota materia proculdubio excitaret. Restat caelum ultimum, et a terris editissimum omnia suo complexu cingens atque coercens. Quod non unum, et simplex est corpus, sed multiplex, et undecim caelorum numero factum. Illud, quod mobile appellatur, quanto cum impetu, admirabili celeritate moveri, torquerique scimus suas anniversarias, & quotidianas vicissitudines constantissime conficiens quattuor & viginti horarum decursu? Quo citatior feruntur decem orbis reliqui, quasi rapiditate sua citatissima subditi, & obsequentes. Sed hi, qui voluntur ita decem orbis caelorum, etiam versantur re-

tro atque contrario motu, atque primum mobile; quorum dispares sunt motiones, et dissimiles in spatiis conficiendis, disparque conversio. Nam ut a superioribus ad inferiora suis gradibus in extremum usque orbem omnium infimum Lunae descendam: quamquam primi mobilis tanta sit rapiditas, atque celeritas incitata, ut secum quasi praecipites trahens reliquos orbis caelestes ab ortu in occasum usque, spatio quattuor et viginti horarum convertatur: at illi proximum, quod Firmamentum appellatur, nonum ordine, multis millibus annorum contorquetur. Quod infra nonum est trepidantis nomen habens propter accessus ad polos duos, et ab eisdem recessus ab astrologis animadvertos, cursum suum conficit plurimis etiam annorum millibus. Proximum globum possidet illa stella, quam in terris Saturniam dicimus. Deinde est hominum generi prosper ille, atque salutaris fulgor, qui dicitur Iovis. Tunc rutilus, horribilisque terris, quem Martem appellamus. Deinde infra hanc regionem est Sol dominator, dux, et princeps, et moderator luminum reliquorum, rector mundi, et temperator: quem ut comites consequuntur alter Veneris, alter Mercurii cursus. In infimo orbe radiis Solis accensa Luna convertitur. Quod est infra Lunam, caducum est, atque mortale, praeter animos generi hominum Dei immortalis dono, ac munere datos. Sed in hac caelorum multitudine motus cujuscunque caeli dissimiles, longeque distantes cum admiratione contemplerur. Qui quamquam dissimillima, longioraque intervalla suis peragendis cursibus conficiant, tamen tantam variis cursibus constantiam, tantam in omni conversione convenientiam tuentur, atque conservant, ut ex intervallis imparibus pro rata semper portione distinctis unusquisque orbis caelestis concentus mirificos efficiat. Ecce enim, quae res videbatur causa perturbationis, atque confussionis maxima, cum aliae destellis errantibus antecedant, aliae subsequantur, nunquam non est convenientis, constansque conversio. Cum vero eadem

stellae varietates efficiant in cursu, et aliae longioribus spatiis, aliae brevioribus suum orbem lustrēt, neque superae, neque inferae, neque mediae interjectae summas, aut in finas perturbāt; sed illarū sunt perennes cursus, atque perpetui cū admirabili incredibilique constantia. Atque etiā si pateant, atque videātur, alii lateant, & abscondantur; singularis est ordo, et stabilis cōstasque cōsensio. Sed jam credo vos expectare speciē, & aspectū stellarū, quae ratae, & immutabiles haerent, et infixae sunt in orbe, quem dicimus stelliferum. Quae cum tam infinitis locorum intervallis a terra videantur, et appareant, quippe quae octavum orbem fulgore suo illustrāt, atque distinguunt: cū numero sint infinitae, magnitudine terrae longissimis spatiis majores, aspectu, et forma venustissimae, tam eximio, et illustri splendore collucentes, quid esse potest ad aspectum pulcrius? ad numerum tam infinitum, ad splendorem, ex his, quae sunt in regione terrarum, quod ex aliqua parte cum unaquaque stellarum minima conferatur? Lucifer praenuntius Solis, stella illustris ac per lucida, quā paribus prope spatiis videtur cum Sole commoveri; cum nondum albente caelo, reliquis jam syderibus occultatis, solus appareat in caelo cursum servans, et Solem antegrediens, ortum illius praenuntiat: vespere ad occasum Sole properante, primus nondum reliquis sideribus apparentibus, clarus, et illustris formam caelorum suo fulgore collustrat, discessum Solis, et noctem adventantem praeferebat? Accedat Luna, quae stellarum minima, ultima caelo, citima terris, luce lucet aliena. Quippe quae infimo orbe radiis Solis accensa cōvertitur: et eam lucem, quā accipit a Sole, mittit in terras, Solis annuos cursus spatiis mēstruis cōsequens. Cujus speciem, et formam multum disparem, ac dissimilem videmus, propter luminū suorum varietates ineuntem, mediam, atque plenam, atque ita accrescentem, et decrecentem. Quae dominationem habet, et imperium in universa maria, et illorum fluctus, tanquam magnes ferrum ad se trahit; ut habenas in mari habere videat.

videatur, quas adducat, cum velit, et remittat. Quid enim de fretis, aut de maritimis aestibus magis pervulgatum, quā illorum accessus, et recessus Lunae motu gubernari? quid magis perspectū, quā ejus motu aurā flari suavissimam ac lenissimā, lenitate sua navigantes, et aquas easdem non permulcētem solum, sed etiam expiantem prorsus? Quae proculdubio odore exhalarēt teterrimū, si tāquā in palude coenosa cōclusae corrūperētur. Nihil tā cōmune navigaturis in Indiam, quam aestus accedētes Lunae motu gubernatos, ut solvant, et vela faciant, spectare. Neque in mare solū, sed in alias res humidas Luna dominatur: ut cū luna crescant, pariterque decrescant arbores, vel hiemali tēpore cū luna simul senescentes. Quia tūc exsiccatae sunt, tēpestive caedi putentur. Neque obliviscar perturbationes in corporibus humanis gravissimas existētes nova, vel plena Luna. Atque in suis praecipue defectio nibus: cū ipsa facie pallida, atque tristi, horribili, atq̄ terrificae specie obicitur mortalibus formidāda, magna diminutione luminis, nulla sui ipsius corporis imminutione, neque decessione facta, sed quanta tū facie fuerat; verum propter obscuritatem, quā objectus Telluris attulit, suo intervētū, atque interposito magnam partem lucis eripiens, obscuratur. Nā cū illa e regione Solis facta incurrit in umbrā terrae, quae est meta noctis, eam obscurari necesse est: quemadmodum quando eadem Luna subiecta Soli, atque opposita nostris oculis ejus lumen obscurat. Sed jam ad Solem accessimus, ita dictū, vel quia solus ex omnibus syderibus est tantus, vel quia cū exortus est, obscuratis caeteris syderibus, solus apparet. Qui princeps reliquorum luminū, dux, et moderator omnium, multis partibus major, atq̄ amplior, quā terra universa: cū duabus totius orbis ultimis partibus definiēs motū cursus annuos cōficit: quāto est, et quā illustri candore? quippe qui exortus reliquorum luminū claritatem obscurans, ipsi omnibus terrarū illucet, et tāta magnitudine, ut cūcta sua luce collustrat, atq̄ cōpleat: et cū oculis hominum stare videatur, tanta incitatione fertur

vt celeritas ejus quãta sit, nec cogitari quidem possit, cursus annuos, et diurnos facit. Sed hos spatio quattuor et viginti horarum ab ortu suo in occasum usque, illos cõtrario motu septuaginta et trecentis diebus. Qui sic circumfertur, ut cum accedat ad brumalem, vel solstitialem orbem cõtinuo se referat, neque longius progrediatur. Quem cum oriẽtem, aut cum occidentem videmus, necessarium est vidẽre dissimilem speciem, atque formam terrarum: ut Solis ortu disjectis tenebris, & astris caelestibus absconditis, solus ipse dominari, rerumque potiri putetur. Cum illa, quae atra noctis caligine fuerant obscurata, Solis claritate pateant, et illustrentur: noctis autem interventu, ad pristinas excedente Sole tenebras, omnia recidisse videantur. Cum Sol ortus est, omnia lucent, atque videntur; cum pallido est colore, pallẽt; cum nubibus occultatur, moerent, & contrahuntur. Cum e terris nocte ablatus, tenebrae cõtinuo terris offunduntur, et horrenda caligo. Ita movetur, ut cum terras larga luce compleverit, eadem modo his, modo illis partibus opacet; ejusdemque Solis tum accessus modici, tũ recessus, et frigoris, et caloris modum tẽperat. Circuit enim Solis. 5. defectibus & Lx. & ccc. quarta fere diei parte addita, conversionem conficiunt annuam. Inflectens autem Sol cursum, et ad septentrionem, et ad meridiem aestates, et hiemes efficit; et ea tẽpora, quorum alterum hiemi senescenti adjunctum est, alterum aestati. Ita ex quattuor temporum mutationibus, omnium, quae terra, marique gignuntur, initia, causaeque ducuntur. Vt jam quicumque Solem aspexerit, etiamque ejus magnitudinem, pulcritudinemque, tum efficientiam cognoscat: quod is diem efficit, toto caelo luce diffusa. Cum autẽ terras nox opacat, tum totum cernũt astris distinctum, atque ornatum caelum, Lunae luminum varietatem, tum crescentis, tum senescentis, et astrorum omnium ortus et occasus; quae tum occultantur, tum aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum antecedunt, tum subsequuntur, tum celerius moventur, tum tardius, tum

omnino

omnino ne moventur, sed ad quoddam tẽpus insistent: quorum ex disparibus progressus, et regressus, reliqui motus omnes cursus in omni tempore cõstantes, et recti faciunt admirabilitatem maximam sapientibus viris intuentibus, et alta mente tantam venustatem, et pulcritudinem contemplantibus. Ac nemo quidem tam hebeti ingenio erit, qui nõ intelligat, magno debere affici gaudio sapiẽtum eorundem animos, cum his habitantes, pernoctantesque curis; ut cum totius mundi motus conversio nesque perspexerint, syderaque viderint innumerabilia caelo inhaerentia: cũ ejus ipsius motu congruere certis infixis sedibus, septẽ alia suosque tenere cursus, multum inter se, aut altitudine, aut humilitate, distincta: quorum vagi motus, rata tamen, et certa sui cursus spatia definiant. Atque cum haec duo sint genera syderũ, quorum alterũ spatii immutabilibus, ab ortu ad occasum cõmeans, nullum unquam sui cursus vestigium inflectat, alterum autem continuans conversiones, duas suis spatiiis cursibusque conficiat; ex tanta tamque diversa varietate mundi volubilitas, quae in globosa forma est, et stellarum rotundi ambitus cognoscuntur. Qui cum Lunae Solisque duobus luminibus illustretur, tum terrarum, maris, aëris, aetheris corporibus quattuor maximis, et praestantissimis continetur. Quid si ad pulcerrimam caelorum formam addas, sic ad volubilitatem rotundam, et quasi tornatam, ut cum nihil effici possit rotundius, nihil habeat asperitatis, nihil offensionis, nihil incissum anguli, nihil anfractibus, nihil eminẽs, nihil lacunosum, nihil videri potest praestantius, nihil admirabilius. Iam aptos caelorum motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa, et apta videmus, et admiramur. At nonnulla sunt, quae nos commoyent? quae vehemẽter cõturbant? cum caelum ipsum quod patens, et apertum videri posset, clarum, atque serenum, et diurnam lucem clarissimam efficiens, noctu syderibus pulcerrimis, et splendidissimis, et Lunae luminum varietate, diei tanta Solis astrorum princi-

C pis

pis claritate, terrarum sedes immensa sua luce lustrantis, ornatum, et illustratū aspiciamus; tam subito exhalationibus, et vaporibus, qui partim a Sole ex agris tepefactis, partim ex aquis, et ex ipsa terra excitantur, cū in sublime feruntur, coguntur in nubes, eisdemque nubibus obductum, crassis tenebris, et atra caligine circumfundi; ut lux crepta mortalibus, et sempiterna quaedam nox rebus omnibus offusa videatur: crassiores, et obscuriores tenebrae, quam Aethneorum ignium, quarū eruptione finitimae regiones obscuratae videri non poterant. Ecce enim cum caelum nubibus obductum est, et affectum in vim aquarum, antequam illae aquae vehementes existāt, nubes obscuras, et caliginosas videri, atra forma, et horribili specie, ut stragē, et vastitatem ultimam, terris portendere videantur: vaporem concretum, et in nubem coactum, cum siccitate, quae latet intus inclusa, acriter ac vehementer cōffigere, ut foras se projiciat, ac nubem perumpat, exitum, facta perruptione, reperire cupientem, ac tunc cum nubium conflictu ardor expressus sese emiserit, fulmen horrifico fulgore protinus existere; quod plerūque in sublimē natura sua fertur, deorsum nō ita saepe; ne civitates, et homines, crebris fulminum jactibus percussi deflagraret. Tum fulgura, jactus fulminū extimescere mortales. Et quia cum oculis observantur, aciem perstringunt oculorum, et cū illis, si quae in regionem inferiorem fulmina delabuntur, horrendo tonitru, et quasi ruētis aetheris fragore, ne interitus hominum, aut deflagratio terrarum consequatur, pertimescere. Ita mortales in his tempestatibus vehementissimis, totis artibus ac membris contremiscere, munire se signo sanctissimae Crucis, Sāctorum, Angeli custodis, et Virginis Mariae, et Christi Iesu opem implorare. Quae sunt remedia fulminū avertendorum, ad aquam lustralē, ad agnos, cereos sacros, et ad sanctorum, si quae sunt domi reliquias, et ossa confugere. Et quoniam tempestatē saevire vehementius possunt, nequissimis spiritibus medium aera magis, ac magis, commo-

vén-

ventibus, ac perturbationibus vehemētissime, est illud omnium Ecclesiae cujuscūque cymbalorum commune satis, et singulare refugiū, quibus continuo civitas universa perfonat, ad fugādos, et depellēdos spiritus nequissimos, appositū, et exploratum. Enim vero magnum est illud, et grave malū, sed augebo magis commemorando. Quas homines exhorreat, faces saepe visas, trajectiones stellarū, (quas Graeci cometes, nostri crinatas appellant) magnarum saepe calamitatum praenuntias, ignes accensos, et alia portenta, atque prodigia de caelo nō raro observata, magnos et assiduos, umbres, atque hos saepe lapideos habitos, perniciem, et calamitatem olearum, atque satorum, guttas crassissimas defluentes, nimbos, procellas, turbines, saepe caelo sereno, nescio quibus de causis territos coetus, et societates hominum tonante, et fulgurante Deo, tantam vim saepe magnitudinemque caloris fuisse, ut ardere videantur, non deflagrante domo, parietes, et tecta domestica, urbibus ipsis, atque adeo intra moenia civitatis, intoleranda aestus vi omnia comburente. Sed haec, quae mala videntur numine divino depelluntur; cumque ea existere certis de causis, quas afferūt Astrologi, necessarium sit, quoties evenit, ut in salutem, et utilitatē mortalium convertatur? qui rebus hujuscemodi deterriti redeunt ad se, et meliorem vitae rationē instituere incipiunt. Hactenus igitur de fabricatione mūdi, de quattuor elementis, praecipue de fabrica caelorum; ex quibus omnibus, ita haec tam elegans mundi fabrica coagmetata est, ut eam, qui coagmentaverit solum Deus optimus ac maximus, dissolvere possit.

(i)



in quo vera, et solida gaudia omnium, maxime appetendae voluptates, dignitates, et honores veri, et illorum praecipuum, et immortale deus consistit. Omnium malorum sunt expertes; neque frigora, neque fame, neque morbos, neque insidias inimicorum, neque pericula, neque genus ullum calamitatis metuunt, neque formidabunt unquam, nec futurum ullo tempore certo sciunt. Nullis vitiis infici, nulla deformitate maculari, nec tormentis invidiae convelli possunt; sed procul ab omnibus malis alieni, aeternis praesidiis, et ornamentis, redundantes, immortalis gloria circumfluent, exploratum habent fore se semper, in his maximis voluptatibus, tum in aeternis bonis; quibus nihil affluentiore cogitari queat. Ex quibus illud efficitur, ut liberi sint, et esse debeant immunes, omnibus tributis, et vectigalibus liberati, perfruentes immunitatibus, et praerogativis principum. Omnes enim caelites non equestris solum dignitate sunt, et illustri nobilium honore praediti, sed etiam splendore principum, et celsitate regum clarissimorum, nomine, et honore regum affecti, quodque suam dignitatem regiam, et excelsam illustrat, regum ornamentis decorati. Quanta voluptas erit, videre confessum tot beatorum civium illustrissimum, et singulos aspicere suis infulis, et insignibus ornatos? Complectamur animis nostris confessorum multitudinem, infinitam martyrum copiam, societatem doctorum, coetus virginum, ordinem patriarcharum, vatium divinorum amplitudinem, regum clarissimorum celsitatem, senatum, et summum Apostolorum consilium, innumerabiles alias heroum praecellentissimorum copias, et exercitus, omni militum, et ducum veteranorum genere abundantes, omni caelesti claritate splendentes, et inter eos multitudinem divinorum spirituum, illos, qui ab ardore, et pietate nomina traxerunt, alios, qui principatum, et potestatem habent amplissimam. Supra sedes omnes beatorum, secundam a filio contemplemur Virginem Mariam, et praepotentem tantae reginae filium Christum Iesum, supra matrem suam quo

prae-

praestat ille coetibus universis, immortalitatis splendore circumfusum. Et cum ad solium sanctissimae Triados celsissimum ascenderimus, in tantae maiestatis splendorem, et claritatem intuentes, nihil pulchrius nihil illustrius, nihil magnificentius, neque spectatoribus cunctis, neque immortalis Deo domicilia caelorum sua clarissima luce complenti futurum esse, neque quidquam quacunque insigni specie fuerit excultum, umbram horum caelestium ornamentorum consequi posse reperiemus. Ut qui gloriam hanc omnino simul aspexerit, flagrare statim incipiat incredibili cupiditate, tanquam alter Symeon ab hac saeculi turba, et colluvione discedendi, et in caelorum sedes claras, et illustres continuo migrandi. Nam praeter communem immortalis gloriae splendorem, quo cuncti collucent, et colluebunt in omnem saeculorum memoriam; cum singuli fuerint in suam ordinem coaptati, singuli gradum obtinuerint ordinis, et dignitatis beatorum, ad quam cum meritis Christi Iesu, tum suis virtutibus ascenderunt, quantum imbecillitas ingeniorum nostrorum, et humani pectoris angustiae capere possint, et ex aspectu rerum, quas pulchritudinis insigni specie videmus excultas, odorari valeamus, et investigare meditando, cogitemus illos insigni pulchritudinis aspectu tum immortalis gloria perfructes, expertes jam dolorum omnium, subtilitatis, et agilitatis donis, et muneribus ornatos, per se quidem, singuli Solis splendore clarius fulgentes. Quod si Sol unus sua magnitudine tantam affert lucem orbi terrarum, non duo Soles, sed innumerabiles, et infiniti, gemina luce corporum, et animorum collucentes, quantum ubique caelorum diffundent splendorem, atque claritatem? Denique in sanctissimae Triados oculis, et ore sine satietate, sine fastidio, qua semper incredibili animorum voluptate perfruuntur, acquiescentes; quantis in gaudiis, atque voluptatibus versabuntur? Atque haec communia sunt, cum omnibus unicuique caelorum beatorum. Sed martyres insideant spectatim

in animis vestris, atque imprimis illo, quo caeteri sancti nitentur, et fulgeant splendore beatorum, deinde ornati purpura fulgente, cum diademate, non ex lauro, quae corona fuit olim Romanorum, sed cum diademate margaritis undique fulgentibus illuminato, atque in una manu gerant palmam, in altera insignia cruciatuum, quos pro Christo Iesu, pro auctori domini religione pertulerunt, atque de collo pendeat bulla preciosissima, quae martyrum est insigne fortissimorum. Adde sedem illustri nitore micantem, multo auro, multisque gemmis, radios Solis obscurantem adversos, in qua cum caeteris sui ordinis, et dignitatis heroibus clarissimis, specie confideant, et maiestate visenda: quam proferre velle scribendo temeritatis quidem erit, et non procul abhorrentis ab infamia. Cum multa fuerit accessio facta ex praecipua quadam, et praecellenti gloriae magnitudine, quam gravioribus, et magis exquisitis cruciatibus martyres aliquot sibi comparaverunt. Qui splendor vulnerum Sebastiani? qui nitor sagittarum in toto corpore tam invicti martyris inhaerentium? quid erit videre diaconum illustrem Laurantium cum cratibus in manu, magis splendorem, quam ipsos ignes accensos, eximio flammaram ardore deflagrantes? quid erit intueri Caterinam rosas et liliis coronatam, cum rota acerrimarum multitudinem circumdata novacularum, fracta iam, atque dirupta robore, et magnitudine fidei, spe constantissima, qua freta tamquam in currum, et lecticam deauratam ascendere, tamquam in lectum mollissimum, et suavissimum se ipsam in novaculas acie gladiatorum fulgentes injicere, totumque corpus versandum provolvendumque committere non dubitavit? quid erit intueri novem illos insignes, et egregios adolefcetes Machabaeos, cum fortissima, et invictissima parente, contemnentem mortem, et cruciatum acerbissimos, pro religionis suae mandatis, et praescriptionibus custodiendis? quod monile? qui torquis auro gemmisque distinctus, ad collum Ioannis Baptistae pulcritudine, et splendore suo comparandus? quae purpura aequae

eximio fulgore collucebit. Atque cutis divi Bartolomei, quae principem tantum ferocitas inimicorum exuit, et eam toto divulgavit corpore, nullo unquam non tempore micare videbitur? quid erit cernere corpus Stephani Protomartyris invictissimi, tanquam vestem aliquam splendidam, atque preciosam multis gemmis, multis margaritis sparsam, atque distinctam? vos principes praecellentissimi, et duces religionis nostrae clarissimi, quanto clariores omni luce micanti nitere videbimini, unus gladio fulgenti, alter vexillo Crucis? quae duo fuerunt utriusque victoriae signa reportatae. Tollamus altius oculos in coetus, supra fedes divinarum mentium sublato, quorum aspectu perfundemur incredibiliter exultantes, atque gaudiis omnibus, et laetitibus triumphantes, desipere prope videbimur. Aspiciemus summam praepotentemque caelorum Reginam, quae nunquam sua intermittit claritate nitere. Cujus nitor totam caelorum regionem illustrat, et sua pulcritudine formaque spectatissima, radii collucet ac vibrant splendidissimi. Cujus gloriam admiratur Spiritus caelestes; de cujus dignitate gloriatur mortales. Haec est imperatrix aulae caelorum potentissima; quam cultu speciosissimo videre gaudebis ornatam. Cujus caput stellae clarissimae, radiantibus undique luminibus, ambiunt. Sol corporis ornatum ex omni parte, suorum splendore radiorum, omni luce clariorem reddit. Argenteus Lunae globus, tum cum orbem complevit suum, quam plenissimo lumine, et clarissimo, pedum est calceamentum virginium speciosissimum. Atque cum ita colluceat, et illustratur stellarum fulgore virginis caput, et corpus fulgeat eximio candore Solis, et radiis aciem oculorum perstringentibus, pedes Lunae decorem, et pulcritudinem calcare videantur ac proterere, tum nitent mirandum in modum oculi, in ore, vultuque caelestis claritas emicat. Atque illud in quo Reginae caelorum dignitatem ostentat excelsam, solium regale, quam clarum est, et insigne, et stellarum plenum clarissimarum unde interrarum sola, in genus hominum, in caelestes Spiritus,

dominationem habet amplissimam; cum ad dexteram filii confideat Virgo celsissima ex solii proximi splendore Iesu Christi, propter propinquitatem locorum, mirabili facta lucis accessione, quam Maria de suo tam excelso, tamque claro, tamque illustri loco, inaudita magnitudine claritatem ostendit? Incredibili sane, ac divina laetitiae voluptate perfruemur, inspicientes in Virginem, in praepotentem dominam, in parentem nostram, non jam stimulatam Simeonis praedictionum aculeis, acriter animum ut antea dies, noctesque pungentibus, non jam collachrymantem; et, ut puerum e conspectu amissum quaereret, viciniam, domos, vias, et urbem obeuntes; sed quietam atque pacatam, mira cum tranquillitate, nullo metu jam in posterum filii, quem supra se regali maiestate confidentem aspicit, amittendi; non jam ut filium ex manibus Herodis teterrimi liberaret, magno cum silentio noctis, in mediis tenebris et caligine, a patriis laribus excedentem, et fugientem in Aegyptum; non jam ad Crucem ultimam animi invicta magnitudine stantem, et in filium crucifixum intuente, ut sanguis, quo corpus et Crux ipsius filii profluebat imbuta, guttas exciperet, et secum tanti doloris, et tam luctuosi spectaculi memoriam notis sanguinis impresis consignatam in posterum haberet; non jam audientem vocem missam a filio de Crucis vertice ad suas aures pervenientem, cum tam inaequali, planeque dispari mutatione Ioannem jubebat Christus discipulum in filium tantam dominam accipere; non jam cum lachrymis, et singultibus maximis sub arbore cruetata mittemtem voces plenas doloris, et luctus acerbissimi, deposcetem, et deprecantem mortem, et ad illam se se offerentem, quam ex animo, denique in hunc lugubrem modum lamentantem, si quod cupio, quodque precor, protinus nunc impetrare, ut moreretur fili mi, fili mi Absalon. Finem his omnibus lamentis, et doloribus gloriae comparatae praesens immortalitas attulit; eademque aeternitatem, quaeque audimus, quaeque scimus ornamenta consequuta, cum excelsa Regi-

nae

nae caelorum, a latere filii confidētis dignitate, retinēdi. Quod si Virginis aspectus tanta nostros animos voluptate perfundet, gloriam Iesu Christi infinito intervallo celsiore, sensibus et animis percipere, eadem etiam perfrui, nunquam illam ex aspectu amittere, quid, et quantum habebit voluptatis? O summa bonitas, et infinita Dei providentia, quae ex tantis Iesu suppliciorum acerbitatibus, ex tot tantisque pro genere hominum susceptis dedecoris et ignominiae maculis, tantum decus, et tam illustre honorē, et sempiternam naturae humanae gloriam comparasti! Hoc sine cuiquam credibile fuisset, ut in tanta gloria, et honore putaret fore naturam hominis infimam, et contemtissimam, ex limo et argilla factam? hominem terreno corpore concretum, carnem eiusdem spiritu tam longe inferiorē, ad tantam dignitatem ascensuram, et supra sedes et gradus omnis ordinis, et dignitatis efferendam beatorum metuum? A Virginis folio eminet thronus Iesu Christi regifica specie, et maiestate, a reliquis caeli gradibus in infinitam altitudinem sublatus. Unde cum sceptro, diademate, et ornatu regali, huiusce, quae sub oculos cadit, et quam incolunt beatorum coetus, rerum universitatis gubernacula tractantem, cum imperio summo praesidentem caelitis, moderantem, et ordinem temporum, ac vicissitudines, nobis ipsis non universis solum, sed singulis providentem, cogitare possumus tanta cum celsitate, quantam illum ostendere necessarium est, cui caelites omnes parent, et obediunt, divinae mentes se totas dedunt, et recognoscunt maiestatem infinitam, suum dicunt dominum, atque profitentur, et in eo dant opera, ut voluntatem ipsius, et nutum omnes spectent. Ordines etiam beatorum, turmae equitum, corona confessorum, confessus martyrum, virginum flos, legiones universae, et agmina caelitem innumerabilia suas dignitates, et honores Iesu Christo referunt acceptos, ut de suis quasi sedibus gratificari gestu numquam intermittant; et Sebastiani sagittas, Laurentii crates, Stephani lapides, Ermenegildi coronas, Virgines integritatis lauream, Doctores

D 2 infig-

insignia honoris, Patriarchae suas praefecturas, divinae mentes vacuas sedes malorum ruina Angelorum jam ex magna parte completas, atque complendas omnino, et ob eam causam in antiquam dignitatem restitutas ac vindicatas, omnes denique quotquot caelestibus Hierosolymis, atque adeo intra moenia beatorum continetur, quos assequuti sunt gradus honorum celsissimos, Christi Iesu magis esse, quam suos: et quanquam etiam suo labore, suis virtutibus, tanti regis meritis, ac vulneribus praecipue partes proclamant, et digitis quasi suis, aspectu in Iesum intento, cruciatus et vulnera notant, atque designant; quibus salus, honos, dignitas, opes caelitus, atque illorum, qui saeculorum omnium memoria in caelium numerum coaptabuntur aditus accepti referuntur. Itaque nemo quidem erit, qui cum in aulam caelorum recipiatur, ingrediens, et contendens in suam sedem, post cultum sanctissimae Triadi tributum, non habeat statim Iesu Christo justum ac meritum honorem, protinus in Christum Iesum, in sua vulnera, oculos conjiciens, ipsique propter datum ingressum, propter januam patefactam, habens gratiam humiliter atque demisse, non progrediatur in possessionem sedis accipiendam: unde cantoribus adjunctus caelestibus, concentus, et harmonias divinarum laudum, in omnem aeternitatem prosequatur. At in quae vulnera caelites intuentur? non in illa, quorum cicatrices, ad aspectum deformes et horribiles videantur; non quae sanguinem profunderet, et dolorem aliquem efficeret, si manibus refricarentur, aut attrectarentur solum, sed quae in manibus, in pedibus, in latere nitent, et micant pulcritudine visenda Lunae, siderum, et Solis splendore clarius, de summo vertice, atque adeo de capite Iesu caelesti, radios diffundunt illustres, quorum conspicua claritate collucent, atque nitent spiritus beati: quemadmodum cum albam, et candidam nubem Sol transmittens, auream totam, et suo splendore magis collucentem, et radiis magis ac magis vibrantem, relinquit. Sed jam unius gradus nobis faciendus restat. Ascendamus.

damus in verticem, et in summa juga caelorum. Eminet alius locus altissimus, et in oculis, atque luce clarissima beatorum positus; eo nullus clarior, neque illustrior videri potest. In hoc enim sanctissima Trias tabernaculum suum colendum, et suspiciendum supra reliqua, quae caelitis visenda proponuntur, qualis, ac quantus tantam majestatem decet, splendore clarissimo collocavit; non in hanc speciem, atque figuram, qua vulgo pictores in tabulis effingunt, ut in habitum, atque figuram senis, Patrem augustissima celsissimaque praesentia sui numinis suspiciendum ostendunt, barba longiore, cultuque precioso, ut benedictionem impertiri videatur, et omnibus commodis, et emolumentis explere terrarum orbem universum, principium, et originem, unde nobis omnia bona ducantur, atque proficiantur ad hujus rerum universitatis conservationem, et amplificationem maximam, & Filium pro peccatore palam propositum, in sinu complexuque patris acquiescentem, inflorem, et in pulcritudine juvenili conspicuum, atque ipsum Spiritum divinum, in similitudinem albæ columbae, diffundentem radios circumcirca micantes. Haec enim species, et adumbratio, eo pertinet, ut ex hac societate, conjunctioneque personarum, et unam esse naturam divinam profiteamur, triplici hypostasi perfecta, Patre, Filio, et Spiritu sancto, sine ulla divisione consistentem; ut quia non est una hypostasis, non sit solitarius; quia vero eadem est trinae hypostasis natura, unus tantum sit, et nominetur Deus: quæ hac ratione trinum, et unum palam profitetur, et colit mater Ecclesiae, neque unum antiquiorem altero, sed eadem aeternitate, quae majestatem divinam praedicat, tres personas praeditas, nullo principio saeculorum circumscriptas, aut locorum, aut temporum finibus terminatas: sed ab ipsa aeternitate, quæ nulla saeculorum circumscriptio metitur, semper Triadem sanctissimam consistentem, hac admirabili, quam praediximus societate conjunctam. In qua majestate describenda, quoniam in illius aspectu, gloria beatorum consistit, nihil ita dicam.

to scio, tam amplum, atque magnificum, tam regium, et excelsum, tam divinum atque caeleste, quod non infinitis partibus, infra tantam celsitatem esse fatear. Sed aliquid dicendum, de tanta rerum infinitate, quae nullis limitibus coerceri potest. Atque illud ad institutum facit, quod Simonides Hiero Tyranno respondisse fertur; qui cupidus majestatis divinae notitiam habendi aliquam, cum ab illo, quis, et qualis esset Deus, se velle scire, et discere dixisset, cogitandi spatium petiit. (quantum autem temporis si quaeratis,) primo diem unum, postridie alterum, denique tertium, et plures dies, quibus Tyrannum trahebat. Quem cum instantem, et urgentem philosophus novo dierum spatio produceret, nec tot retro dies, quos ad deliberationem adhibuerat, semper numerum dierum duplicans quicquam certi responderet, rationem a Rege facti rogatus, quia, quanto (inquit) diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior. Praeclarum sane responsum, et homine sapiente dignum. Sed quanto sibi res videretur obscurior, si fidei nostrae particeps fuisset? quanto diutius de majestate tanta cogitant homines sapientissimi, tanto magnitudine maris istius immensi, atque profundi obruuntur, unde emergere non possunt, tam difficilem aditum, et adeo recessus obscurissimos contemplantur, ut ingressi semel exitum non reperiant, atque obstupefacti haereant, et attoniti nihil aliud se facere posse confirmant, nisi profiteri majestatem, amplitudinem, celsitatem, nullis finibus neque terminis contentam. Vident esse praestantissimam quandam, et praecellentissimam naturam, pulcherrimum, et gloriosissimum spiritum, neque ab ullo ductum initio, neque sine circumscriptum, sed fontem perennem, et inexhaustum rerum omnium, gloriosissimum semper, et beatissimum, aeternum et immortalem, et sua semper aeternitate, sua virtute, potentia, gloria gaudentem, solidis, et aeternis voluptatibus perfruentem, omnibus

sapient


sapientiae, justitiae, misericordiae, reliquarum virtutum donis, ac muneribus redundantem, ita circumfluentem bonis omnibus, et omnibus absolutum atque perfectum numeris, ut nihil affluentius, nihil perfectius cogitari possit. Omnem enim omnium rerum perfectionem, omnem hominum, et eorum, quae creata sunt, omnem abolutionem, maculis omnibus, et quibuscunque minimis offensionibus detractis, in tanto domino, rerumque universarum creatore reperiemus. Qui cum his omnibus bonorum generibus ex omni parte sit omnino cumulatus, et expletus, tum suo aspectu pulcherrimo reficit, ac delectat, detinet, et pascit sine satietate beatorum mentes, et spiritus caelorum praecellentissimos. Qui noctes, et dies in tantam majestatem intueri non intermittunt, et quo magis ac magis spectant, eo magis ac magis mentes, tanti boni visendi cupiditate, et in illius aspectu semper acquiescendi desiderio flagrant, neque satiantur, neque satiari possunt: et cum expleantur omnino, magis ac magis, se ipsas explere desiderant, neque faciunt, neque facient unquam finem in omnem saeculorum memoriam suos animos explendi. Ita quidem nihil est, ex omni genere rerum, quae infra supraque Lunam continentur, quod non in praestanti divinaque natura, summa cum animorum voluptate, gaudiis omnibus, et laetitias affecti percipimus plane, et perspicue, adeo summa cum perspicuitate, ut ipsa majestas divina per se, quae voluerimus, quaeque concupierimus, qua natura sunt, et forma praedita, nobis omnia bonorum genera indicatura sit, et palam magis, quam in claro lumine visenda demonstratura. Quod adeo perspicuum est, et constat inter Theologos, ut me ipsum, et ipsum Deum, et omnium, quae velit, quaeque appetat animus, tanquam in speculo valde fulgente visurus sit, penitusque perspecturus. Vitra sunt quaedam nitida atque perlucida, hac specie, et natura praedita,

D 4 ut

ut cum sumatur in manus nostras, et oculis propius admoveantur, quanquam simplicia videantur ad speciem, et unodumtaxat colore, tamen hanc vim habet a natura insitam, ut in rerum omnium quamcunque formam simplicem, aut compositam, sed uno dumtaxat colore multitudinem, et varietatem colorum imprimat, et quasi variis coloribus pictam, atque distinctam, atque ita notatam, et sparsam rubro, viridi, pallidoque colore visendam oculis, cum admiratione proponat. Neque in his varietates solum has, diversitatesque colorum, sed ipsum vitrum, atque nos ipsos, quasi sumus facie, quibus lineamētis, videbimus. Quo vitro de medio sublato, simplex, aut compositum specie sua, aut colore videtur, et apparet: Sed ad aliquid investigandum pulcritudinis, potestatis, sapientiae, cunctorum sempiterni numinis ornamentorum, certe quantum imbecillitas nostra patietur, interim dum post mortem aperte, atque dilucide datur in caelo tantae majestatis oculos, et ora cernere, ex tanta molitione rerum, et fabricatione mundi admirabili, aliquam opificis, et creatoris Dei notitiam habebimus: quam, si nobis liberum fuisset, omnibus impedimentis amotis, nullo rerum oppositu, qui liberum aspectum oculorum, vagantem, et circumvolitantem, quacunque collibitum esset, immensam hanc, et in omnes partes interminatam, totius universitatis regionem prospicere, contineret, ac reprimeret, quam facile illius pulcritudinem, et elegantiam, in omni tempore constantiam, tantos concentus, et harmonias admirabiles, ad perfectionem naturae divinae, quae rerum omnium dona, et munera, cum summa absolutectione complectitur, revocabimus, et omnia, tenuem quandam umbram ad amplitudinem, et splendorem Dei, ad suam gloriam caelestem, et immortalem nobiscum animo reputantes, et dies, et noctes cogitantes ad tantum decus, et excellentiam, magis in dies exardescemus, ad animorum voluptates, quas corpus particeps laborum capiat, iucunditates adjungentes. Quod cum animo bonis erit sempiternis cumulandum, et omnes

corporis sensus, suas praecipuas, et singulares voluptates specieatim accipiet. Nam oculi novam caelorum lucem aspicient Solis radiis illustriores collustrates aspectu suo, regia beatorum palatia, tot beatorum corporum gloriam immortalem, sempiternae majestatis splendorem, iucunditates, et amoenitates, suavitates, et delicias Sanctorum universas. In aures influent cantus dulcissimi, quorum audita vox una, mentes, et animos cunctorum hominum sua incredibili suavitate consopiret. Odoratus sentiet suavitatem odorum, qui afflantur suavissimi, pro proportione, naturaque rerum caelestium. Gustatus non ad vitam sustentandam, sed ad gloriae numeros explendos, eximia cum caeteris sensibus dulcedine commovebitur. Nullus sensus, nulla pars corporis, veras, & solidas non hauriet voluptates, atque illas non ad exigui temporis curriculum, sed, quoniam in caelorum sedibus nihil non est aeternum, ad aeternitatis memoriam infinitam.

PRIMUM MOBILE.

 OST Empyrei caeli descriptionem, sequitur, ut sigillatim reliquos orbes inferiores breviter perstringamus. Supra quos se se effert Primum Mobile, illustriore dignitate clarum; quippe quod in magis edito, et excelso loco positum emineat. Cujus motus rapidos, et incitados vel ex eo cognoscemus, quod admiranda cum celeritate secum trahit convertitque reliquos inferiores globos, quattuor et viginti non amplius horis. Itaque supra caeteros orbes caelestes imperium, et dominationem habere visum est, cui parent omnes, et tanquam dominum praepotentem sequatur. Quin aether, et aer, in istius caeli ditione videntur esse; id quod cometae facile generi mortalium, ut inficias ire nemo possit, ante oculos statuunt.

CAELVM hoc Ptolomaeus primum Mobile appellat. Rex hoc nomine defonfus Secundum Mobile constituit. Sed totum istud, de communi philosophorum, et astrologorum consensione nullis stellis distinctum est, aut illuminatum, sed totum candidum, et pellucidum, ad crystalli specie, et similitudinem. quippe quod candore suo pelluceat, et prae natura huiusmodi pellucenti, nomine crystalli eximia claritate fulgētis sortiatur. Cum aquae istius circuli tenues admodum sint, clarae per se, ac nitidae splendeant, et tāquam crystallus pellucens, quascunque formas, et imagines reddere possunt ad speculorum eximio splendore fulgentium rationem, et ad rivulorum perlucidis aquis defluentium similitudinem; in quibus formam hominis, oris dignitatem, excellenti spectataque praestantia laudabilem, cum collibitum fuerit, intuemur. Quae res nonnullos in hanc sententiam adduxit, ut putaverint, aquas huiusmodi in hūc orbē inclusas coactasque fuisse ad diluvii generalis inundationem, et ad alluviones illas per quadraginta continuos dies totidemque noctes in terras impetu vehementi devolutas, et montium maximorū crassitudine praecipitatas. Atque in hoc loco praecello sedem habuisse circum hunc multi constanter affirmarunt ad sedandum calorem et ardorem, quem stellae caelumque sua efficerent incitata conversione. Motum huiusce globi duplicem ab astrologis accepimus, cū sua, et altera primi mobilis conversione circumagatur.

FIRMAMENTVM SEV STELLATVM,
 in quo fixae sunt et inhaerentes stellae.

ORbis eximus, in quo infixi sunt illi, qui volūtur stellarū cursus sempiterni, stellae continet, quae in stellato caelo seu firmamento (sic orbē hūc omnes appellāt) in se dicuntur, ex eo autē genere sunt haec sydera, quae in hoc orbe stel-

stellifero infixae sunt; ut suis inhaereāt sedibus perpetuoque maneāt, quā obrē ratos illos et immutabiles syderum cursus appellamus: quippe quae innumerabilia caelo huic tāto infideāt. Cū sui tamē orbis motu cōgruūt, certis infixae sedib⁹, neque celeritatē, neque tarditatē, neque mātionē aliquā in ullis majorē, quā in aliis cōsideramus; cū eisdē spatii cursibusque suas cōversiones cōficiāt. In quo maxima est istarū, ac vagantiū, et errantiū stellarū dissimilitudo, quarūque quā maxim⁹ est cōcētus, ex dissimillimis motibus, et ex cursibus lōgo intervallo inter se disparibus. Tamē aliae propius a terris, aliae remotius diversis tēporib⁹ spatia sua cōficiūt. Neque obeam causam ulla perturbatio, vel dissipatio rerū sequitur; sed mira copulatio, et quasi cōsentiēs ad mūdi incolūtatē coagmētatio naturae, et cū multitudinē et infinitatem syderū, in hoc orbe inhaerentiū numerare cuiusvis difficile sit; tamē certo numero astrologi definerunt, et ad suas classes et ordines redegerunt, ad majorē istius orbis cognitionē, et intelligētīā illustriorem. Dividunt igitur astrologi stellas in sex ordines magnitudine distinctos; quorum primus numero definitus stellas habet maximas, et clarissimas, secundus minus claras et illustres, quas nomine secundae magnitudinis afficiunt. Atque ita processus faciūt in sextū usque ordinē, suis gradibus ascendendo, hisque nebulosas, et obscuras adiungūt. Sed quanta magnitudine sunt haec sydera, in hoc caelo inhaerētia? facile quidem vincunt terrae magnitudinem stellarū infixarū globi quicunque minimi. Caelum autem istud triplici conversione movetur propria scilicet, et naturali, duplicique motu extraordinario. Primum enim duos habet ascitos, cum ab ortu in occasum usque, quattuor et viginti horis cōvertitur; quae conversio propria est Primi Mobilis, aut sphaerae decimae. Contrario etiam motu, id est cōversione retrograda, a Solis oriētis sedibus in occidentis usque partes movetur. Atque hanc conversionem conficit annis quadraginta novem et mille. Qui motus noni circuli proprius est, et

Peculiaris, sed motu proprio accessus et recessus, quem trepidationis, dicimus, annis septem et mille circumfertur.

SEPTIMVS ORBIS SATVRNVS.

PROXIMVM Orbem Saturnus obtinet. Appellatus autem est, hoc nomine, quod saturatur annis. Fingebatur enim a veteribus uno crure fracto, totus spoliatus vestibus, et ore inhiante, devorans ac deglutiens filios, cum falce et curru, quem agebat draco terrificus, et basiliscus immanissimus. Quae eo spectabant, ut perversam ac depravatam Saturni naturam, humanae vitae contrariam, et infestam ostenderent. Quippe qui frigidus est, et siccus. Unde fames, et sterilitates agrorum, caritas annonae, et inopia summa. Hinc vastitas, occasus, et interitus; luctus, et lamentationes nascuntur. Hinc denique sexcenta morborum genera, quibus hominum corpora conflantur, et ad mortem variis tandem casibus tendunt mortales. Hinc curae et angores animorum, metus et formidines, moerores, qui lacerant animos, planeque conficiunt. Hinc detestabiles desperationes, sine ulla rerum expectatione meliorum. Hinc denique diffidentia, cui resistere conantur homines, qua tristes sunt, demissi jacet cum lacrymarum, et dolorum infinita. vi. Cerne mentis oculis hominem, Saturni stella affectum, tristem ac moerentem, contracta fronte, superciliis demissis, defixis oculis terram intuentem, sibi ipsi, cunctisque displicentem, congressus fugientem, coetusque mortalium, nulli verbum placide facientem, seque abedentem in aedium recessus ultimos, quia neque se ipsum, neque alios prae melancholia perferre vix potest. Vulgus melancholicos appellat Saturninos, qui multa secum cogitare solent, et de magnis saepe rebus cogitationes tacitas in tempus multum suscipere. Hos agitatio mentis, quae nunquam acquiescat, in studiis cogitationis per magna spatia continet. Solitudinem amant,

amant, fugiunt concursum hominum, et frequentiam, levibus de causis irascuntur, habent animos irritabiles, et implacabiles. Ita stella Saturni colore fusco cernitur, et ad plumbi speciem affecta, quae triginta fere annis cursum suum conficit.

SEXTVS CIRCVLVS IVPITER.

IUPPITER id est, iuvans pater dicebatur, qui res humanas adjuvaret. Quippe cuius fulgor hominum generi prosper est, et salutaris. Iovis stella Phaeton etiam dicitur: eaque eundem duodecim signorum orbem annis duodecim conficit. Quae interjecta inter Saturnum, et Martem illustrat, et temperat. Ejus vi morbi depelluntur; de locis, in quibus fuerit, abit pestilentia; nullae fere commoditates invehuntur ingenus hominum, quae non Iovis concursu importentur, et influant. Eiusdem beneficietia venti flant salutare, aquae existunt opportunae, calores aestivi temperantur, et frigora hyemalia. Quamobrem veteres, divum, atque hominum patrem appellant. Iuppiter ab astrologis fundamentum terrae, et caeli stellati dicitur, vita omnis generis rerum, et ortus earundem atque conservatio, vis et robur summorum, atque praepotentium, species et simulachrum veritatis, laetitiae, religionis, patientiae. Hujus proprium est, afficere magistratus ad leges et jura servanda, conciliare pacem inter homines, in pristinam concordiam reducere, perfidia sceleratorum distractos ad studium honestatis, et praeclaras actiones animos incitare. Huc literati, sapientesque conferuntur; navi, prudentes, et probi, qui erubescunt, pudici etiam loqui depudicitia, qui puri sunt, humani etiam, liberales, officiosi, qui mites ac misericordes, qui egregie fideles in alios, qui laeti et hilares, qui bono ingenio sunt, et mirifica virtutis indole. In hunc quoque orbem conferuntur simplices et aperti; qui nullas fraudes suscipiunt; qui turpe ducunt mendacium dicere, vel falsum iurandum in

proximum; qui studiose acquirunt, et retinent amicitias, in sacras familias propensi sunt, et in cultum, et in religionem Ecclesiarum, res suas prudenter agunt, nūquam irasci vellēt, non ulciscuntur illatas injurias, optima plerunque sunt valetudine, neque variis aegritudinibus tentātur. Denique vetus haec opinio sola terrarum opplevit, ut qui bono ingenio sint, et egregie a natura constituti, ii Ioviales appellentur.

QVINTVS CIRCVLVS, QVI Mars dicitur.

RV TILVS, horribilibusque terris ille fulgor, quē Martē dicimus, quintū orbem obtinet, supra Solē, ut aspicitis: Qui quattuor et viginti mensibus, et sex, ut aliqui arbitrātur, diebus minus circulū cōficit suum. Mars dictus est, quia maribus, in bello praesit, sive Mavors, quod magna vertat. Praeceptus et incitatus fertur, mortales incitat ad arma, ad rixas, ad contentiones, ad mēdacia, ad latrocinia, ad vētris ingluviem, ad facinora fraudesque suscipiēdas. Huc cōferuntur audaces, et temerarii; rapidi, et praecipites; seditiosi, ac turbulenti; impotētes, iracundi, cōtumēliosi, ad facinora projecti, et effrenati, qui in magna pericula audacius inferūt sese; nec praecipites impetus prae mētis impotentia revocare posse vidētur. Quos plerunque videas ex ore, ex oculis spirare flammās ardētes, et ex imo pectore nece, et crudelitatem anhelare.

QVARTVS CIRCVLVS, SOL DICTVS.

VIDEBATVR a nobis de Sole satis dictum fuisse, cū hujusce mūdi magnificentiam adumbravimus; sed speciatim ad istud caelum perveniendo clarissimam totius mūdi faciem, et cunctorū principē astrorū missum facere nō debuim⁹: cū sit propria sedes haec et domiciliū luminis hujusce praestātissimi. Qui cum principatū habeat inter reliquos orbēs caelestes, in medio tanquā rex in solio celsissimo summo

mo cū imperio praesse visus est globis reliquis, circulisque caelorum. Videamus igitur inter tantā luminū varietatem tū magnitudinē, tū pulcritudinē, ac denique efficiētā Solis admirabilē. Magnitudo autē Solis tanta quidē est, ut quanquā terra latissime pateat, terminisque protenta longissimis definiatur, sydera vero plura magnitudinibus sint immēsis, terram tamē ipsam, maria, plurimos caelestes globos multis intervallis sua magnitudine superet. Atque ita cōstat inter astrologos multis partib⁹ terra majorē, et ampliorē esse: ut nūquā dubitaverint, Sol major ne quam terra fuisset, an tantus, quantus videretur. Quod idē ad stellas cōparato Sole dicendū est. Quod si magnis spatiis terrarū magnitudinē viciunt plures globi caelestes, quam a nobis numerari possunt, quid de magnitudinē Solis, qui multis astrorū globis, tāto major, et superior est, dicemus? Sed quae Solis species? quae illi⁹ est, & quanta pulcritudo? Admiramur caelū, cū nocturno tempore, et in noctis praecipue maxima serenitate faciē caelorum syderib⁹ ornatam, atque distinctam aspiciamus. Haec omnis syderū descriptio, hic tāt⁹, et tam illustris caeli ornat⁹, quod omnes stellae illustres sint et perlucidae. quod vibrent radiis eximio splendore micantibus, Solis virtuti plane tribuēdum est. Quid dicemus de fulgore Lunae? quae Lunae varietas luminū? quae plenae ejusdē immensa lateque splēdēs claritas? quā noctis tenebras illustrat suae lucis eximio splēdore, et faciem praebet in media noctis caligine mortalibus? At Luna pro vario ad Solem accessu diversum quidē lumē accipit, et varias induit figuras, crescēs semper, aut senescēs, modo inflexa in cornua, modo rata aequabilitate divisa, modo pleno orbe rotūdata, paulatim deinde decrescēs donec ad exitū venit, et suas vicissitudines repetit. Itaque quidquid pulcritudinis, quidquid nitōris inest in syderib⁹, vel in Luna, quod quidem est eximiū, et admirabile, id totū omnibus his luminibus dat et cōfert Sol unus. Est enim Sol fons luminis, planetarū cor et spiritus ipse, vita syderum, Lunae decor, ornatus et splen-

dor universitatis, oculus mundi, hilaritas diei, caelorum pulcritudo, naturae gratia, denique pulcherrimum majestatis divinae simulachrum, et admiranda Dei immortalis effigies. Quem Solis nomine et honore afficimus. Quod si pulcritudo cernitur in splendore, quo perfusa res aliqua fuerit, et illustrata, quid pulcrius? quid illustrius Sole, qui lux, et immensa claritas universitatem hanc in omnes partes immensam, et quasi interminatam suo splendore claram reddit et illustrat? si praeclarā, et eximiam speciem rerum, si colorum suavitates, venustatem florum, gemmarum nitorem; cujuscunque pulcritudinis aspectum adamavimus, si tāto quaecunque res pulcritudine praestat, quāto magis nitet et splendet; si depressae valles, si colles editi, si montes excelsi, si campi patentes, tum, cum maxime diversis vestiti coloribus, et splendore sunt circumfusi clarissimo, pulcritudinis aspectu delectant sensus omnes, et animos incredibili suavitate perfundunt: quid ad Solis pulcritudinem addi potest praestantius, cujus splendore colorem nitidum accipiunt, et illustrem res omnes, et collustrantur tanti luminis claritate? Venit in mētem eximiae pulcritudinis magnitudo, caelestis atque divinae claritatis immensitas, qua facies Assertoris Iesu micabat, et splendebat in monte Thabor tum, cum suae divinitatis splendorem foras fudit, in oculis et aspectu discipulorū, et Moysis et Eliae qui tātae claritatis spectaculo praesentes fuerūt. id temporis cujus splendoris similitudinem habebat, cū fulgebat facies Assertoris, nitebant oculi, splendebat frons, toto ex ore caelestis atque divina claritas emicabat, in Solis eximio splendore fulgentis speciem et similitudinem admirandam? Cujus de spectaculo cum cogito, toties in Solis lumen et splendore clarissimum oculis feror, et animo ravior incredibiliter. Sed ad efficiētiam veniamus. Sol dux est et moderator reliquorū luminum, spiritus et temperatio mundi; qui res ipsas vi sua gignit et profert, agris foecunditatem dat, ubertatem et varietatem fructuum adjuvat, vitalem vim ac salutarem stirpibus et ani-


animantibus impertitur, qui vicissitudines temporum ordinemque discernit, eorumque partes ita distribuit, ut ad cuiusque temporis varietatem res omnes afficiat, graviditates et partus afferat, tum incrementa maturitatisque percipiendi, atque res omnes multitudine innumerabiles, varietate dissimiles, colore suo perfundat. Hinc foetus, ut reliqua praetermittam, frugum, hinc ortus, et viriditates, hinc vaginae pubescentes, hinc flavescens aristae jam Solis ardoribus ad metendum opportunae. A Sole denique ipso reliqua manat et fluit rerum tantarum varietas et multitudo, quae in visceribus latens et abdita gignitur, in terram hanc, et lucem exiens alitur, augetur, et maturefcit. Denique in reconditos et abstrusos terrarū recessus sese infert, et ima penetrabilia perfundens aurum, et gemmas procreat. Afficit etiam Sol reges ipsos, principes clarissimos, invictissimos imperatores, magnates omnes, et eos, qui sibi adfuerunt a consiliis, et ad res magnas et excelsas, animos facit et exuscitat. Videre autē est Sole affectos homines alacres et erectos, ardua quaeque et difficilia aggredi magno, et excelso animo, magnitudine consilii abundare, per populos, per urbes, per provincias, per regna, summa cū dominatione gubernacula rerū publicarum, et imperiorū florētissimorū tractare. Qua vero forma? quibus lineamentis? qua mēbrorū omniū ex omni parte mirifice cōcincti cōpositione? cernere etiā est homines, (quos vulgus Solares appellat) prae se ferre dignitatem oris, hilaritatē vultus, oculorum aciem acerrimam, venustatem capillorum, arcuata supercilia: eisdem esse bono ingenio, summo cōsilio praeditos, regio, et excelso animo, munificos ac liberales, summa gloria circumfluentes, in magno pretio et aestimatione habitos, summos, ac praepotentes dominos, rerumque omnium summa cum majestate potentes, denique bene a natura constitutos. Ut jam mirari non debeamus Sole in media sphaera domicilium, et sedem habere suam; ut tanquam rex virtutem suam cum superioribus et inferioribus circulis commu-

nicet, et mirabili cum aequabilitate rebus omnibus occurrat et provideat, neque uniuersum solum, sed speciatim lucē afferens, et diffundens in hanc magnificam, et elegantem totius mundi machinationē. Iam vero terra ipsa, Sole absente contrahi videtur, ac moerere; praesente vero dilatari multum, et exhilarari: et in ipso recessu moestitia quaedā est et angustiae summae, in accessu hilaritas et suauitas mirifica. Habet enim hoc proprium, et peculiare Sol, ut moestitiā depellat, hilaritatem afferat, et afficiat res ipsas, quanvis obscuras, et caliginosas mirifica quadā suauitate, et nova quasi forma induat, atque specie jucundissima. Id quod nubes ad occasum spectans statuit ante oculos, quae cū caligine circūfusa deformitatem habeat plurimam, et ipsa pice deformior videatur, et tertior ad aspectum oculorum; id temporis, cū Sol tēdit ad occasum, in nubē incurrens radiis, aurō splēdenti clariorē reddidit, propter fulgores mirabiles impressos, ad auri speciem illustriorem inusitata claritate fulgentes. Vnde rubores etiam insigni venustate perfusi, nitidi admodum et illustres omnē purpurae fulgorem et nitorem praestantissimum fulgore sui luminis obscurant. Si de Solis cursu quaeramus, Sol duabus orbis partibus definiens motum. 5. diebus et lx. et ccc. quarta fere diei parte addita conversionem facit annuam. Atque ubi suum totum cōfecit, et peragravit orbem, fit annus, qui tanta celeritate fertur, quantam vix cogitare valeamus; licet ille nobis stare videatur. Atque contraria conversione ab occasu, in ortum usque circumfertur longioribus spatiis circulum praeteruēctus Zodiacum. Quamquam autem tanta claritate fulgeat, ut lucem huic immensae afferat uniuersitati, tamen pallidum, ac moestum, aliquot dies videbimus oppositu nubium, et exhalationum concursu densarum. Aliquando tamen, defecisse visus est Sol, et se derepēte sustulisse mortalibus, cum Luna, Solis tanto lumini objecerit sese, et oppositu suo lucem Solis clarissimam eripuerit. Eo tempore caelum obscurari nōnihil, et pallere Sol ipse, moerere Tellus;

et.

et quasi in squalore jacere, hilaritate lucis ablata, cuncta contrahi, in angustum adduci parētis, et moderatoris sui Solis repentina defectioe.

VENVS.

 ENVS a veteribus dicta, quod ad res omnes veniret, eodem spatio cum Mercurio fertur. Ambo Solem, ut comitem sequuntur. Ad argenti speciem collucet, ac vibrat eximia sui luminis claritate. Die saepe videri solet, et fere semper hyemali tempore, cū Sol infimus fertur. Stella autem haec Graece Phosphorus, Latine Lucifer dicitur, cū antegreditur Solē; cū subsequitur tamē, Hesperos. Habet tamē vim frigidam et humidam, et quoniam proxima Soli est, medio calore temperatam. In quo Iouis naturam induit. Afficit, ut alia praeteream, suos in ludum, et voluptates, in iucunditates et blandicias, in saltationes, in choreas, ad otium, et ad libidinem, et ad omnem cultum et ornatum corporis, ad unguentorum conditiones acerrimas, et ad odorum suauitatem et fragrantiam, ad extractas epulas, et frequentia pocula. Efficit animos teneros et molles, varios canendi sonos appetit, diligit privatam luxuriam, et sumtus immodicos, et effusos, effundit sese in rosas, in palmas, in moschum, in balsama, in succinum, et electrum, in gemmas, et in lapides pretiosos, habet vim et potestatem in damas, et in omnia variis distincta maculis animalia. Praetermitto reliqua rerum genera, quae molestū est prosequi, et ut video minime decorum. Qui propius ad hanc stellam accedunt, facie decora finguntur esse, colore rubicūdo; venustate suavi, capillis mira aequabilitate ductis, et nonnunquā inflexis et in tortis, superciliis pulcherrimis, nigris et summa venustate coeuntibus, incuruo naso, inferioribus labiis, nōnihil crassioribus, collo venustissimo, corpore nec tenui, neque opimo, sed pro debita proportione temperato, pectoribus angustis, et cruribus sine deformitate leviter

crasis. Participes hujusce stellae affluere solent blandiciis, et lenociniis verborum, consilio et prudentia valere, maximis circumfluere bonorum copiis, appetere omnem elegantiam, et apparatus, corporis vestitus pretiosos, et varijs coloribus distinctos, colligere ac retinere benevolentiam multorum, affabiles, benigni, mites, blandi, gratiosi videntur, alios blando appellando sermone deliniunt, loquuntur hilari vultu, cum opus est, ut blandissime possunt. Scilicet; sed amabo te suaviter, ac deliciae meae. Vides ne quam blande? magis in pocula, et cum aviditate summa, summaque cum iucunditate haurienda, quam in escas propensius feruntur, raro autem litterarum studiosi sunt, natura calida sunt et humida cum Phlegmatis admixtione. Nihil de magnitudine istius stellae, nec de rebus alijs, quae propriae sunt astrologorum, et illorum necessario nominibus nuncupandae: Quod ab astrologis haec petendae sint, non a Rhetore. Nunc ad Mercurium transeamus.

MERCURIUS.

PROXIMUS est Veneri Mercurius, qui nomen a mercibus traxit. Mercurius enim Deus mercaturae, eloquentiae, palaestrae, denique lyrae author habebatur: quique nuntius Deorum legationes obiret, et responsa referret. Is dominationem habere dicitur in litteratos, in musicos, in pictores, in caelatores, et in omnes, qui subtiles et acutas artes exercent, in animalia, quae celeritate pedum ad currendum valent, in aves garrulas, in picas, in psittacos, in nonnullos fructus, in mala medica, citrea, limonia, mala granata, et in horum pomorum arbores, et indissimilitudinem varietatemque colorum, in cogitationes multiplices, maxime in perturbationes, in dubias et ancipites contentiones, in diversa genera morborum, in febres asiduas, in phtisim, in melancholiam, (sic appellant Graeci) in partes corporis humani, in cerebrum, in os, in nares, in nervos, in crura. Itaque, qui nati fuerint hoc

hoc signo, in litteras non parum affecti videbuntur, et ad excogitandum acuti, et ad inveniendum affluentes, et ad eruendas ex tenebris in lucem difficultates prompti, ad memoriam firmi constantisque. Nihil denique non praestantia et acumine ingeniorum indagabunt, patefacient et illustrabunt. Arbores etiam eodem saetae signo ferent suos uberes, atque praestantes fructus. Quid? picae, psittaci garriety humanas voces reddent et saepe nonnulli sermocinantes. Astrologi homines hoc signo conceptos fingunt capillis passis et intortis, venustis oculis, et omnino nigris, barba similiter nigra, longo ore, acuto naso, digitis longioribus, mediocri statura, gracili plerunque corpore, raro quaedam deformitatem affert, pingui et opimo; denique fingunt subtiles, acutos, ingeniosos, strenuos, et ad omnes artes et disciplinas, maxime ad Arithmeticam et ad Astrologiam, et ad Matheses affectos, et aptos admodum. In humilioribus vero artibus non parum praestantes, et egregii, qui appellati sunt vulgo Mercuriales, habentur ad aurificinae opera tractanda, ad picturae nitorem et splendorem, ad vim omnem et praestantiam sculpendi. Disputant subtiliter, et acute, et ad obijciendum et ad respondendum magno sunt ingenii acumine, et amantes Philosophiae, et Poeseos, et in reconditis, et abstrusis arcanis mentis acie penetrandis multum valent. Gnavi sunt, et industrii ad res agendas, autores et perfectores maximorum operum, et ad victum comparandum omnem, et ad augendam rem familiarem natura solertes. et providi, ad omnia semper acriter edentes animo. Tanta autem ingenii magnitudine abundant, et mentis acie praestant, ut inveteraverit jam mos iste, multarum gentium aetate confirmatus, Mercuriales hujusmodi acutos, et multum providentes appellandi. Mercurius quinquaginta quinque trecentisque diebus, et sex fere horis suum orbem conficit. Raro apparere solet, et cum appareat stella haec, lucet ac micat acuta, et ad oculorum aspectum exigua; in quo a caeteris abhorret Planetis, salientis speciem praebens. Cum remota

tior a Sole, tunc octo vigintique gradibus, et 30. minutis fertur, modo respiciens in Solem orientem, et alias in occidentem. Quamobrem multarum, et dissimilium rerum maximus effector est. Venus enim et Mercurius fere semper cū Sole quodammodo cohaerent, ac fere una ineunt, et conficiunt orbem suum. Nam Soli ad suam vim, et annuam efficientiam obediunt, operamque illi suam certatim conferunt.

LUNA.



LUNA Solis aemula, et noctis ipsius decus, in infimo orbe Solis radiis accensa convertitur. Quae suos cursus spatiis mensuris cōficit. Cuius tenuissimum lumen facit proximus accessus ad Solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum. Cujus species ac forma mutatur, tum crescendo, tum defectibus in initia recurrēdo. Ita videre est Lunae luminum varietates, tum accretione, tum diminutione, quasi sui ipsius notantes et designantes dies. Sic mensum fere dies congruere videmus cum Lunae ratione, ut non plures Lunae sint, quam unius mensis dies. Quanquam non eodem tempore utriusque spatia ferantur, sed vel ineunte mense, vel medio, vel exeunte inire contingat, aut exire Lunam. Itaque in Lunae diebus, et mensum est quaedam similitudo. Multa autem a Luna manant et profluunt, quibus et animantes alantur, auferantur, et pubescant, maturitatemque assequantur. Quae oriuntur e terra, ut alia desinamus, ostrea, et cōchylia omnia cum Luna crescunt, pariterque decrescunt. Sic ejusdem Lunae ortu, et obitu aestus maritimi, fretorumque angustiae commoventur, ut accessus recessusque maris expectentur ad solvendum e portu. Ut enim magnes ferrum, Luna trahit aquas ad sese, ut ad illius rationem faeviat, et intumescant; sedētur, et deprimantur. Cum in alia metalla, tum

in argentum dominatur. Arbores cum Luna senescentes tempestive caeduntur. Quin et humani corporis praeclarae constitutiones, vel adversae perturbationes notatur ex Lunae ratione, quam medici ad sanguinem effundendum expectant, ne dissipent, et perdant hominem alieno tempore venā scindēdo. Atque plena Luna calidiores noctes aestivae sunt, quae eadem decrescente, aut aliis ipsius orientis, aut accrescentis diebus. Cum ipsa claritate sua medias noctis tenebras illustrat, et faciem praeferat, ne ruamus ipsis in tenebris, et media caligine, tum quid boni plena afferat, intelligimus, cum varias mutationes lucis habens, oriens, aut senescens tantam lucem afferre nequit. Sed consideremus varias illam formas et figuras induentem, scilicet modo splendentem, modo rubicundam, interdum nigram, obtusam eandem, erectam et infestam, acuminatam etiam atque rigentem, ab utroque cornu rectam, ineuntem, accrescentem, plenam, decrescentem, et exeuntem. Eadem ex vario dissimilique aspectu vel serenitatem praenuntiat, vel vētos, vel pluvias, aut nimbos, imbres aut tempestates portendit. Denique vim ejus, et efficacitatem videre licet, cū subjecta atque opposita Soli radios illius et lumen obscurat. Sed in ipsam hoc tantum mali, quod Soli attulit, tum confertur, cum ipsa incidens in umbram terrae, cū est eregione Solis, interpositu, interjectuque terrae, repente deficit. Et quidem plures Lunae, quam solis defectiones ab astrologis animadvertuntur.

(S)






TOPOGRAPHIAE

LIBER SECVNDVS.

QUATTVOR MVN

DI CORPORA.

ÆTHER.



CAELESTIVM Gloború ordinem consequuntur quattuor mundi corpora, et aère anteit Aether, extrema ora, et determinatio quattuor corporum, qui tenuis est et pellucens, et aequabili calore suffusus: qui quemadmodum aër sursum recta via in caelestem locum evolat. Tanta autem est tenuitate, ut omnes consenserint, nec cerni quidem oculis illum potuisse, etiam si propius homines accederent, et eundem maxime niterentur cernere. Nam si aër iste, qui terram circumfundit, propter suam tenuitatem neque in nostrorum oculorum aspectum cadit, neque qualis, quantusque sit, videri potest; cum altius ascendat Aether, et ignis iste locum altissimum obtineat, de sua tenuitate et subtilitate mirabili dubitationem aliquam habebimus periti praesertim Philosophiae?

sophiae? nihil enim concreti habet ignis ille ex omni parte subtilis et pellucens. In hoc dissimilis istius nostri, quem adhibemus ad usum et victum quotidianum, qui sine pastu aliquo permanere non potest, et crassus est atque concretus, confector et consumtor omnium: idemque quocunque invasit, cuncta disturbat ac dissipat. Quamobrem propter praestantissimam materiam, ac formam pulcherrimam, Chrysispus disputabat, Aethera esse eum, quem homines Iovem appellarent. Quem nos in illa Deorum innumerabilium infinitate principem a veteribus, et praesidem Idolorum nominatum fuisse legimus. Non defuerunt aliqui ex antiquorum numero, qui cum tollerent oculos in caelum, atque ipsum caelum, et innumerabilia sydera vidissent, et cuncta magnitudine immensa, tum astrorum omnium principem Solem, omnia clarissima luce collustrantem, multis partibus majorem et ampliolem, quam terram universam, tum innumerales Cometas accensos, et inflamatos medium aëra praetervolantes, horum omnium principem et auctorem Aethera fecerunt; atque hunc tantum ornatum et splendorem clarissimum, ex Aetheris ardore puro pellucetique fieri putabant. Ita tamen, ut ex nobilissima Aetheris parte gignerentur sydera. Quin nihil insigni splendoris specie, aut illustri claritatis aspectu praeditum aut videbant, aut audiebant, quod non ad Aethera referendum censerent. Animi nostri rationis compotes, quibus nihil ab optimo et potentissimo Deo melius est procreatum, neque datum generi mortali, quippe qui ad divinam facti similitudinem fuerint, ex sempiternis illis ignibus a philosophis accepti datique fuisse dicebantur. Quod poetarum fabulis traditum fuisse reperiemus. Quid enim aliud poetae per Prometheus significare voluerunt? hujus rei causa fingebant simulachrum ex limo et argilla factum ab eo fuisse, et auxilio Minervae translatum eundem in aethera secum ignem caelestem in hanc infimam terram detulisse, et ad movisse operi diligenter studioseque ficto. Di-

Estu mirabile, spirare mentiebatur coepisse statim hominem, vix admota facula, tandem animatum, et muneribus ac donis animi praeclare fungentem. Quamquam haec medaciis et erroribus plena sint, tamen quis neget ea dixisse scripsisseque philosophos prae reliquis elementis aetheris ipsius praestantissima pulcherrimaque materia ductos? sed quid a philosophis aetheri tributam fuisse vim hominis ipsius animam mirer, cum vi ejusdem aetheris non pauci duxerint animata omnia fuisse caelestia? Fuerit regium, et excelsum animal homo ad decus, et ad gloriam beatorum natum, atque adeo ad perfruendum divini numinis aspectu. Sed quanto sunt perfectiores, magis purae, magisque castae divinae mentes? at multi, qui consequuti fuerunt, divinos spiritus fuisse nulla gravitate corporis, sed integras atque castas mentes, omni labe terrenae fecis carentes ex igne factas fuisse procreatasque voluerunt. Atque isti ipsi, et eorum sectatores, animos hominum ignem esse putaverunt, cujus ardore vigerent homines, et spiritum hunc communem ducerent, extincto, perirent, et occiderent statim. Itaque, quod vitam agerent mortales, quod in corpore inclusum animum continerent, quod corporis muneribus necessariis fungeretur, quod denique vitalem hunc et fufum per omnes partes spiritum retinerent, causam fuisse maximam praestantissimamque, principem et auctorem unum ignem hunc, purum, et pellucetum, ex ultima mundi determinatione datum, et impertitum humano generi. Nam calidum aliquid, atque igneum in omni fufum natura spiritu esse, et animam hominis, erroribus multis decepti sibi praedicti philosophi persuaserunt. Quin et Heraclitus tantam igni vim largiebatur, ut ad igneam vim omnia referre non dubitaverit. Sed nos praestantiam ignis considerantes, principem quatuor simplicium esse corporum ignem recte perspicimus, et suum in haec corpora principatum & dominationem habentem. Id quod ex cellissimo loco supra aërem positum, finitimo sideribus, et Soli astrorum principi, rudes in Philosophia fatebuntur. Sed omittamus

multa contemplari, et in aethere vagari desinamus; et ad plantas, ad animalia, ad homines descendamus. Si quid in igne aethereo praestantissimum est, id est calidum ipsum, quod in igne inest, et naturale quidem: cum igitur participes sint caloris plantae, cum animalia, cum homines tandiu vivant, quandiu in illis remanet iste calor; non ille vitam animantium, et cunctorum salutem hominum complectetur? primo diluculo, vix occultato Lucifero, ante Solis ipsius ortum, non moerere videtur ager? non herbae, non flores contrahi? plurimi marcescunt, et intereunt brevissime? cum vero Sol oritur, et sua luce terrarum sola collustrat, non exhilarari videntur omnia, et spiritum quasi vitalem ostendere? unde hilaritas istiusmodi, et ipsa contractio, et quasi moestitia rerum universarum? ab accessu novo, et ejusdem discessu caloris; quo nitere videntur, et in agris micare omnia, et quasi praecipuo quodam sensu affici. Deficiat hominem calor, deseret eum spiritus confestim vitalis, et corpus calore vacuum derelinquet confestim animus, qui receptaculum habet cum ex aliis humoribus, tum ex calore concretum. At non iste calor ab igne, sed a Sole emanat. Fateor, neque inficias ire possum res alias, et inter has Solem caloris effectorem esse. Sed cum igni calor sit inlitus, et sua natura praecipue datus eidem, non ignis vim, et praestantiam illustrem caloris participem aspiciemus, qui plus virium ad calefaciendum habebit, quam caeterae quaeque res, quam ipse Sol calefaciens res mirum in modum, et eodem non alens dumtaxat omnia plantarum genera, sed in ima terrarum viscera penetrans, atque adeo gignens in abditis terrarum penetrabilibus argentum, et aurum ipsum, et lapides magni pretii, et aestimationis? Sed conferamus inter se, si placet elementa: atque, ut omnes intelligant me terrae, caeterisque elementis tantum impertiri laudis, quantum aequum sit, et illis suo jure optimo debeatur, dico globum terrae eminentem e mari, fixum in medio mundi universi loco stare perpetuo, neque in subli-

me feri levitate, non moveri, non agitari unquam; beneficā esse terram, et liberalem, quae nos ut parens admodū indulgens vagientes et plorantes statim, ut in hanc lucem eximus, nostrae quasi miserta conditionis excipit, natos multitudine, varietateque rerum alit, ac recreat; ad extremū, cū corpus sepulturae mandatur, ita locatum, ac situm in aliqua parte terrae, quasi operimēto matris obducitur. An non videmus placidam, mitem, indulgere mortalibus, ferre commoditates, et utilitates, omnia parere, et fundere ex sese, neque ad victum solum, sed ad delicias et voluptates maximas? Quantum illa gemmarum, quantum argenti, quantum auri, quantum omnis generis metallorum procreat? quantum stirpium et herbarum? quantum frumēti, reliquorumque fructuum profert, et abunde satis, et copiose largitur? Denique, quemadmodum ad humani corporis fabricam prope accedat, quis nō aspicit? ut enim venis, et arteriis constamus, tum ossibus atque medullis, et sanguis per venas diffunditur in corpus, spiritus per arterias. Ossa dura sunt natura sua, medullae, quemadmodū cerebrum, molliores: sic in terra partes sunt sicut venae, per quas aqua fundit sese; partes quasi arteriae, quas permeat aēr fluens huc et illuc. Iam vero quantū asperitatis, quantum duritiae terra diversis in locis habere visa est? quantum in aliis mollitudinis, ac teneritudinis? in illa lapides, et omnia metalla durefcunt. Quemadmodum etiam bitumen, et illius plurimae res simillimae liquefcunt. Quid? quod in homine quemadmodum morbi ex humoribus crassis, et concretis, podagra scilicet, febres tertianae, febresque quartanae cōstantissima reversione notantur, ita quidem aquae terrae visceribus delitescentes, modo scaturiunt, modo reconduntur? quibus planum efficitur, quantam habeat terra cum nostro corpore similitudinē; atque adeo quantū dignitatis inter reliqua elementa. Quid dicem? de aquarū comoditatibus? de tot fontibus? de rivulis? fluviiis? atque de immēso mari, unde profluunt, et in quod omnes aquae recipiunt sese, tanquam in commune

recep-

receptaculum? Neque praetereundae sunt silētio nubes, sunt enim ex terrae vaporibus coactae, unde ad terrarū fecunditates, et partus aquae necessariae existunt. Sit in magna laude aēr ipse, qui vitalis est, et salutaris omni generi animantium; quem sic ducere necesse habent, excipienda, reddēdaque anima, ut praecluso spiritu intereant confestim animantes. Qui mirabiles alias, et alias utilitates praebet, et gravitatem caelorum tetram ac pestilentē avertit. Sed his omnibus elementis anteponatur ignis, propter tenuitatem suam, et puritatem maximam, propter praestantiam loci celsissimam, propter efficacitatem agendi mirabilem, et multo praestantiore vim omni genere rerum concurrentem. Neque enim in elemētorum concursu, ignis proprietate plus efficacitatis aliqua habebit. Calor anteit caeteris, et longo intervallo, praestat, neque terra, neque aqua, neque circumfusus aēr quicquam per se potest efficere sine caloris accessu: qui nō modo socius est, et coadjutor rerum faciendarum, sed princeps perfectorque maximus. Itaque absoluta, cōsummataque perfectio propria est ignis; at reliquorum (ut plane dicam) elementorum cōcurfus ad agendum. Quo de cū agimus, facile mihi persuadeo, ut tanquam regem aliquem praesse putem caeteris elementis ignem semper tenuem, pellucētemque, quasi de loco celsiore dominantem: et, ut ad opus faciendum cum mercatores quaestuosissimi coierunt, qui reliquis opulentior est, plus interdum pecuniarum conferre solet, ignem materiā praestantiorē, magis egregiam, et rerum praeclaram effectricē contulisse. Nam quid dicam, terram adumbratam esse corporis humani speciem, cum in hoc nostro igne inferiore, multo magis emineat humanae dignitatis excellētia? qui sic micat, sic nitet flammis spirans ardentes, ut vivētis hominis, et vigen-tis admodum species videatur esse. Cum agilem; item acrem, facilem, et expeditum ad omnia virum videmus, hunc ignem dicim? incēsum et inflāmatum; qui stare nesciat; totus ardeat; et flagret. Atque de hoc igne, quo utimur ad calefaciendos.

G. 3; nos,

nos, ad rerum innumerabilium usus, ad tenebras noctis illustrādas, ad pietatis et religionis opera, dicerem fuisse, copiosaque, nisi mihi de hoc elemento igne dicere dumtaxat propositum esset. Nunc ad aëris regionem veniamus.

AER.

NVNC de Aëre, qui inter mare, et caelum interjectus est, dicamus, cujus utilitates innumerabiles sunt. Nam primum animātes, et aves aspiratione Aëris sustinētur; et ipsi mortales spiritum ducūt, ipseque aër, quacūque imus, quacūque movemur, nos comitari visus est, et quasi dare locū, ac cedere idem. Vigilātes, dormiētes, refrigerat, atque fovet, temperans nimiū cordis ardorem, quo obrueremur sine dubitatione, nisi spiritum ille vitalem impertiretur, et salutarē. Atque idem ipse perfectior maximus est utilitatum, et commoditatum, quae a caelo in terram, et in gen^o hominum proficiscuntur. Quin Sol ipse aëris beneficio lucem suam claram et illustrem affert. Eiusdem ope nimirum Solis calores franguntur; modo hoc, modo illo modo temperantur. Videre autem est rerum omnium fœtricem et moderatricem divinam providentiam, qua aër in eo loco collocatus est ad usus hominū, et utilitates necessarias; ut ex qua parte proximus est igni, calorem assumat, qua vero vicinus est terris, et aquae temperationem, sed aliquid caloris habentem admixti, praesertim aliquot temporibus, radijs Solis terrā ferientibus; sed ex qua parte interject^o est inter duo haec extrema, maxime frigidus aër est, et utrumque fugiens cōtrahit se ipsum, et quasi retrudat. Quod habet vim maximam ad pruinas gignendas, et rorem matutinum, quo aluntur, et sustentantur plantae temporis existente maxima siccitate. Nives etiam cōcretæ summis in jugis montium albescunt, quibus feraciores, et uberiores agri redduntur. Vnde vulgo jam ille sermo in hominum ore linguisque versatus apud omnes gētes increbuit, maxime fertilen

tilē annum esse, in quo nives plurimae extiterint. Nam cum illae, tum glacies quasi manu plātas detinent, et remorantur, ne in sublime ferantur, sed agant radices infra terrā altiores, et suo tēpore crescant, et fructus tāto uberiores ferant, quāto radicib⁹ inhaeserint altioribus. Cum Sol vero excitat vapores calore suo, quoniā illi tenues sunt, et subtiles, ipsa nempe natura aëris sublimes tolluntur facile, et in mediam accedentes aëris regionem in nubes coguntur, et constringuntur frigore: unde aquae exiunt aëris opportuno fiatu, cum ad rigandam terram ipsam, et ad reficiēdam, recreandamque exaviditate sua, tum ad opplēdam, saturandamque, cum siti veteris ubertatis aruerit. In quo non minorē habet admirationem, modus et admirabilitas aquarum de caelo labentium in terras, ut si rationem cogitare vellent ullam, artemque mortales, nullam magis idoneam, neque appositiorem ad terras irrigādas invenire potuissent. Quae sic bellissime fluūt in sola terrarum, tam apte convenienterque, tam mirifico ordine moderationeque, ut setaceam telam transmisisse videantur; sese fundētes aequabiliter in omnes partes, et infimam tellurem penetrantes, ad plantas omnes alendas, ad arborum folia reficienda, ad poma cujuscunque generis, et reliquos fructus recreandos. Quarū utilitates minime praestant ductus aquarum, neque rivulorum derivationes. In quo divinam potentiam Iob ipse praedicat, et tollit in caelum. Quae nubes ipsas continet atque coerces, ne praecipites in terrā effundant sese, et totam alluvionibus obruant. Quod de terra Iudaeorum generi promissa lacte tota, melleque fluente Moyses posteritati commendavit. In quam divinae majestatis oculi cōjecti sunt semper, neque ab illa dejiciētur unquā; ut aquā, et rorem diffundat opportuno tēpore. Atque beneficiū istud mirificis effert laudibus vates ipse divinus immortalē caelorum opificē omni laude prosequēdo: qui caelū nubibus obducit, et aquas effundit opportunas, et tanta cū abūdantia, ut nō solum cultos irriget et satos agros, sed desertas, et vastas terras, horridas

das et devias, ut viridissimas herbas, et flores suavissimos ferant. Sed quam amplum sit, et quam singulare hujusmodi beneficium, intelliget attenta cogitatione complectens multitudinem, et varietatem omnis generis rerum, quae ad alendam, et sustentandam hominum vitam, necessariae sunt, hinc pèdere maxime. Hinc enim frumenta, hinc vinum, hinc oleù, hinc fructus, hinc legumina, hinc herbae salutare, hinc pascua brutorum, hinc pecudes, hinc omnis pecoris et armentorum genera, hinc lanae, et pelles ad vestitus, et cultus usitatos. Quas utilitates profecto non acciperent mortales, nisi aquarum dono ac munere singulari. Has vero ventorum appposito afflatu, quis neget existere? In varias terrarum partes nubes agunt eadem, cù opus est, etiã fugant, atque dissipant, et quod obdlexerant nubibus caelum, reddunt serenù, atque tràquillum. Quid quòd pestilentiam propulsant? salutem restitunt? quid quòd quattuor anni tempora, autumnos, hyemes, ver, et aestatem, magna ex parte effici Aeris varietate multi constantissime tenent? et ob eam causam aëri omnia volunt accepta referri debere, cum ex quattuor temporù mutationibus, omnium quae terra marique gignuntur, initia causaeque ducantur, et ab aëre fluant et manent ea, quibus animantes alantur augetantque, et pubescant maturitatèque assequantur, quae oriuntur e terra. Nam quanvis Solis admirabilis sit efficientia ad vicissitudinem horum temporum revocandam, et cum altius submissius ve fertur, et suum cursum constitutis spatiis definiens, conversionem facit annuam: tamen aëre, quasi socio quodam et comite, Solem adjuvare plurimù ad suas impertiendas conferendaeque commoditates, quis non videt? An vero ineunte vere virent omnia, et amoenissime florent in agris, nisi suavitate Zephyri lenissima? quae e floribus afflantur suavitates odorum omni tempore anni jucundissimae, nunquã sursum nisi flatu aëris ferretur in nares. Neque nati fructus adolescerent, neque conservaretur etiam, neque speciem suam et naturalem colorem retinerent, neque matu-

rita-

ritatem consequerentur, nisi aëris, ope communi. Si flavae sunt fruges, et ad metendum maturae, spicis vi granorù incurvescentibus, quemadmodum aestivi Solis, & eo tempore flantis aëris efficacitas praedicabitur. Sed elementa singula consideremus, et terras, maria, et ignem ultimù, ad hunc, quo de nunc agimus, aëra comparem⁹. Quem terra, quem mare, quem ignis aëre non accedente usum habebit? vidimus e terra nihil oriri, neque ferri ad usum, et ad delicias hominum, nisi existente aëris opportuno flatu. Cum mare ipsum pacatum est, et tranquillum, non ab aura fit flante lenissima? cum navigandi felicitate utimur, non aëris flatu secundo, bona datur navigatio? cum aestus maximi, accedentes, et recedentes commoventur, cum in Indos usque tantis toties cum classibus, plenissimis velis navigamus, et invehimus, deportamusque argentum et aurum, et merces omni genere divitiarum abundantes, id fecimus unquam, vel nunc facimus, nisi prospero flatu, qui nos ad exitus proveheret optatos, utentes? est quidem mare res violentissima, sed aere facile sedatur, et quasi vinculis quibusdam coercetur, atque cõstringitur, ut sese commovere nequeat aura nulla flante; sed tamen existente, protinus explicat fluctus longissime, latissimeque. Sic autem ventis subjectum est, ut inflatum aspiciatur vi ventorum, fluctus tollens in caelum, et eosdem in imas deprimens voragines. Quid signa fidei Christianae? maria vi ventorum transmisserrunt omnia, penetraruntque in ultimas terrarù partes: ubi cõcionatores Divini verbi, et cultores vineae Christianae sanctissimi, gentes efferatas, et immanes ab Idolorum superstitionibus, ad veram Christi fidem sanctimoniamque traduxerunt. Sed ad ignem veniamus, qui cum splendet atque lucet, hanc lucem, et splendorem non ab aëre accepisse visus est, cù flatus hominum, aut folium accedunt, ut igne concipiat admota materia? cum vero conceptus est alitur ille lucens, et splendens ignis; cum illum aër ipse sustineat, et alat magis. Itaque cum vires sumere, et accedi magis ignem volumus, aëris

H fla-

flatus subministramus. Et cum ventus fiat ab illa parte, qua sese ferat in ignem accensum, & involet citatus & velox, cogit ignem magis diffundere sese, sublimemque ferri stridore plurimo, flammis longe, lateque collucentibus. Quin venti sunt, qui vim ignis opprimunt & extinguunt flammam excitato fumo, qui densus et caliginosus obscurat lucem Solis clarissimam. Itaque ignis, caeteraque elementa ad vim suam ostendendam ab aëre pendere visa sunt; ut tū boni quicquam efficiant, cū socium habeant et coadjutorem aërem, tum suae virtutis praestantia careant, cū aer vim suam et impetum in illa vehementem et incitatum intulerit. Sed nolo vobis in aëris utilitatibus commemorandis multus videri. Nam cum ventorum alii refrigerent, alii incendant, alii temperent, et illustrent caelum, alii siccitatis, alii humiditatis causa sint, alii caloris, alii frigoris effectores, atque aëre ipso communi, quo utimur, aliamur, et sustineamur, animantia rationis expertia spiritū vitale ducant, nihil fere reperietur, quod aëris virtutē maximā, & ad omnia rerum genera efficacē efficientiam non recognoscat. Quapropter illa minima sunt in aëris laude, quae cogitationibus admirationem afferunt, & sensibus incredibilem voluptatem, arborum folia aëris lenitate ventilata, sonum edere concupendo jucundissimum, cum in similitudinem bractearum huc, et illuc ventilentur. Quod idem videre est in camporum planicie, in agrorum pulcritudine, in cuiuscunque vallis, aut nemoris amoenitate: cum vestitus omnes colorum diversitate distincti, in hanc et in illam partē mirabili suavitate intorqueantur, retorqueanturque. Cum aestivo tempore caloribus adurantur omnia, & prae caloris magnitudine nequeant respirare mortales, non aëri exposita loca quaerunt diligentissime, non sub dio magnam noctis partem agunt, non in subdialibus deambulationibus flatus lenissimos captant, non unde fiat aër, in illum se conferunt locum, non flabella, non folles, non alia sunt instrumenta ab haminibus excogitata venti faciendi causa? non cum

flabella.

flabella defunt, linteolis aut palliorū laciniis ventū nobis ipsis facimus? at quemadmodum aestus tempore vim caloris perferre non possumus, cum sudamus, cum angimur, exuimus vestes, et thoracis globulos in pectus usque detrahimus, et collaria demittimus a tergo et ex omni parte revocata, ut auram captemus aliquam, et a molestiis caloris reficiamur? quo vela passa spectant in navigiis, nisi ut flatus ventorum excipiantur? quin et molae alatae seu pneumathicae sunt ad molenda frumenta, praesertim in illis locis, ubi nullae aquariae propter fluminis distantiam fuerint. Sed ne existimemus omnia terrae partus animantia capessere, chamaeleon semper inhiante ore fuisse dicitur, neque illud unquam claudere. Quippe qui nec cibo, nec potu de multorum sententia alatur; sed dumtaxat aëre, quem capit illo ore inhiante, patentique semper, et ipsis patefactis faucibus corporis sui conservatorē nūquā non reciprocatur. Quod si mirabilia sunt haec in chamaeleone, a terra tollamus oculos in mediam aëris regionem, atque cum suspiciamus aves innumerabiles medium aëra praetervolantes, quam nos alacres, et erectos faciunt aspectum tollere nostrorum oculorum in varios atque multiplices volatus, in superos, medios, et infimos, in rectos, transversosque, atque omnes tam expeditos, tam celeres cum frequenti commutatione, eadem adhibita celeritate volandi continuatos, ordine tam singulari modoque praestanti, nunquam ut se confundant atque perturbent; et cum se permiscere videantur propter multitudinem suam, tamen justos ac legitimos, et recta semper moderatione definitos volatus conservent; ut unitari volando videantur, atque referre ludorum concursus humanorum (Ita volant altissime, ut saepe nostrorum oculorum aspectus tam infinitam altitudinem, et a nostris sedibus tam longe distantia locorum intervalla non consequatur. Ita saepe medium aëra praetervolant, ut plane cernatur volatus, et oculis inter-

SPURIO

H a nos-

noscantur, et mutationes, varietatesque suis in volatibus numerentur. Cum omnes advolant, et praecedentes aliae consequantur, cum circumvolent, et in orbem, quem ordinatim conficere festinent, sese compellant, et adducant venustate mirabili, deinde quo fecerunt ordine gyrum, dissolvere properent, et accelerent: donec in duas partes quasi in turmas divisae, tanquam praebentes mirificam ludorum speciem Trojanorum, a vibus aliis aliae protinus occurrunt, et aliae sese comparant, adversariis occurere gestientes; in quas invadunt statim, et involant vicissim binae, ternae ve adversarias appetentes. Qui cōcursus atque conflictus? quae petitiones redituque grata vicissitudine cōservati postquam ad aliquod spatium occurrerunt, repetiveruntque simulachra ludorum? non alias aspiciamus liberas atque solutas toto aëre volitare? non vagari fusas atque dissipatas, devias, atque diversas? non etiam longius a terra, ut oculos interdum, et ora nostra praetervolent, quasi per ludum, et per jocum in nos involare, tanquam provocantes, ut eas manibus appetamus, et cum porrigere brachium videmur, ut illis ipsis manus injiciamus: jam tunc cum apprehensas putamus, nostros conatus et petitiones ludificando, pennis elatis, uno se volatu protinus in sublime ferre? non easdem transmittere volatu tecta domorum, et agrorum atque camporum immensa spatia? non se ad fontes? non ad lacus demittere ablutum corpora, capitulaque venustissima? quae cum se merfissent, postquam emerferunt ex aquis, statim usque eo premere corpus incipiunt, et agitare concutiendo, protinus ut aquam excutiant a se, crepitu, stridoreque alarum: non in arboribus, non in virgultis insidet, huc, et illuc circumspectantes? Catus illarum suavissimi sunt, quorum dulcedine permulcent aëra, mortalesque illorum suavitate perfusi consistunt ad istius aëris salubritatē captandam, vernis praecipue temporibus, quoties rusticantur homines, ut oculos viriditate camporum, aures passerum, et avicularum modulate concinentium garritu vario, suavissimoque sensus

omnes

omnes aurae lenissime flantis suavitate pascant admirabiliter, et a laboribus quotidianis, ab urbanis negotiis, a molestiis gravissimis reficiant, atque recreent sese. Cum dies serenus est atque tranquillus, et Sol omnia sua claritate terrarum loca collustret, et totam hanc aeris regionem eodem clarissimo splenore circumfundat, ut neque atomi videantur minimi, omnia autem niteant et splendeant? Quae alacritas ex aspectu? quae suavitas intimis ipsis in praecordiis percipitur? omnia sunt ejusmodi hac specie, hac affectione mirifica, ut mirandum in modum in creatorem suum animos hominum afficiat. Quare cum omnia loca permeare videatur aër, neque quicquam rerum ex mundi totius universitate, non hominem ipsum posse consistere sine aëre, nihil denique magis commune, magisque necessarium Philosophi videret, in suis illis disputationibus, disceptationibusque frequentissimis, quibus eum honoribus, quae divinitate affecerunt? Deum Anaximenes statuebat aëra, atque hunc immensum, et infinitum; alii aërem interjectum inter mare, et caelum Iunonis nomine consecrabant; aërem autem, qui per maria manaret, Neptunum esse disputabat Chrysipus; atque idem ipse ex aëre gigni terram, aquam, ignem, tum ex his facta omnia fuisse contendebat. Tantum laudis et honoris aeri tribuebat. Nunc de iis, quae fiunt, quaeque videntur in hac aeris circumfusa regione.

NUBES.

NUBES **EXISTUNT** in hac aeris media regione multa notatu dignissima, inter quae nubescere **E**gignuntur, quae ex vaporibus, et exhalationibus delatis in sublime gignuntur. In quas, si quaeramus, quemadmodum induerunt sese, facile quidem est intellectu. vapores vis ipsa caloris ad se trahit et rapit, et cum tenuissimos absorbit, reliqui crassi concretique-

H 33 cogun-

coguntur in nubes, quae intrinsecus cōcavae sunt, sed in modum spongiae cavernis redundantes: quamobrem vis, et species corporum superiorū facile imprimitur, et insidet in nubibus infixa. Ob eam causam radii Solis formas varias suscipiunt, atque figuras multitudine colorum, et varietate distinctas. Rotundae vero sunt ad speciem sphaerae, cui appropinquant, extrinsecus autem convexae, quae levitate, et agilitate mirabili sunt, si a vento vehementer commoveantur, et impulsu concitato agitentur; si ventus lenis, aut lentus staverit, tardius feruntur. Neque enim tardius ferri possunt, neque celerius, quam sunt flatus ventorum, lenes aut vehementes. Sic videas cum nullus ventus fiat, etiam si caelū nubibus obductum sit, nubes stare; cum autem Boreas ingruit, spargi, dissiparique; Austro stante, vim aquarum ingentem ex nubibus effectam profluere de caelo; et ad mutationes; et ad flatus ventorum tarditates consequi, vel celeritates nubium. Nubes causam afferunt nimborum, grandinum, aquarum, alluvionum, tonitruum, atque fulgurū. Earum etiam oppositu nos a calorū molestiis, et Solis ardoribus defendimus. Atque illae, cū altitudine sua caelo ipsi inhaerere videantur, propinquiores sane nobis, ad terram propius, quam ad caelum accedunt. Quae autem species, et forma nubium? in illis formas tauro-rum, equitum, cetaurorum aspiciunt effectas. Aliae obscurae, et horridae nimis obscuritate sua noctē rebus offundere velle videntur; saepe picea plusquam deformitate, et in plumbi specie quasi, ad tonitrus, et fulgura, et ob eam causam ad terrarum vastitatem spectare quodammodo visae sunt. Quae cū ad Solis occasum, Sole nubem induente radiis in illam sese inferētib; quia tenuis est admodum, et perlucida, quia plena cavernarum, et in spongiae similitudinē, tota fulgore perfunditur splendenti, et auri splendore clarius nitet, atque coruscet. Cum manerubet, futuras aquas praedicat, cū vero occidente Sole, tranquillitatem, et serenitatem diei sequentis.

NE-

NEBVLA SEV CALIGO.

NEBVLA E, quae nubibus proximae sunt, quibus aspectus caelorum serenus, et clarus admittitur; tenuiores et subtiliores apparent; idque intellectu facillimum est, cum radio Solis facillime dissolvantur. Quae si crassae fuissent a Sole non tam facile vincerētur, et ad aquae naturam propius accedentes in nubes induerent sese, crassitudine sua frigidam aëris regionem adeptae. Sed sunt quaedam etiam crassae, spissaeque, quae ex humoribus terrenis profunduntur, ut superā regionem propter crassitudinem suam petere nequeant. Hoc caelum nebulosum, et caliginosum, et aspectu suo tetrū, ac deforme reddunt, cum tanta caligine suavitate, et hilaritate eripiant, et moestitiam terrarum sedibus inferant. Hae nebulae, cum orientis Solis interventu extenuantur, et evanescent, serenitatem prae se ferunt, et tranquillitatem; si tamen spissae, cōfertaeque cōscendant, et ad Aërem frigidū elatae, una cū vaporibus concrevant, saepe cōvertuntur in aquam.

TONITRVA.

TONITRVA aquarum vim affectum tot nubibus obductum caelum tonare saepe incipit, et fulgurare, sicut iactus saepe terrifici fulminum existit: quod fit plerunque perturbato caelo vehementi tempestate. Id temporis, quam tremere totis artibus, atque membris videtur mortales. Existit igitur tonitrus propter exhalationes calidas, et siccas, quae in nubem magnam, et a lateribus crassam, et densam includuntur. Quae cum concavas nubis partes pervagantur, et hinc, et illuc diffugiunt, ut exitum, si quem habere possint, facta perruptione reperiant, cum motu, iactationeque citata cōcalescant, nubes vero magis, ac magis frigore contrahatur, flatus

H 4. in-

incitato impetu fugere contendat, ictu vehementi in nubem impingit, eaque dividit atque dirumpit. Hinc crepitus horribilis, hinc fragor ille terrificus (quem tonitrum vocamus) ut ruere totus aether videatur. Neque id mirum est: cum exhalationes siccae in nubes intrudant sese, quas sua tenuitate, nulla difficultate pervadunt. Nam quemadmodum ligna, quae sicca sunt, cum comburuntur, concrepant exhalatione erumpente foras, lignaque stridore multo dirumpente: sic anhelitus terrae nubes pervadentes cum in nubem induerunt sese, huc, et illuc diffluentes, ejusque partem aliquam invadentes, impetu maximo dividere coeperint, atque dirumpere, idque crebrius facere et vehementius, tunc et fulgores, et tonitrus existunt. Non tamen necessarium est accendi semper, et ignescere exhalationem ad tonitrum, cum ad crepitum, et fragorem satis sit impetum in ipsam nubem fieri, collidique vehementer: neque id temporis necessario nubis deflagratio consequetur. Atque id signum est, quod, cum nubes intonuere, semper fulgores existunt, aut nubes coruscant accensarum ardore rimarum. Quin placuit Senecae, placuit Lucretio, existere posse tonitrua, nulla exhalationum eruptione et conflictu, magno nubium inter se collisu. Sed jam de fulgure.

FVLGVR A.



SATIUS erat id, quod de tonitru praediximus, ut fulgoris existentis ratio nosceretur: sed volentibus Latine agere, non satis id esse fortasse videbitur, cum de fulgore litteris aliquid mandari cupiant: quare paucis animum explebo lectoris. Paucula autem sunt ea, quae sequuntur, verba. Cum fulgur ex Aristotelis sententia nihil aliud sit, quam vapor in nube succensus, et igneo calore praeditus, haec deflagratio plerumque fit nubibus ipsis, vaporis ictu conflictuque collisis vehementer non tamen semper deflagratio consequetur, cum neque

neque semper ad ignem concipiendum materia affecta videatur. Vnde illud effici necessarium est, ut nubes non ante tonitrum semper fulgurent. Quoniam autem fulguris existentis impetus, ipseque conflictus exhalationis princeps est, & auctor potissimus tonitrus, fulgores antevertit: quamquam fulgura prius oculis obversentur. Quod non abhorret a ratione, cum sensus audiendi hebetior sit, et tardior, quam cernendi.

FVLMINA.

EX duabus facile superioribus exercitationibus colligemus, dum exhalatio sicca conatur exitum reperire, & accerrime cum nube confligit, cum deflagaverit in ipso conflictu, ardorem illum conflictu nubium expressum, sese emittentem, & projicientem foras fulmen esse. Quod quamquam natura sua feratur in sublime, si tamen nubem ab inferiore parte, qua tenuior sit, discissam perripit impetu vehementi, qua perfregit, ac dirupit, fertur in terram praecipit; neque tamen in aere statim diffluit, ac dissipatur, ut pleraeque exhalationes ignitae, tum perruptionis incitata celeritate, tunc coagmentatione ex omni parte mirifice conflata, & inter se praeclare admodum cohaerenti. Nonnunquam tamen fulmen non tanta vi nubem perripit, ut ad terram feratur, languidius enim cadit, sed in aere extinguitur.

TONITRVS , FVLGVR , FVL MEN.

Conjugamus terrores hos mortalium maximos, & quod accidit non raro, mente complectamur. Caelum nubibus obductum plurimis, et omnibus atra caligine terrificis in maximam vim aquarum affectum esse Austro flante vehementi, multitudinem ingentem aquarum delabi, praecipitarique instar montium maximorum per multum tempus, & quidem continenter, tanta vi, tamque praecipiti impetu, ut

illorum vastatio locorum horrenda mettuatur in terra. Quis id temporis non recordatur tonitrus existere terrificos magno cum fragore prope ruentis ætheris? fulgoribus micare crebris loca omnia, et aciem perstringere fulgura medias inter aquas passim obversantia nostrorum oculorū aspectui? metuere mortales jactus fulminū? et signo sanctissime Crucis crebro munire sese? vident enim mortales fulmen gigni ex vaporibus crasis, et concretis, qui in nube continentur inclusi, qui accensi contra vim gravitatemque nubium acerrime cōstigendo contendunt, ut sese foras dent, et erumpant omni vi contentioneque adhibita, donec nubium conflictu ardor expressus sese emittit. Quod quamquam perruptione facta in regionem frequenter superam feratur, non raro tamen in inferiorem deferri solet petendo plerunque montes editos, turre excelsas, aedificia maxima, et plana nonnunquam loca, tanto strepitu, et fragore tonātis ætheris horrifico, ut fremēs discessum facere videatur, et tota machina corruere velle caelorum. Inde clades rerum maximarum, terrarum vastitas inaudita plurimarum, animalium strages factae omnis generis, interitus, et ruinae turrium et aedificiorum cōsequutae maximorum. Quorū cum horribili deformitate vestigia permanferunt expressa locorum, partim adustorum, et ex ictu recenti fumigantium. Quae odoris intolerabili foeditate per multum tempus perferri non poterant, et horribili tetrorque aspectu deformata cladem testatam reliquerunt in perpetuum.

NIX.

NVNC de nive dicendum est, quae sic efficitur, ut nubes in media aëris regione, nodum in aquam soluta gelascet propter ipsius loci gelidissimam naturam. Nubes autē nivem demittens tanto plus siccitatis habet, quam illa, quae in aquam solvitur, quanto frigore vehementiore concrefcit.

Si

Siquidem frigus dum stringit, humorem elicit, et foras projicit. Mollis quidem est, et ad aquam cōparata, sed sicca magis. Quamobrem cum nivem belle cadētem aspicimus, globos te dicas densos, spissosque videre continenter ex aeris regione delabentes in terram. Quam autem candor nivis mirus, et illustris, verus, et expressus? qui in nive compressa minimeque pellucenti, permanet etiam, nec unquam amittitur. Atque id signi est nivem casuram fuisse, hyeme potissimum, vel ineunte vere, quibus temporibus, maxime frigus esse solet: cum in ipsius perturbatione caeli albescere visa est. Quae cum alii loci, tum praecipue colles editi, et montium summa juga cooperiuntur, et longo quidem intervallo, mirabili albescunt candore. Nivis (ut alias utilitates omittam) hanc aspiciunt. Nive foecundi reddūtur, et fertiles agrī, quibus diu incubuerit, cum fibris subnixa, firmataque compressu frigoris, simul ac miscere tempus coeperit, celeriter atque universa erumpunt. Quid quod frigidis in regionibus cōcrefcunt aliquando nives in crystallū? Quamobrem in iis locis, ea praecipue reperitur, quae pruinis ac nivibus rigeant. Has etiam commoditates afferūt nives, ut aestate tota tēperent nimios potus calores. Quamobrem lagenis contenta vina suavissima, veterrimaque temperantur, nec tam frigidis puteorum aquis frigesunt, et algescunt, quam nivibus stipata concretis: quas per aestatem omnem plus nimio indulgentes sibi locupletes, ac bene nummati mortales, ad corporis delicias ex tabernis aquae concretae palam constituto pretio mercantur. Itaque sicut vinariae, et aquae concretae tabernae celebrantur, cum alio, tum maxime verno, et aestivo tempore.

GRANDO.

NON solum aqua in nives cogitur, sed in gelu etiam, idque duobus potissimum temporibus, aestivo scilicet

et hyemali contingit; quamquam aliis quoque fieri, non absolum sit, neque absurdum. Cū autē existit permixta praefertim imbri subita praecipitans grando, terret animos, et vastitatem affert frugibus, vineis, et omnis generis fructibus; et saepe tanto fertur impetu, ventis eandem impellentibus, et agitantibus vehementissime, ut animalia non raro confecerit, multitudine, crassitudineque sua. Ruit enim aliquando in speciem cuiusdam, et immanis globi, crepitu, fragoreque maximo, longo spatio devoluta, aut vastior, et acutis angulis: asperior cadit e proximis diffluens. Quamquam ceciderint aliquando grandines non minores humano capite, tamen plerunque cicere majores non ruunt, quamquam multitudine ruant infinita. Quicum ceciderunt disseminare se videntur, ac diffundere latissime, et in salis morem loca omnia cooperire; donec in aquam grando solvitur, quam brevissime, multo quidem ipsa nive celerius.

GLACIES.

GLACIES ea quidem est, cum aqua frigoribus congeliat, quae in gravitate semper, et asperitate maxima hyemalis temporis cernitur in frigidissimis maxime locis, cum aqua in gelu cogitur, et propter admixtam terram constringitur, cursu naturali cohibito repr effoque. Quamobrem stagna, paludes, flumina, cum non habeamus purum, et syncerum aquae elementum, congeliare cernimus hoc gelidissimo hyemis tempore. Quae astringuntur, comprimunturque tantopere, ut tanquam continentem, fluvios, et paludes pambulare valeamus, et ab una in alteram ripam, tanquam in solido vestigium ponentes, cum conclusas, et stagnantes aquas, tum libero profluenteque cursu delatas praeterire. Ad quod gelu perfringendum, perrumpendumque non solum magna vi saepe, et omni contentione fuit opus; sed ferreis instrum-

men:

mentis, propter magnitudinem, crassitudinemque suam. Quin quaecunque aquae pauculae etiam, viis ipsis hyemali tempore consistentes, et immotae, quas faciliore negotio frigus pervadit, concresecunt; et nisi caute pedes posuerimus, vias praeterire gelu coglaciates sine prolapsione non poterimus. Quibus si pes ipse labatur, non parum suscipiet offensionis ex lapsu mortales; cum resupini saepe prolapsi occiput laedant gravissime. Sic equidem crassior, et durior interdum est glacies, quam aut caput, aut partes aliae corporis patiantur.

ROS.

CVM terra rore perfunditur, sparsam videas et perfusam humu, herbas, et flores quasi granulis argenteis distinctas: quippe qui reficit plantas, olera minimis, quae facile percipi possunt, omnia guttulis aspergendo. Quin et terram madefacit, irrigat; et elicit ex ea herbescetem viriditate; quae nixa fibris stirpium, sensim adolescit, et pingit, et distinguit agros, cum in flores evasit pulcritudine, varietateque mirabili. Sed quamquam commodet agris, obest tamen arboribus, nisi diligenter excutiantur. Consequuto enim Solis ardore, evadit in aeruginem, et putredinem infestissimam. Adde rorem, cum in visci speciem inhaereat, et insideat in herbis, nondum a Sole consumtum nocere pecori, si bibatur affatim, et profluere ventrem, usque eo quod pecora conficiat.

PRVINA.

PRVINA ex vapore gelido et humido concreta albescit, et quamquam hyemali tempore opportune cadens arvis profit plurimum, quoniam calorem in terram intimam obtrudit, quo concluso contentoque terra radices agit, atque similes nivis comoditates et opportunitates habet: tamen aliis temporibus herbas et flores, in quas decidit non marcescere

I 33 solum

solum facit, sed exurit. Quae cum roris similitudinē habeat, quae frigore conglaciavit, radiis tamē Solis exiguis evanescit, et in rorem redigitur.

DE COMETIS QUI FIVNT IN aëris regione.

VLT A quidem alia cernuntur, et apparent in aëris regione, quae maximam admirationis occasionem mortalibus afferunt, cometes videlicet multiplices, ac varii: quorum colores non veri, syncerique sunt, sed fucati et emēti. Quorum hi syncerum, et argēteum lumē referunt, alii rubro colore sunt lucis profus expertes, alii flammam praeseferunt, sed non puram, ac tenuem; quidam cruenti videntur, et minaces torvo, terrificoque praee aliis aspectu, sed cum his coloribus, tum varia sunt, dissimilique forma praediti cometes. Nā aut globosi sunt, qui comam in orbem sparsam et diffusam habent, aut in lōgitudinem protrahuntur, et barbam, et caudam appēsam gerunt. Itaque ex diversa, longeque dissidente forma dissimilibus appellatur nominibus, caudati, barbati, criniti. Qui cū exhalationibus in sublime proVectis gignantur, quandiu crassi, concretique vapores non disfluant, et evanescant, tandiu quidem illorum efficientia terribilis habetur, et formidanda mortalibus; et quocumque terrarū spectent, mali semper aliquid terrarum sedibus, et habitatoribus portendere visi sunt. Fuerunt illi magnarum praenuntii calamitatum. Quidam vehementes ventorum flatus, alii terrarum siccitatem, et sterilitatem agrorum, inopiam frugum, caritatem annonae, alii aëris intemperiem, alii morbos aegritudinesque gravissimas, catharrum, pestilentiam imminentem, alii denique perturbationes rerum publicarum, everfiones imperiorum, et summorum principum interitus praedicunt. Quae mala cum eventu saepe comprobata sint,

ea

ea quemadmodum Christianis probari debeant, Theologi ex instituto accurateque multis in locis disputarunt, nos pro Rhetoricae artibus de Cometis haec dixisse sufficiet.

ARCVS CAELESTIS.

RESTAT solum Arcus caelestis, qui inter tantam nubium multitudinem, quibus caelum obducitur, totus pulcherrimus et venustissimus aspicitur, distinctus varietate colorum, in arcus speciem et similitudinem effectus, quasi quattuor versicoloribus zonis longe lateque splendentibus ornatus. Qui ex viridi, caeruleo, et rubro colore efficitur radiis Solis in nubem, ex qua Arcus efficitur, penetrantibus. Qui cum varietate mirabili distinguatur, tum ab uno, et altero cornu adeo infimus est, ut terram humilitate sua videatur attingere, et altitudine sublimi medius in caelorum summa fastigia tolli. Quoniam autem formae vi radiorum Solis objectae, et oppositae inhaerent, et insident in nube, ruborem ignis, viriditatem terrae, caeruleum maris vestitum, lacteum aëris candorem, nubes adversa, et objecta mirabiliter infixum, et impressum ostendit, in similitudinem speculorū, quae fulgore suo res objectas,

diversorum etiam colorum varietate distinctas referunt, quasi in illis infixae, et penitus inhaerentes insiderent.



VOLATILIA.

CARDVELIS.

CARDIMVS res admirabiles, et egregias in hac aëris regione effectas; in quarum multitudine, varietateque nostri oculi libenter acquiescunt; iam aves aliquot, varietate diversas, et pulcritudine singulares, summa cum brevitate percurramus, incipiamus autem a carduelibus. Est autem carduelis avis parva, minima omnium de sententia Plinii, quae caput habet rubrū, alas luteas, albo nigroque colore distinctas, imperata facit, neque voce tantū, sed pedibus, et ore pro manib⁹ utitur. Insidet illæ in carduis, quibus avidissime vescitur, et suaviter canit. Quamobrem dumetis visco oblitis capitur, in quibus insidens haeret; et cū evolare cupit, inhaerens frustra conatur, et enititur. Nam vix inhaesit, cum pueri captum advolant, et in caveam includunt, in qua cum exitum reperire cupiat, hac illacque perstrepens alis, inclusa in cavea, dare se foras frustra contendit.

LVSCINIA.

LVSCINIA, quae alio nomine Philomena dicitur, parvo est corpusculo, colore fusco, sed mira profecto suavitate canēdi, ut uno spiritu canat, omnes persequatur sonorum gradus, qui musicae numeris, ordine, legibus devinciuntur. Nunc enim cōtinuo spiritu (ut inquit Plini⁹) trahit vocem in longum, nunc variat inflexo, nunc distinguit cōciso, copulat intorto, promittit revocato, infuscat ex inopinato, interdum et secum ipsa murmurat. Plenum, gravem, acutum, extentum, ubi visum est, vibratum, summum, medium, imū, sonum edit, breviterque omnes tot exquisitos sonorum modos,

dos, tā variam multiplicēque compositionem, ingeniis hominum invētam, eadem incredibili suavitate mirabiles harmonias efficiens, parvulis faucibus persequitur. Quamobrem audire est illam in arundinetis confidentem, edentem varios vocum sonos, & crebra mutatione sonorum plures efficientem harmonias, atque omnes tanta suavitate, ut remoretur rusticantes, afficiat incredibili voluptate, et illorum insatiabili varietate pascat animos. Cujus enim aures non impleant soni commemorati? Cum continentem vocem protrahit in multum tempus, modo variat et inflectit, revocat eandem, interdum flexionibus multis intorquet, acutam cum gravi temperat, omnia denique genera sonorum persequitur. Canonum, fuscum, leve, grave, acutum, flebile, atque omnia tanta modulatione, tantaque modorum varietate, ut nihil in aures suavius influat. Aucupes magni lucinias habent, et omnibus modis capiendas conservandasque curant.

HIRVNDINES.

Hirundo mirabili agilitate corporis, et plumis vestita versicoloribus habet speciem et pulcritudinem eximiam, nigro dorso, pectore maculis rubris distincto, et candenti ventre, tanta celeritate alarū, ut nullos avium impetus exhorrescat. Illa nuntium praefert veris ineuntis, advolans in calidiora loca, quae quasi societatis hominum amans, in illorum tectis nidos ex paleis et argilla fingit.

COTURNICES.

Coturnicum greges ineunte vere multi medium aëra praetervolantes aspiciuntur, quae non se multum a terra efferunt, sed nimis propinquae terris volant, duce, ortygo-metra. Quarum multae propter virium imbecillitatem, nisi flatu secūdo volare nō possunt, fessae defatigataeque assidui-

tate volandi; vi pennarum contra gravitatem temporis con-
tendunt, et coguntur ipso vento deficiente suos intermit-
tere volatus; quorum intermissione cum ad aquas descen-
dant, altera sublata ala in speciem explicati veli, nimios de-
fendunt Solis ardores. Cum autem a terra non procul feran-
tur, et accipitrem inimicum reformident, sibi cavent loco,
et volatus uno agmine suscipiunt, ne sui gregis ullam e cons-
pectu amittant; quam amissam sollicitae quaerunt et anxiae,
multisque querellis aëra commoventes, quaerere non des-
stunt.

ACCIPITRES.

Coturnicibus inimici sunt accipitres, qui pulcherrimi sunt
ad oculorum aspectum. Quibus aucupes utuntur ad per-
dices aucupium. Postquam enim inmissi canes perdices exci-
tarunt, accipitres sine cucullo dimissi de manibus perdices
infectantur, quas quoniam propter volatus celerrimos, cum
ipsi non velociter admodum volent, consequi volatibus ali-
quot, nisi jam defatigatas non possunt: acie tamé oculorum,
et industria persequendi nunquam illas e conspectu amit-
tunt, quoad fessas jam volando, quemadmodum praedixi-
mus, stupidas, et formidolosas unguibus injectis remorantur,
vel sedentes in excelso, aut in humili loco, aut ad arbores
adhaerentes, vel in apertis, et in patentibus campis volantes.
Ad quas aucupes accedunt, et praedam de ore, deque ungui-
bus eripiunt. Facie laeta sunt accipitres, et huc, et illuc ca-
put inflectunt, et in diversa loca conijciunt oculos, et saepe
retorquent collum inflectentes. Cum rostro sint adunca,
tum unguibus ad remiendam praedam tenacitate mirabili,
specie et colore nitido, atque mansuetudine sua valde com-
mendantur.

RSUT.

PSITTACVS.



PSITTACVS ex India defertur in Hispa-
niam, cuius totum corpus viridi colore pulcer-
rimum est, cervix inini specie, tanquam tor-
que ex auro fulgente circumdata, eximie et
illustri fulgore collacet. Tanta est rostri du-
ricie, ut cum altissimo volatu praecipit in petram, ro-
stro tanquam anchora se excipiat. Neque rostro solum, sed
capite admodum duro est, quod stylo ferreo crebro percuti-
tur, ut discat voces hominum effingere. Ita quidem mi-
rum est videre psittacum loquentem, et hominum sermoni-
bus utentem, tanquam animal rationis particeps, sed non
plus humanarum vocum edit, quam accepit edoctus ab ho-
minibus usu, et exercitatione reddendi voces acceptas.

COLVMBAE.

COLVMBAE speciosissimae sunt, et natura sua mi-
tes atque mansuetae; sed timidae nimium atque for-
midolosae: quamobrem in turribus, et in summis villa-
rum fastigiis nidos habent. Quippe quae injurias homi-
num metuentes loca summa petere consueverunt. Atque
ita sunt ad lenitatem propensae naturalem, ut violatae me-
moriā illico deponant injuriarum. Cum nive saepe can-
didiores sint, aut alio colore praeditae, tum vestitus plu-
marum mollissimus est atrectatu manuum. Atque illae
pennis mirifice inhaerentibus, et in toto corpore serie conti-
nuata mirabili insidentibus, speciem sericorum praebet mol-
lissimorum. Quam autem aspectus illarum jucundissimus est;
qui magis oculos mortaliū reficit ac recreat, si caput, et collum
varietate pennarum distinctum aspiciamus. Alte ad volan-
dum a terra efferunt sese, atque hominum societatem non
K 2 fugiunt.

fugiunt, quae domi altae sunt, et educatae, condocefactae simul ad manus, ad mensam advolant, cum domi vagantur et errant, et crebro saltu grana quaerunt, atque tollunt reperta de solo. Cum otiosae sunt circumspiciunt huc et illuc, inflectentes collum, et capitula sua venustate mirabili. Qui simplices et aperti sunt, ut nullum sciant dolum, neque machinam moliri, hos vere sincere, et columbarum sinceritate praeditos dicimus: qui omnia verba factaque bonam in partem accipiant, neque ipsis ullam fallaciam quenquam portare possunt ex suis animis aestimantes reliquos. Cum autem multa sint columbarum genera, unum domesticum, de quo praediximus, mansuetum, quodque domibus ipsis intra tecta cibo domestico pascitur; alterum etiam, quod principio descriptionis attigimus, agreste, quod deligit turre, et culmina summa villarum: cum istud propter timorem a natura insitum summa loca caperet, columbaria ad istius generis columbas fiunt altiora laevigatis, et dealbatis parietibus. In illis ex ordine crebrae sedes comparantur, ore patente, per quod introire possint, et exire, cum velint columbae, non ampliores, quam quae singula paria ad summum capiant columbarum: quae rotundae fiunt, et ad requiescendum aptae. Hae suos pullos excludunt, ad quos ire redireque videas parentes, ut illos alant, et eisdem indulgeant, nisi a corvo occisae, aut ab accipitre interceptae fuerint. Quod malum avertunt columbarii summa diligentia, qui ex pullis columbinis non mediocres quaestus faciunt, quos saginare solent, ut plures vendant.

AQUILA.

A Parvularum avium, et mediocrium volatu, ad majores accedimus, et incipimus ab aquila regina cunctarum avium. Quae rotundo est capite, ad unco rostro, magno corpore, expansis alis, volat celeriter, atque ex avibus nulla vehementius. Quae tam altissimo effertur volatu, ut vix oculis homi-

hominum videri queat. Atque ob eam causam fortasse merito est in ducum fortissimorum sepulchris statui, et inter imperatorum itemmata Romanorum numerari. Et quondam Iovi principi Deorum consecrata fuit, quod nunquam ictu fulminis conflagrare existimeretur. Cujus, ut alia relinquam, dona et munera singularia, quam illud admirabile videri debet in aquila, quod Solé intuetur adversum, ejusque radiis acies oculorum leasusque non vincitur?

PHOENIX.

AQUILA non inferior est Phoenix, nec minorem efficit admirationem magnitudinem adaequans aquilae. Collum auri fulgore collucet, reliquum corpus totum est purpureum, qui cum caudam habeat pulchram et elegantem, tum purpuream, et roseis penis distinctam. In summo capite plumarum venustissimus apex eminet. Nunquam homines vescentem viderunt. Cum multos annos vivat, extrema jam senectute nidum fingit, et construit ex casia, thureque fragranti, et quam mollissime substernit, odorum multa suavitate complendo, et in eo moritur summa cum suavitate. De cujus ossibus, ac medullis effingitur forma vermiculi, qui postea paulatim evadit in pullum, et ille principio iusta funeri priori perfolvit.

CICONIAE.

PHOENICI proxima describatur Ciconia, quae praenunciat temperiem, et amoenitatem veris ineuntis. Nam vim, et magnitudinem frigoris cum ciconiae perferre non possint, maria praetervolantes, calida loca petunt: strepitu multo, quem rostro longissimo, et clangore alarum efficiunt. Videre enim est eas collorum proceritate, et rostrorum mira longitudine, quae prompta sunt, et expedita ad percutiendum res objectas, aut sibi contrarias, incredibili duricie ad ictum non

non infligendum solum, sed ad vulnerandum etiam. Illae crucibus sunt, et unguibus pro ratione rerum ad quas creatae sunt. Quotopere societatem hominum appetant, nidi, quos in summis fastigiis tectorum, et in turribus templorum cellissimis construunt, facile declarant.

GRVES.

AD sint statim Grues, quarum volatus mirifice describit Cicero. Quae cum loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficiunt. Eius autem summo angulo aer ab iis adversus pellitur, deinde sensim ab utroque latere, tanquam remis, ita pennis cursus avium levatur. Basis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tanquam a puppi ventis adjuvatur; eaeque intergo praevolantium colla, et capita reponunt. Quod quia dux facere non potest, quia non habet ubi nitatur, revolat, ut quiescat etiam. In ejus locum succedunt ex iis, quae acquieverunt. Eaque vicissitudo in omni cursu conservatur.

MIL VVS.

VO restant ex diurnis volatilibus, Milvus, et Corvus. Et imprimis potuimus animadvertere. **D**um milvum aera praetervolantem, expansis alis, nunquam non terram despicientem ad praedam faciendam. Ad quam priusquam se demittat, circumvolare solet, et sublimi, demissoque volatu, nunquam quasi erratico observat opportunitatem praedandi. Quoniam autem sibi timor a natura insitus est, ex avibus ille siluestribus praedas facere consuevit, praecipue tamen invadit in pullos vagantes, et errantes domi. Quos cum nancisci non potest, quoniam famelicus semper est, ad famem explendam, in cadaverum carnes foetidas se abjicit devorandas.

CO-

CORVVS.

IVRE quidem suo Milvum Corvus sequatur, qui bellum inter se gerunt intestinum, odore naturali semper flagrant. Quem quis mortalium non agnovit, colore nigro admordum, et pice ipsa deformiore, plumis ex omni parte nigris obductum? Unguibus est, et immani rostro, quibus armatus bella facit avibus inimicis, et ab illarum impetu se tuetur, atque defendit. Saepem quacumque volat corvus foedissimus diffusionis, et horrendis clamoribus, mutatione varia, et diversitate fere sexaginta sonorum omnia commovet. Quem de locis altissimis ad praedam faciendam insidiantem videbimus, et foedam, atque deformem in sterquilinia, et in loca plenissima sordium se dejicientem, ut cadavera horrida et male olentia invadat, et de illis praedetur ad se, et ad suos pullos alendos. Hos alere nunquam incipit, nisi cum pili videtur oboriri nigri, interim ope roris caelestis ali dicuntur. Avis augurii quondam erat, et sacrata Iovi. Corvi cum tauris, et asinis confligunt, et bellum sibi ipsis infestum suscipiunt impetendo se ipsos, et percutiendo certatim armis, quibus a natura muniti sunt, unguibus adeo rapacibus, et alarum ictu vehemente frequentique.

DE NOCTVARNIS VOLATILIBVS.

NOCTVA.

TRES dumtaxat nocturnas aves numerabo; et omnibus notas vespertilionem, noctuam, et papilionem. Noctua claritate lucis offenditur, neque Solis splendorem videre potest, noctis tenebras, et atram amat caliginem, sepulchra frequentat, et incolit, in parietibus, et in rimis nidum construit suum. Quam foeda est atque deformis facie, illa semper simplicitudine, et vastitate oris, hanc horridam naturam insipientis incis, habere et obtuso suorum oculorum aspectum, sed et infestam reddit.

VESPERTILIO.

QUAE ADMODUM Noctuae, sic etiam vesper-
tiliones claritate lucis offenduntur. Qui in noctis te-
nebris, et caligine, stridore multo perstrepunt huc, et
illuc involantes similes muriū, sed tenuissimis brachiorū mē-
branis suspensi, in speciem volantiū quadrupedum prouunt,
et passim offendunt luce carentes oculorum.

PAPILIONES.

VESPERTILIONIBVS, et noctuis adjungan-
tur Papiliones noctis tenebrarum amantes. Qui sunt
admodum imbecilles, et infirmi viribus. Idem de nocte veni-
re solent, et in cubicula, quae fulgore lucernarum illustratur,
ingressi, cū huc et illuc volitent, ala perstrepenti mul-
to clangore, quas tenues, sed latas habent, in
lucernas invadentes ardore flamma-
rum exuruntur. Atque saepe
accidit exustas in ter-
ram cadere.

(S)



TOPOGRAPHIAE

LIBER TERTIVS.

AQVA.

STATIM sedem habet infra aërem
aqua. De qua si pro magnitudine multi-
tudineque suarum utilitatū dicturi fuiss-
semus, longiorem quidem superioribus
exercitationem suscipere potuissimus:
sed ad superiorum rationem, aquarum
opportunitates, et comoditates, cū om-
nes dici non possint, brevioribus termi-
nis circumscribamus. Et a forma initium faciamus, quae non
parum dignitatis tribuit huic elemento. Deus enim ea forma
aquam figuravit, qua una reliquae formae elementorum cō-
cluduntur. Globosam enim et rotundam formavit, qua for-
ma negat ullam esse pulcriorem Plato. Idque liquido constare
potest communi periclitatione perceptum. Nam primum
dependentibus ubique guttae, parvis rotundantur orbibus; et
cum in pulverem delapsae sunt, continuo coguntur in orbem.
Cum etiam frondes asperguntur aqua, guttaeque in flosculum

L lanu-

anni partem his derivationibus indigentiam, et siccitatem sublevari non ignoramus. Notum est quod de Nilo veterum annalibus traditum est, singulos annos illum redundare, cumque oblimatos, et ad ferendum affectos agros reliquerit in alveum se suum recipere. Hinc flores arborum, folia, et fructus omnes. Hinc incredibilis multitudo rerum et varietas, quibus humana vita alitur. Hinc ubertate mirabili pascula capeffunt animantes, et in summa quasi luxuria diffuunt, ilia complentes, infarciensque sua. Atque aves ipsae ad stagnantes palustresque aquas, ad rivulos abluturae capitula venustissima deiciunt, et praecipitant sese. Apum examina fingendorum favorum causa ad rorem matutinum hauriendum, quae pars est istius elementi non contemnenda, in campos ab albenti caelo prodeunt. Nullum animal est, neque particeps rationis, neque expers, nullum avium genus, quod aqua ad alendum sustentandumque se ipsum non indigeat. Cum vero non pluit, in quanto moerore jacemus? quas supplicationes decernimus? quot in popa divorum imagines, et Christi Iesu simulachra proferimus istius aquae impetrandae causa? terra quoque ipsa quam deformis est, et horrida? quam sterilis et squalida? moerent agri, squalent colles, motes praecelli lugent, praedia, possessionesque riget, siti diuturna arefcunt, et intereunt omnia. Atque ipsa animalia macie torrida, omne genus armentorum, pecudes ipsae tabe consumuntur. Quae cum absumtae, confectaeque videantur, aut de repente fame enecantur, vel jacent fremitu multo loca deserta complentes omnia. In urbibus etiam quanta fames? qui morbi? quae pestilentia grassatur? quanta annonae inopia? quam inaudita caritas? dici non possunt pro magnitudine aquarum utilitates. Vel florent omnia cum aquis, vel deficientibus arent, et squalent plane; et omnis generis animantium, et volucrum aut vita sustentatur, aut aquarum inopia perit. Cum autem homines in morbos graves incidant, quam salutare aquae sunt ad aegritudines, morbosque depellendos? Mitto balneas non

fordiū corporis dūtaxat eluēdarū, sed valetudinis etiam perditae recuperandae causa desideratae. Praetermitto illa, quae nemo est, quin plane verissimeque testetur. Aquas has nervis prodesse, pedibus, aut coxedicibus, alias luxatis fractisque, alias exinanire alvos, alias ulcera sanare, multas capiti, auribusque mederi speciatim. Quam illud passim jactatur valere fontes nonnullos ad emittendos calculos, vel intus altos, contentosque ad nihilum redigendos? quot aquae memorantur admiranda celebritate, quibus epotis ad insaniam adacti in veterem metis sanitatem redierunt? pleni sunt libri, plenae antiquorum historiae, plena nostrorum hominum monumenta. Neque quicquam magis consignatum litteris omnium gentium ac nationum, omni memoria nostrorum parentum, vel antiquorum, quam aquas diversis in locis plurimas maxime fuisse celebratas, et propter suas utilitates confirmatas observatione diuturna ad morborum diversa genera ex humanis depellenda corporibus. Ut siue sint incolumes homines, siue morbis tententur gravissimis, aut periculose aegrotaverint, aquarum multiplici praestantique virtute semper indigeant. Quae usque eo valent, et efficientiam habent maximam, ut aquis in ignem coniectis incendia restinguamus. Urbes cum ab hostium incursionibus, et omni oppugnatione liberatas volumus, atque defensas, aquarum effusionibus, quibus retardatur hostes, et si longius processerunt fluctibus obruntur, tutas, inexpugnabiles, et magis, quam moenibus, et omni vallo septas habemus. Quod si volumus divitiis affluere civitates, si rerum omnium, quae necessariae sint, ad victum, et ad delicias hominum, in illas comportationem, et ex eisdem exportationem fieri earum, quibus abundaverint, propinquiores fluminibus civitates, per quae ad mare datur accessus, maxime semper opportunas, et rerum omnium abundantia affluentes praedicamus. In his praecipue viget mercatura quaestuosissima, et merces fluminibus per maria delatae invehuntur, in urbes fluviorum opportunitate laudatas. Quod salem

factum, aut genitum tot diversis modis, sed duplici de causa coacto humore vel siccato fuisse scimus; quod minutum factum, quod glebas ex marinis aquis sponte concretas spuma in extremis littoribus et scopulis relicta novimus; quod alias differentiis, et dissimilitudinibus salis accepimus lacubus vastissimis sale aestuantibus, aut extracto de lacu sale, deinde solis ardoribus excitato; quod denique celebramus maritimis aestibus vim copiamque salis maximam quotidie factam, et constructos salis acervos ad collium similitudinem, qui postquam Sole, Lunaque induruerunt, nullo humore liquecunt, vixque etiam ferro caeduntur: aquae materiae praebent ipso mari in terram influente, aut aquarum ad salem conflandum natura appositissima. Cum aquae in rorem, in nivem, in pruina coguntur, quantis illae sunt utilitatibus praeditae? Cum sub imis terrae visceribus crystallus confietur eximio candore pellucens, quanto in pretio et aestimatione habetur; ut ad res sacras, ad cruces adhibeatur? pretiosissimis emblematis de collo suspensa muliebri, quam habet speciem et venustatem eximiam? quid tam admirabile, quam valere rem aliquam, ad gemmas, ad pretiosos lapides procreandos? At flumina commemorantur, unde piscatu uniones, smaragdi, gemmae maximi splendoris, et aestimationis extrahantur, et in multis Indiarum partibus, multorum redditus et quaestus uberes abeunt in piscatione huiusmodi. Quid magis commemorandum, quam aquas ferre metallorum omnium pretiosissimum aurum, et auri plurimis arenis eximio fulgore collucetibus profluere? pervulgata sunt flumina, et poetarum carminibus magis celebrata, quam ut a me de industria commemorari debeant. Satis nominis, plusquam huiusmodi fluvii mea praedicatione consequentur, obtinuerunt. Nec profecto necesse est, aliquem a me nominari, neque in Indiis solum tanto intervallo distantibus, maximeque remotis, sed in Hispaniae nostris finibus, et sedibus propriis, valdeque Tagi celebritate, commendatis. Sed quid tantum temporis infumo in auro aquarum

rum

rum virtute procreato, in superioribus fluviiis celebrioribus, cum infra terram suis imis in visceribus, sic in quacunque terrarum parte lateat abditum et abstrusum, ut sine aquarum praesidio gigni non possit, neque conflare: et ubicunque auri fodinae reperiuntur, notae sint aquarum et vestigia salis expressa? Quod autem de auro ad aquarum laudem, de argento similiter praedictum etiam putatote. Quod si non has commoditates auri, non quaestus gemmarum uberrimos aquae mortalibus afferreret, et attulissent quotidie, quia tamen navigationes dantur, et ad investigandum aurum, gemmasque, quia navigiis fluvios, et maria latissima transmittimus, et in optatos Indiarum portus perducimur, magna quidem laude semper a nobis afficiendae fuissent aquae. Testis est divus Ambrosius, qui tantis laudibus mare tollit in caelum, et illud multis nominibus, et honorificentissimis afficit. Appellat enim hospitium fluviorum, fontem imbrium, derivationum, aluvionum, invectionem comitatus, quo disiectae gentes conjunguntur, quo praeciorum pericula remouentur, quo barbarorum hostiles manus continentur, quo furor et tyrannus coercetur. Quod fert opem in desperatione summa, adest in periculis maximis, delectat homines, valetudinem constituit, depellit aegritudines, disiectos conjungit, detrahit sollicitudines, itinerum praebet compendia, vestigia pendit, alit in sterilitate, in annonae caritate subleuat. Illud pluvias transfundit in terram, cum ex maria aquae Solis radiis hauriantur, et quidquid tenuitatis habet in sublimi fertur, deinde quanto sublimius tollitur, tanto magis nubium ipsarum umbra frigescit, et imbres coguntur. Quod non solum terrarum temperat siccitatem, sed agros siti diuturna arefcetes foecundos reddit, et fertiles. Quid enumerem insulas, quas velut monilia mare sortitur ad speciem et pulcriorem ornatum: in quas qui se abdiderunt, et huiusmodi saeculi voluptatum illecebris, et cupiditatum lenociniis nuntium remiserunt, et in abdito, et occulto quasi tenebrarum loco jacere


voluerunt temperantiae quidem, et moderationis appetentes, et cum inani gloria, cum vana jactatione in oculis, et celebritate civium verſandi, jam infeſta in omne vitae tēpus declarata voluntate. Eſt igitur mare magiſter temperantiae, cultor continentiae, gravitatis fuga, portus quietis, tranquillitas vitae, ſaeculi iſtius parſimonia, tum cultoribus chriſtianae fidei ad ſenſus rerum divinarū maximos ſtimulus et incitamentum maximum. Vt cum undarum leniter alluentium grato murmure certet cantus pſallentium, plaudant inſulae tranquillo fluctuum ſono delinitae, et ſanctorum modulationibus allectae viciffim concentus divinarum laudum mirificos tollant in caelum. Haecenus divus Ambroſius. In hunc modū alii ſacri doctores, et omni conſummata ſanctitate cumulati patres: qui ex ipſo mari ad animorum jucunditatem, ad divini numinis gloriam, voces innumerabiles, plenas religionis, plenas ſanctitatis caeſti ſpiritu afflati miſerunt. Iam vero, cum non mare ſedes dumtaxat ſit, et domicilium aquarum, ſed innumerabiles fluvii, tot fontes, tot ſtagna, tot rivi, tot putei, tot paludes, tot venae infra terram abditae. latentefque, quae pluviae aquae ſuis temporibus de caelo labuntur cum in ipſo ſint etiam cryſtallino caelo, atque omnes aquae multitudine innumerabiles, locis infinitae, ſalubritatis, et omnis generis commoditatibus abundantes, denique affluentis vi, et copia multa auri ſplendentis, et modis omnibus ad pietatis, et religionis ardorem animos hominū excitantes, quid eſt, quod aquarum magnitudinem, et praetantiam non laudemus, extollamus, et admiremur? at non profert eſcas mortalium generi, quemadmodum terra, quemadmodum etiam aër: Coiſſe quidem videtur inter ſe tellus, aër, et aqua, ut terra carnes, aër volucres, aquae piſces ferat ad victus hominum neceſſarios. Quanta enim eſt piſcium varietas? alios fluviales, alios lacuſtres, alios marinos, ex his teſtaceos, aut cruſtatos, turbinatos, cetaceos, cartilagineos, molles denique. Inter hos, ut innumerabiles omittamus, Acus, Alburnos, Aloſas, ſeu

ſeu Clupeas, Anguillas, Auratam, ſeu Oratam, Araneum, Cancrum, Cochleam, Congrum, Halecem, Muraenam, Lucium, Mullum, Oſtreum, Polypum, Rhombum, Sepiam, Soleā, Thynnium, Gladium, et Delphina, Balaenam, Cete, quis tam ignarus humanae conſuetudinis nō audivit? quod ſi luci, ſilvaeque ferunt animalia, quis eſt, qui neſciat, cum multa marini generis aquae ferant, ferre etiam eaſdem plurima, quae terreſtrium figuram exprimunt ut vitulos, locuſtas, cicadas, atque adeo, quae humanam ſpeciem, et elegātiā aemulantur, ut Syrenes. Hae virginis venuſtatem, et pulcritudinē ore ſuo referunt, toto etiam peſtore muliebri figura praeditae ſunt, candore eximio, et coloris ſuavitate naturali, nullo fuco, neque pigmentis illitae, fulgore capillorum aureo ſpeciem muliebrem aemulantes finguntur, tanta dulcedine canendi, pulſandique lyras, et alia inſtrumenta muſica, ut qui ad oram littoris Hetruſci (quas partes, cū integram, et inviolatam virginitatē ſervare conſtituiſſent, incolendas delegerunt in perpetuum), navigaverint, aureſque faciles, et vacuas praebuerint, eos ita cantu demulcebant, ac retinebant, ut nunquam poſtea de reditu in ſuam patriam cogitaverint, ibique conſenerint, et ſuum obierint diem. Atque cum paludes ranas ferant quarum cruribus conditis ſumma cum ſuavitate veſcimur: quid de tanto tamque multiplici piſcium genere dicendum erit? denique manu, et arte mortalium inſtrumenta facta non aquis adumbrantur ſolum, ſed etiam plane referuntur, ut gladius, ut ferra. Quamobrem nō video cur aquis primas inter elementa, ſi rerum aequi aeſtimatores velimus eſſe, non deferamus. Cernere eſt aquas omnibus elementis imperare ſumma cum dominatione, terram morigeram, aërem obſequentem, ignem virtutis expertem. Quae tellus tam ſtabilis, quae ſaxa tanto robore unquam fuerunt? vel quae civitates tanta firmitate aedificiorum ſteterunt, quas non aquae abſumere poſſint, et exedere? univerſus quondam orbis terrarū aquarum alluvionibus vaſtatus fuit atque deſertus. Proſice la-

pidem in fluvium, demergetur quidē statim in profundum. Ignis excitetur, et in sublime feratur, et omnia quacūque impetum fecerit, flammarum ardore populetur, aqua in ignem coniecta flammae continuo quaelibet ardentes, accensaeque restinguentur. Sedem habet aēr in sublimi, sese in sublime ferūt aquae, et sedem aēris sibi praeripiūt, et in nubem coactae, nubis quasi spiritū vitalē strangulātes, impetu, et fragore saepe decidunt, et labuntur in terram, sede sua libere prohibētes id tēporis aērem perfrui, et cū tonitru quasi ruentis aetheris, crebro fulgore coruscante, et non raro jactu fulminis terrifico: ut aquis omnia cedere videantur, et illae tanto cum strepitu, et ostentatione summa magnam in reliqua elementa dominationem habere. Sed satis de aquis dictum est generatim, nunc speciatim, mare, flumina, fontes, rivos, torrētes, stagna, paludes, quaeque in illis continētur, quaeque ad navigādum hominum ingeniis inventa sunt navigiorum, et triremium genera, vitamque navigantium ostendamus, et singula quidem suo ordine sigillatim describentes.

DESCRIPTIO MARIS

sedati.



QUAMVAM mare res sit violentissima, tamen non illud modo sic a me statuēdum est ante vestros oculos, ut vi ventorum turbetur, et agitetur; sed pacatum atque tranquillum. Cujus quis magnitudinem, et immensitatem, quis illius pulcritudinem et specie universi, quis multitudinem et varietatem insularum, quis amoenitatem orarum et littorum, quis genera, quae continent, tam disparia, partim submersarum, partim flui-

fluitantium, et innatantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inhaerentium non admiretur? Ipsum autem, quam immensum, et quam profundum est, quasi cavernis quibusdam sustineatur, terram universam appetens, et littoribus claudens, ut una ex duabus naturis conflata fuisse videatur? interdum tam multa malacia est, mirabilique tranquillitate, ut nulla nec minima videatur aura commoveri. Imprimis colore est fere caelesti, prospicitur radiis Solis perstrictum albescens, et a Sole collucet, ac vibrat, rutilo, et argenteo nitore stellarum. Quam longissimum, et vastissimum est zonis innumerabilibus, aliis longissimis, et directis, aliis inflexis leviter et intortis, plurimis arcuatis atque venustioribus distinguitur: ex quibus fluctus infiniti nascuntur, et efficiuntur. Qui cum sese diffundere volunt, et partes, in quas influere cursu recto, vel transverso debent, appetendi tempus est, quasi participes rationis in morem hominum, qui sensum, et humanitatem habent, vires retrogradiendo sumere visi sunt ad cursus velocissimos, et ad suos impetus faciendos celerius, postea spargere sese, latissimeque diffundere incipiunt fluctus innumerales, alios alii consequentes. Quorum hos antecedere, alios insequi videbimus, omnes incredibili velocitate, quasi vi omni, rationeque contendentes properare, et accelerare, quo profluere naturali cursu necessarium est, et ferri sua semper concitata rapidaque celeritate. Hic quem non adducunt in magnam admirationem praecipites, et incitati cursus fluctuum maritimorum? hi, quasi de praeeundo, et celerius de suo cursu conficiendo decertarent, modo disparēs, interdum aequabiles aspiciuntur, aliquando alios alii nanciscuntur, saepe se commiscunt atque confundunt, saepissime praetereunt, et antecedunt: qui a tergo relinquebantur, brevissime videntur anteire, quasi se vinci superarique non patiantur a sui generis fluctibus, atque dum inferiores maneant, quasi sensum

haberent, pudore afficiantur. Omnes cum spumas maximas agendo, propter littus, aut in scopulos aliquos illam vim suam incitatam, ac praecipitem frangunt, quantus fremitus, ac fragor horribilis exauditur? putabis in quae incurrunt, et quae loca finitima sunt, velle suo absorbere fremitu. Sed inter hos tantos fremitus, ac dissonos fragores ea res mirifice delectat, et pascit aspectum oculorum, cum ex colore caelesti fluctuum maritimorum, et ex candido, quem albentes spumae conflant, picturae nitidae, et illustres adumbrantur, quasi manibus hominum elaboratae, artificio mirabili pictae, multae intortae, inflexae ad inflexionum speciem, quibus collaria subocularum torquentes plurimum adolescentis nostri temporis utuntur: quae suis ornatae funiculis intortis, varie multipliciterque terminantur. Cum vero compressus, illisulque fuit impetus fluctuum illorum, qui sese supra dicta ratione fregerunt, a lateribus, et a tergo sese reciprocare videtur, atque unde defluerunt, eo quasi sensim ac leniter remeare in similitudinem diffusi tabulae politissimae. Atque ex utroque supra dicto colore peristromata quaedam ad nostrorum speciem sericorum duplici colore distincta efficiuntur; adeo venusta, adeo polita, ut neque artifices peristromatum texendorum venustiora perficere potuissent. Ars enim in illis cum natura certat, et quam ex nihilo opifex et architectus rerum omnium Deus operare valeat admiranda fabricari, et nostrorum manus artificum, solertia, et ingenium his simulatis et adumbratis operibus obscurare, etiam in maris fluctibus perspicue declaratum est. Illud addam ad tantae absolutionis laudem, ut ex eadem specie coloris utriusque forma quaedam atque figura columnarum maximarum similitudinem horum peristromatum consequatur: quae semper admirabili volubilitate ad tornatiliam rationem instrumentorum sese circumferunt atque provolvunt, donec paulatim evanescentes multiplici conversione formam rotundam amittunt. Quis haec intuens, non laudet Deum immortalem, auctorem summum et praepotentem Dominum

Ocea-


Oceani, in quo tot res tantopere visendas, animadvertendas adeo, commendandasque semper mortalium oculis objecerit? quoties fluctus contrahuntur, ut globi videantur maximi, tam rotundi, tam volubiles, ut in eis effingendis artificis solertia videatur elaborasse? denique ut plurima paucis perstringam, et contra hanc hujusce vela descriptionis, in ipso fluctuum maritimorum concursu species quaedam, et adumbratio humanorum visa est oculis adesse spectaculorum. Ita primum et a lateribus, aliis alii fluctus objecti et adversi videtur occurrere, et quasi seipsum expectando, aut accelerando velocissime, ut primum concurrant, et committant praellium, et coeant, atque jungantur, deinde ad speciem saltantium commisti profluere visi sunt, et cum sese collidunt, atque frangunt horribili fragore, quasi victoria exultantes fremere coeperunt, et remeando in medio mari diversis in partibus fluctuantes huc et illuc se jactantes et agitantes mirabiliter, transversos, rectosque, quos concursus facere? quam se jactare? et ludorum speciem praebere Trojanorum admirabimur? Plurima de his dicerem, sed multa restant adhuc in hac jactatione fluctuum et agitatione volubili. Cum enim intra duodecim horas in Oceano aestus accedant in concavas speluncarum altitudines, has exesas in recessu relinquunt, et puteos latissimos, plenissimos aquarum, in quas innumerabilis vis, et multitudo piscium suis nativis in testis delitescens manibus capitur. Quid commemorare voluptates, quas accipimus in littoribus inambulantes? quae cum in aestibus fluctibus cooperiuntur, illis recedentibus littora relinquuntur aperta, et patentia, et valde picta cernuntur, et elaborata multis laqueis, et picturis venustissimis, et quamquam recentia, et mollissima videantur propter aestus nunc proxime recedentes, quamquam etiam fabulosa sint, ita tamen haerent penitus, et obdurerunt, quasi fuissent opere sigillino, ut tanquam in arido possimus esse, et quasi in strato lapidibus viridario inambulare, nullo metu in haerenti in luto. Atque in ambulantes in littore oceani colligemus

M 3

mul-

multitudinem, et diversitatem lapillorum, qui relictī sunt in aestuariis. Conjiciamus huc, et illuc oculos, retorqueamus etiam, demittamus corpora, colligem⁹ alios, et alios lapillos. Quae multitudo concharum? quae earum etiam magnitudo? quāta aliarum exiguitas? omnes ut lineis distinctae extrinsecus, et intrinsecus, cādido, caeruleo, vel argenteo colore praeditae? quanta vis lapillorum? quot species atque figurae? illi fabas referunt, alii coralia vivis coloribus effingunt: tibi species, et adumbratio granorum, et amygdalarum, quas pistor dulciarius saccharo cōdire solet, admirabiliter efficta: ut cum adumbratarum, et verissimarum involucrum cuiquā obtulerimus, is quidem veras, et simulatas dijudicare nesciat. Quā multi lapilli nitidi nimis, perlucidique candore eximio nobis occurrunt ad speciem vitri clarissimi, multi colore rubro, aut coccineo, vel ruffo, maculis distincti variis, et ad operis Mosaiici similitudinem? Sed cum classes quotannis solvāt ad Indos, cum passim navigia solvere, portū alia sciamus appellere, plurimis totum sulcari, et exarari mare, neque navigationis ullum a tergo vestigium relinqui, non paucas in aequore esse naves, appulsus harum, aliarum profectio, reliquarū cursus, quantam nobis voluptatem afferunt? hac voluptate nihil potest esse jucundius, nihil laetius. Quid si adjungas oras, sinus, portus, littora, insulas, urbibus, tectis, arboribus, silvis, et nemoribus distinctas?

CONCHAE MARINAE.



QUONIAM cursim, et quasi raptim de conchis in littoris laudatione mentionem fecimus, littus repetamus, et in illo saepius inambulare quasi videamur. Et cum occurrerit nobis copia concharum, et varietas, jucunditas, et elegantia mirabilis, admirabimur profecto naturae foecunditatem,

Q. mi-

miramque, ac multiplicem in procreandis omnibus conchis speciem ac formam. Admirabimur tantam varietatem, tot colorum differentias, tot figuras, planas et concavas, longas, lunatas, in orbem circumactas, dimidio orbe caesas, in dorsum elatas, laeves, rugatas, denticulatas, striatas, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato, modo dissimilitudine virgulata, crinita, crispata, cuniculatim, pectinatim, imbricatim undata, cancellatim reticulata, in obliquum, in rectū extensa, praedensata, porrecta, sinuata, brevi nodo ligatas, toto latere connexas, ad plausum apertas, ad buccinum incurvas. Sed cum distinctione testarum conchae dijudicentur, in hac tanta differentia, jucundaque dissimilitudine quaedam testae sunt ad undarum sese attolentium similitudinem distinctae, aliae aliis insident imbricum modo, quae conchae dicuntur imbricatae. Sunt etiam striatae, quae testis constant multū cavis, et in dorsum multum elatis, rotunditate quadam mirabili, foris striatae pectinum modo, totoque in circuitu ferratae. Atque harum striatarum quantum est discrimen? cum praedictae simplicibus lineis ab uno in alterum latus ductis, atque transversis notentur; aliae virgis latis tanquam fasciis transversis ornentur. Quaedam etiam sunt striatae ad ovorum similitudinem, caeteris longiores testis multum cavis, canaliculis parū profundis, et aliquot lineis notatae similiter transversis. Non sunt etiam echinatae conchae, similes pectinis, hirsutae, Echinorum modo, testis admodum concavis, striatis et incisis incircuito? in harum Ostris sive Exochis eminent aculei frequentes et incurvi stas intervallis disjuncti, qui si crebro attritu et maris jactatione, vel quacunque vi tollantur, notas sui relinquunt expressas. Aliae sunt conchae, quae duabus magnis, et longis cōstant testis, valde spissis, et rugatis admodū, quae colorū varietate distinguuntur, in ambitu rubēt, mediae albescūt. Aliae sunt etiā longae, quarū testa alba est et aspera, et lineis multis, et diversis distin-

ta; qua parte replicatur, foraminibus est plena, singulari ordine dispositis. Aliae sunt conchae rubrae, coralii plane species quaedam et adumbratio, unde coralinae dicuntur: quae externa testarum parte pectinem referunt, sed nullis striis decoratae, sed lineis tantum asperae, tuberculisque quibusdam inaequales, intus mirum in modum laeves, candidi marmoris colore. Quot vero sunt lineis multis, et elatis, et transversis semper ductis rugatae, testis valde spissis, intus laevibus, et argenti splendore collucentibus? in quarum summo Apophyses vicissim recipiunt, et recipiuntur, tanto vinculo constrictae, ut dentes te dices intueri pectinatim coeuntes. Hinc laminae, et frustra dissecta, vel ad sacrarum precum sphaerulas vel ad dentis scalpia venusta satis conficienda. Quot non ab imo ad summum lineis ductis nitent, sed ab uno ad alterum latus veluti rugis sparsae, et sine ordine atque modo? harum quaedam imperfectae sunt, quaedam in mediam testam accedunt; quae non intumescunt, neque efferunt dorsum, sed depressae sunt ad colorem lividum accedentes. Quot cum parvae sint, testis aspiciuntur spissis et depressis, lineolis multis et admodum variis distinctae, unde variae nuncupatae sunt? an vero conchas Rhomboide figura praeditas ignoramus? vidimus, aut audivimus alia concharum genera, in quibus sive testam, sive colorem, sive lineas intueamur, omnes aspectu sunt, et mortali animadversione dignissimae. In quibus primum intueri licet testas partim laeves, partim asperas, duras, marmoreas, deinde lineas plures, aut pauciores, et rectas, vel obliquas, vel transversas, et has a summo in imum usque perductas, vel medium non ultra progressas, in medio quasi itinere deficientes, vel ab uno in alterum latus, certo quodam vel nullo ordine disperse signatas, aut in illarum locum virgas, seu fascias earum similes, quibus puellae locis aliquot capillos redimire solent: et ex cochis non omnes eadem longitudine vel brevitate, sed has parvas, illas longas, alias mediocres, multa dissimilitudine varietateque distinctas, et dissimilem formam atque figuram in

inducentes. Quid dicam de varietate colorum, cum partim flavescant, partim albae sint, intus totae violaceae, aliae sint argenteo colore, splendoreque maximo in interiore parte, foris non nihil flavescant? Aliae partim purpurascere, quaedam lacteo colore videntur. Aliae candidis marmoris varietate tanta distinguuntur, ut partim albescant, partim flavescant, et violaceae sint, plurimae nigricent. Quid quod aliae plumbei coloris speciem referunt? Sed quid differentias, et innumerabilia concharum discrimina numerare tento, cum ex generibus turbinatorum multiplicem, et admirandam varietatem minime proficere valeamus? Turbines sunt, qui in longiorem, et acutiorem verticem desinunt, qui longi sunt, et magni, multisque voluminibus constates pro corporis crassitudine, margine spisso, et aspero, testa alba, lineis, tuberculisque multis scabra, et aspera. Alii sunt minores, qui a tuberculis multis tuberosi dicti sunt, superioribus multo breviores, sed longi tamen, tenues, et in mucronem desinentes. Quorum alii sunt albi, alii nigri, quadam varietate distincti miranda: nunquam tamen ultra pollicem ipsius crassitudinis. Aliae sunt turbinum species longae, tenues, acutiores, laeves, aliae inaequales, tuberosae, scabrae, virgatae. Aliae sunt angulatae, quae testae volumina ita disjuncta habent, ut mediae angulos efficiant, in inferiore parte in turbinem angustentur, superiore in longum, et acutum rostrum desinant. Muricati sunt etiam turbines, qui quamquam aspectu suo buccinum ante oculos statuunt, tamen a tuberculis multis brevibus quidem, et obtusis nomen acceperunt: superiores intumescunt, interiores testa purpurea sunt, foris albescunt, veluti calce illiti. Iam vero turbines aurati quam pulcrum habent speciem, et elegantem, quorum volumina tuberculis extantibus, pulcro ordine dispositis distincta sunt? Horum imaginem imitantur aurifices in urceis formandis addita basi ad urceorum absolutam perfectionem. Alii sunt qui protenduntur in longitudinem mirandam, voluminaque scabra, et veluti striata

ta habent. Turbinés trochi consequuntur, qui sive parvi, eū a superiore amplaque parte statim in acumen breve delinant, sive longiores, omnes laeves sunt, et vari: quorum testa veluti crustis duabus cōstata videtur. Externa minus nitet, quae subjacet, unionum est splendor. Trochis nō inferiores sunt Cochleae. Quae quot, quantaque formas induunt? Omittamus alias. Haec rotunda est, et testa intorta, et magna admodum, quae ad aquarum haustus valet plurimū: quā aurifices additis ansa, et basi in vascula formant elegantia, venustateque mirabili. Margaritifera vulgo dicta est, quoniā unionum colorē referat, et splendorē. Ex hac in frustra dissecta imagūculae, globuli ad sacras preces adhibendas, monilia quoque conficiuntur. Sed quoniam cujuscunque generis, sicut, et cochlearum multiplices formas quenquam velle persequi longum esset, reliquarum figurās ex harū descriptione petamus: dummodo meminerimus ad omniū fere cochlearū formas exprimendas illud valere plurimū, si rotundas consideremus, et testas earum uno, vel altero, vel diverso colore: tū ex quibus factae fuerint voluminibus, deinde quibus inflexionib⁹ intortae, denique qua parte depressae sint, aut tumeāt, et efferrantur. Ex hac concharum dissimilitudine differentiaque multiplici maris oblectationes, et delicias in littore inambulantes, et has, et alias conchas deligentes percipiemus.

PISCIVM ALIQVOT differentiae.

NE desideret aliquid eorum, quae propria sunt aquarum, et in aquis aluntur, agēdi Latine studiosus adolescens, notiora pisciū genera, qui marini sunt, fluviatiles, et lacustres numerabo. Neque quisquam exspectet multitudinem illam, qua scātent auctorum monumenta, sed pauca, quaeque omnibus in orē sunt: unde Latine agendi campus detur, et formulae occurrant necessariae.

PIS

PISCES FLUVIATILES.

ALBURNVS.

Alburnus fluviatiliū sit initiū, qui magis notus est omnibus, et magis frequēs in mēsis propter copiam horum piscium maximam. Qui hamo facile capitur, & retib⁹ jactis in flumina. Nomen habet à colore, quoniam candidus est, et albescere visus in aquis. Oculi magni sunt Alburnis, quique rubescunt, dorsum virescit, albescit venter. Ille lincis notatur duabus, quarum una a branchiis ad caudam ducitur medio interjecta corpore, altera non apparens multū: quae a pinnis ultimis ortum habet, sed in caudam usque non protrahitur. Exiguū est caput, corpus tamen latum aliquantulū, sed depressum. Atque Alburnus carne praeditus est molli, sed parū pingui. Cū sit natura sua vorax ad hamū cōtinuo accurrens facile capitur.

BARBVS.

Barbus a cirris, qui de rostro pendent, appellatus est. Rostrum habet longum, et acutum, et cartilagineum apparet et pingue: a quo extremo pendent duo cirri, et totidem a lateribus. Caput est obesum, dentes nulli, oculi parvuli pupilla nigricante, sed aureo circulo decorata. Cum mugilum speciem corpore suo praebeat, tum cum illis numero pinnae et situ congruit, praeter quam quod pinna, quae in medio dorso eminet firmiorem effert aculeum. Sed pinnae ventris flavo colore sunt, pinna vero caudae rubicundo. A branchiis ad caudam porrigitur linea, quae tam apparet, quam in aliis mugilibus, vario tamen colore distinguitur. Dorsum enim ex viridi flavescere visum est, et venter lactis candore notatur. Caro Barborum mollis est, et ad gustatum suavis, sed pituitosa, spinis multis infesta. Quamob-

rem summa adhibetur cautio, ne inter yescendum spina inhaereat in gutturo.

ANGVILLA.



Anguillae nomen habent ab anguibus, quarum sui corporis speciem praebent. Quae cum longo sint corpore, tum inflexibus multis intorto. Quae lubricae labuntur e manibus, nisi folio astringantur ficulneo. Patet illarum os dentibus paucis munitum. Parvulae sunt eisdem brachiis, eaeque cute cooperiuntur, quibus proximae sunt pinnulae; reliqui corporis multiplex inflexio, pinnarum officium facit; a dorsoque medio, limbo quasi speciosissimo posterioris corporis partes ambiuntur. Gulam habent intus longam et latam. Venter et intestina longius producuntur, pinguesque sunt, et in visci modum inhaerescunt. Marem brevitae capitis, crassitudine et latitudine quidam distinguunt: cum in foemina minus, et acutius caput inesse velint. Ex putredine gigni dicuntur, atque turbatis aquis facile capiuntur. Quas in summis aquis inflectentes, retorquentesque corpus multiplici inflexione conniti cernimus atque contendere. Interdum in spiras coactae mirandum in modum convolvuntur, et orbem alios, aliosque faciunt; quos dissolvunt, cum collibitum fuerit, omnino tamen non explicantes, ut fluvios, & stagna trahent corporibus inflexis, pinnarum vice fungentes.

LAMPETRA PARVULA.

Fluvii parvas lampetras, rivulique sine dubitatione ferunt. Quippe quas capimus in his locis, quo nullus datur accessus in mare. Flavios autem huiusmodi longissime distare videmus ab ipso mari, neque cum illo propter distantiam maximam conjungi. Partes interiores et reconditae, sunt eadem, quae-

quaeque extra sunt fluvialibus, cum marinis lampetris. Neque differunt colore, sed corporis exiguitate. Molles sunt, quaeque adhaerescunt in glutinis similitudinem, et excrementis redundant. Has frixas, et elixas aromatum vi perfusas, et oleo, et omphacio conditas apparat ad mensas ornandas, quorum ars aetate nostra; sed non multum medicis huiusmodi probatur appratio. Luto et aqua murenulae aluntur.


LVCIVS.

Lvcius in eximiam magnitudinem evadit, in magno pretio semper habitus et aestimatione, propterea quod caro veneat, et locupletum mensas exornet: qui tantum pecuniarum habent, ut ad suarum epularum apprationem, et magnificentiam conquirendum, et deportandum modis omnibus curent. Aquas ille quascunque dummodo dulces incolit. Edax, et vorax admodum est, unde lucii nomen accipit. Patet in longitudinem duorum triumve cubitorum. Quadrato fere dorso est, summa cum aequabilitate in extremas usque pinnas ducto. Idem pingui est et obeso corpore. Venter porrigitur, et prominet summopere. Caput quadratum est, et striatum, foraminibus parvis excavatum, anserino rostro non dissimile. Maxillam superiorem longitudine superat inferior, et in cochlearis similitudinem excavata. Dentes multos habet, non eodem infidetes ordine. In maxillae inferioris anteriore parte parvos dentes, et in os reflexos, atque retortos habet, superior dentibus caret omnino. Nam cum plus haec latitudinis habeat, dentes extra os prominentes, et inferioribus non adversi, nulli procul dubio usui fuissent. Sed providit natura duplici dentium ordine inhaerentium palato, qui illius partes susciperent, et agerent non minus egregie. Oculi praebent coloris aurei speciem, quos antecedunt duo foramina in una coeuntia concavam lacunulam. Corpus tegunt squamae parvae, tenuesque, quae praetenuitate vix apparere videantur.

Corpus maculis quibusdam aspersum est, venter candidus, dorsum nigrum vel lividum. Latera nitorem argenti, sed in magnis, et senioribus auri fulgorem referunt. Sex pennae suffultus est, quarum duae ad imas branchias, duae infra ventrem, reliquae caudae ipsi vicinae sunt: sed una ab inferiore parte, altera a superiore, atque haec aureis nigris maculis aspersa. A dorso nullae pinnae tolluntur, cauda duabus pinnis summa venustate pictis terminatur, linea vero medium corpus dividens vix judicari potest, quippe quae punctis exiguis admodum ducta est. Carnem habet duram, neque glutinis multum ferentem, si in fluminibus, et magnis in lacubus, non in stagnantibus aquis et palustribus agat.

PISCES PALVSTRES.

RANAE.



In palustribus piscibus Ranae numerantur, in quibus praecipue degunt. Harum etsi diversa genera describantur ab auctoribus, nos communes, et notissimas cuicumque generi mortali, quasque in lacubus, in paludibus passim coaxantes audimus, Ranas duntaxat describemus. Quae viridi colore sunt, candido ventre nigris maculis notato, obducuntur cute tuberosa & inaequali. Crasso sunt capite, cervice contracta, sed aliquantulum lata, rostro in anguli speciem acuti terminato, oris immani rictu, ore tamen intus valde capaci. Coaxant omnibus importunae, detiumque, quibus carent, officia maxillarum asperitate faciunt, quae tanta quidem est, ut quidquid nactae fuerint, mordicus teneant.

Quam

Quamobrem panno rubro, vel frustulo carnis de filo pendente capiuntur, facileque extrahuntur. Oculis sunt magnis, et prominentibus, quorum inferiorem palpebram avium more oculis eisdem accomodant, quae prae tenuitate sua nitida est, et perlucida. Oculos antecedunt foramina, vel captandi aeris, vel odoris causa, sed quae tenui membrana obducantur. Ab oris rictu sub foraminibus, ab utraque parte sinus est, in quo tenuis membrana quae, dum aerem sub aqua retinet, turgescit, et foras projicit sese in vesicae similitudine inflatae. Ab oculis duae lineae fuscae ductae, directaeque sunt, inter quas una dorsum interjecta est, quae in caudam usque perducta cute cooperitur. Cutis ea pars carni solum firmiter adhaeret, quae cum articulis connectitur: quamobrem facile cute spoliatur, cumque concipiunt, aut retinent aerem, facile inflantur. Ventriculus longe, lateque patet, et coloris varietate distinguitur. Illae quaternis pedibus assultim gradiuntur, et aquas sulcant, maxime pedum posteriorum ope. Id facere possunt propter pedum longitudinem, et ob eam causam illorum ad salendum, et ad natandum adjuvantur mira conformatione, quoniam latissimi sunt, et digitis quinque constant: qui membrana tenui cohaerent inter se mirifice in anatum, et anserum modum, et rationem aptissimam. Crura, tibiaeque muscatorum firma stabilitate vincuntur. Sed quamquam posteriores pedes longiores sint, anteriores tamen breviores sunt, et in quatuor digitos diffusi, pollex vero multo brevior, et crassior. Has igitur videas Ranas coaxantes frequenter, et per multum tempus, tanta cum importunitate, ut molestiam hominibus maximam afferant, in imam se modo paludem immergere, modo proferre caput, modo summis aquis natare, saepe in ripam insilire, consistere etiam, et audacter circumspectare et impudenter, inflari, tumescerique, dilatare rictus oris quantum possint, colla intercepta, caputque terga contingens, spinas viridem speciem, ventrem album, et pe-

des illos breves, longioresque ostetare, coaxare saepe ac
 pius. Si quenquam se demittentem ad lapidem jaciendum,
 aut ad mali quidquam faciendum aspexerint, continuo vide-
 bis resilientes dare se in imas paludes, et ab hominum aspe-
 ctu properantes statim abducere sese. In aquis cibum Ranæ
 capessunt, et muscis, vermibus, cochleis, aliisque minimis be-
 stiolis sustentantur. Quamobrem vel procul aspicientes, vel
 odorantes escam facile capiuntur, maxime aspecta sua carne,
 vel panno rubro carnis colorem referente. Earum cruribus
 dumtaxat homines non ignota suavitate conditis vescun-
 tur.

PISCES MARINI.

SARDINIAE.

A Sardiniis marinorum piscium descriptiones ordiamur:
 quæ nisi numero tam multæ caperentur, in majore
 pretio sine dubitatione fuissent. Quas propter spinarum mul-
 titudinem hoc nomine appellari perspicuum est: sed propter
 exiguitatem, tenuitatemque suam nihil detrimenti mortali-
 bus afferunt inter vescendum. Itaque Sardinias in partes di-
 versas multi comedunt, spinas in illarum corpore inhaerentes,
 intraque carnes contentas saepe relinquendo. Quod neque
 metus, neque periculum ullum sit, ne transversis homo spinis
 suffocetur. Sic ad guttur perductæ sine difficultate transmi-
 tuntur. Cõstat igitur sardiniam in mari degere cum parva a-
 losa, ore, brachius, oculis, pinnarum numero, situ, squamis, cau-
 da mirifice congruentem, aliqua tamen latitudine discrepã-
 tem. Itaque squamis tegitur plurimis, et tenuioribus. Colo-
 ris est multiplici specie. Nam caput aureum est, venter cadidus,
 dorsum viride, caeruleumque, et quod utroque colore nitet,
 et splendet: dum vivæ ex mari extrahuntur, cum vita viridi-
 tatem amittunt, caeruleo colore retento, sed se hebet, et obtu-

so, sine specie, sine splendore. Sardiniae sale condiuntur, et
 asservantur in duos annos.

SEPIA.



Epia duobus saepe cubitis major tenui, sed val-
 de firma cute cooperitur, foris corpus apparet
 carne plenissimum, capiti inhaerentes videtur
 pedes corporis mollitudine, sed initio rotun-
 ditate, crassitudineque praediti, deinde paula-
 tim gracilitatem induentes; omnes autem in interiore parte
 duplici acetabulorum ordine, quibus cedentia comprehen-
 dat, comprehensa firmiter premat, retineatque ad medicarum
 cucurbitarum rationem. Eisdem pedibus, sive branchiis ma-
 ria tranat, cibosque ori admoveat. Praeter haec eminent duae
 promuscides antequam terminentur paululum inflexae in
 cornuum similitudinem, non adeo tamen intortae, tenues ta-
 men, et ex omni parte laeves, praeterquam in fine, qui duobus
 acetabulis asper est; quibus sepiae etiam capiunt, et ori tanto
 intervallo cibos admovent. Eisdem quoque concitato ma-
 ri, quibuscunque tempestatibus, adhaerent ad saxa, sicut nau-
 tae anchoris in terram jactis naves ipsas contra vim, magni-
 tudinemque tempestatum retinet stabiliuntque. Pedes capi-
 ti proximi sunt; oculis inferiores vicinitatem rostri conse-
 quuntur, rostrum ex utraque parte compositum, et conforma-
 tum ad commissurae pixidatae rationem, in hunc modum,
 ut inferior pars in superiorem inferatur. Rostrum nihil habet
 roboris, aut firmitatis ad praedas laniandas, retinendasque,
 quod membrana quadam, & carne redundante multa, tan-
 quam annulo ambitur, & firmatur. Sepiae tutantur se atra-
 menti effusione, nam cum sentiunt a piscatoribus insidias pa-
 ratas, magnam atramenti vim effundunt, qua perturbant, et
 infuscant aquas, et abdunt sese.

OSTREA.

Ostrea, quae procul ab aquis dulcibus colliguntur, testis ipsis cooperta continetur, et inclusa. Eorum testae foris fordidae sunt, et luto obductae, crustris multis constantes, intus laeves et albae. Caro mollis, et circa eam fibrillae multae veluti simbriam efficietes; quas circuit aliquando purpureus crinis, qui suavitatem ostreorum et praestantiam auget. Quamobrem plures habentur, et carius emuntur. Testa intus cava est, et laevis, atque in hunc modum rotundata, ut a superiore parte sit angustior, et paulatim se dilatet, et explicet, ut latitudine rotundata terminetur, qua parte tenuior est: foris autem, in medio praesertim, se effert, et extollit. Quippe quae capere debeat ostreorum corpus, et in circuitu commissuris mire cohaerentibus, ne testae dirumpi possint, vel ostrea quidquam detrimenti capere.

XIPHIAS.

Xiphias a Graecis dictus, ab aliis Gladius, piscis cetaceus est in ingentem magnitudinem evadens. Hujus rostrum praebens speciem mucronis cum maxilla superiore valde magna, dura, et ossea formam habet, et similitudinem gladii. Quamobrem Gladium nomine vulgo appellatur. Piscis hic oculis praeditus est rotundis, et prominentibus, quos anteverunt foramina. Ad branchias pinnae sunt duae: in medio fere ventre una non procul a cauda, magna quaedam in medio dorso, et parva. Extrema corpus ante caudam latum et planum est, medium prominens et erectum in tuberculi modum, unde initium facit cauda specie, et similitudine Lunae crescentis ad thynnorum rationem, sed paulo latior. Reliquum corpus rotundum habet formam, cutis alba est, si manus a cauda ducatur, contra vero laevis. Dorsum vero nigricat, splendescitque in sericorum similitudinem, ventre toto late albescente planeque:

que ad argenti splendorem, nitoremque clarissimum accedente, praecipue in aquis. Piscem hunc magni opere formidant piscatores, quippe qui in retia incidens rostro, summaque vi omnia dirumpit, ut plus damni faciat, quam lucri. Eum incurvis hamis, et parvis cymbis, affixo etiam mucrone rostro Xiphiae persimili capiunt: nam ad hos tanquam ad sui generis pisces cum adnataverint xiphiae a cymbis obfessi trucidantur.

REMORAE.

Ethioidem Graeci dixerunt, quam Latine remoram ab inhibendis navibus appellant. Parvulus autem piscis est, colore subfusco, anguillae non dissimilis, ore praeditus acuto, et contorto, ad hami rotundi cuspidem accedens, quae navim ventis secundis actam, passis que velis maria praetervolantem ore admoto mordicus premens sistit, obfistentibusque navis tanquam in tranquillo portu retentam longius provehit non patitur. Neque solum contra vim, magnitudinemque navis contendens in prospero ventorum flatu, secundissimoque navigationis cursu, cohibet incitatum navigiorum celeritatem: sed cum mare saevit universum, procellae surgunt, & tempestates vehementissimae, venti ruunt furentes violentique non vinculis ullis, non anchoris, jactis, non adhibita vi, sed adhaerendo solum cohibet et fraenat aetuis maris intumescens violentissimos, cogens huc, et illic fluctibus jactata stare navigia, quae obruenda viderentur, et demergenda protinus in profundum, nisi una remorae admotione levi retinerentur, continerenturque.

TESTUDO.

EX diversis testudinum generibus, illam describamus, quae cortice tegitur, caput autem habet exertum semper, neque corticis tegumentis involutum. Cum foraminibus

cōcavum rostrum, et apertum videatur ex illa parte, qua lacunosum visum est, tum rostrum ita formatum est, ut superior pars acuta terminetur, et cum inferiore cōiungatur in pigidis similitudinem. Quattuor alis suffulta est, quarū priores aculeis pungentibus in unguium modum munitae sunt, posteriores speciem habent, et similitudinem pedum; sed alis ad nasandum, pedibus ad incedendum, cum in terram aggrediuntur, utuntur. Foramina supra dicta non supervacanea sunt, sed magnum habent usum ad ipsius testudinis cōservationem: ut cum aqua multum se compleverint, per foramina emittant foras, projiciantque, quemadmodum Delphini per fistulam. Testudines marinae conchis vescuntur in mari, herbis autē in terra. Nec difficile est testudinibus eas perfringere, quoniam os habent durum admodum, et magni roboris, et firmitatis ad lapidem, et quidvis aliud; quod nactae fuerint, perfringendum, ac devorandum. Cum testudines marinae multis modis capiatur, sed duobus praecipue. Cum in summū evectae mare, eminente toto dorso penfluitant summa aviditate spirandi, flagrantes, qua voluptate delinitae, sic sui ipsius obliviscuntur, ut Solis vapore siccato cortice mergi nequeant, invitaeque fluitent captantium expositae venationi, praedaeque opportunae. Tum illud captandarum testudinum opportunum tempus est, cum ad pascendum in terram egressas, avideque saturatas eas lassari certū est: et ut remearint tempore matutino summis aquis dormire, stertereque vehementer, ut audiantur ab insidiatoribus. Tum facile quidem captari, si ternis singulis adnata verint, et duo in dorsum converterint, tertius supinae laqueum iniecerit, plures denique traxerint adhibita vi brachiorum illaqueatam jam, et contractam testudinem in terram.

THYNNIVS, SEV THYNNIVS.

Thynnus cum corpore magno sit, tum squamis omnino nudato; cute non aspera, sed laevi, tenuique, ventre lac-

teo.

teo, dorso plumbeo, aliquot tamen in locis candido, quibusdam a dorso deductis in ventrem usque lineis obscurioribus, et transversis, et nonnullo intervallo distantibus, sed linea quadam clara, patenteque a branchiis in caudam usque perducta. Cum pinnas habeat ad branchias, et sub ventre binas, duas in dorso, unam paulo ante caudam; tum cauda terminatur in speciem Lunae crescentis. Thynni magno usui sunt, atque aestivo tempore caloris non admodum ferētes ex Oceano Atlantico, in mare Mediterraneum gregatim irrupūt, non parvo Gaditanorum quaestu, qui infinitam eorum multitudinem retibus extrahunt; cetariis inferunt, salūtque membratim dissectos, et in cadis asservatos celebri mercimonio per omnem Europam, et per alias terrarū partes diffundunt.

DELPHINI.

Inter pisces marinos maxime commendatur Delphinus: Inam celeritate piscium marinorum velocissimus esse perhibetur, atque volucris, teloque velocior; et quidē nisi refusus piscem fugientem corripere, illius celeritatem evaderet fere nullus. Qua re numine Dei immortalis cautum est saluti reliquorum piscium. Atque cū Delphini famis rabie agitati piscem insequuntur in ima usque vada fugientem (dictum est mirabile), ut arcu emissa tanta vi exiliunt, ut plerūque vela navium transvolent. Ea sunt illi forma, atque figura, ut rostro sint longo, rotundo, simio, oris hiatu similiter longo, parvis dentibus et acutis, pectinatimque cōstructis, lingua exserta, carnisque multum habente, et in circuitu nonnihil ad feram accedere, et praeter naturam aquatiliū mobili, quillae non dissimili, oculis magnis, sed cute adeo tectis, ut pupilla solum videatur, illique siti sunt in ea parte, quae ab oris hiatu non longa abest. Fistula autem Delphino post rostrum est, quā haustam aquam emittit foras, reliquum corpus longum est, & corio laevi et sine pilis, sed durum contactum dorsum

rependum, et pinnis duabus maria tranat, sed una eminet in medio dorso, venter candidus est, cutis spissa, firma, sed molitudine plurima; et quoniam pinguis est et obesus, suum terrestrium pinguedine non dissimilis. Cauda terminatur in semicirculi speciem. Mitis est, et mansuetus, humani generis amans, qui propter homines natare, more canum blandiri, cibum obiectum capere solet; denique sese cōtrectari patitur. Musices artis cupidus est, et ob eam causam symphoniae suavitate mulcetur. Quae res cum veterum exemplis multo testatior fuerit, quam ut claram magis, testatamque, necessarium sit exercitatione relinquere, Balaenam describamus.

BALAENA.

BAlaena bellua est immanis et horribilis nimirum, tanta corporis immanitate, ut de Plinii sententia ad quaternum iugerum magnitudinem crescere existimetur. Ore est maximum, et multos protento pedes hiatus. Ex utraque maxilla corneae pendent laminae, nigrae ambae, suillorum pilorum similes. Oculi quattuor ulnarum intervallo distantes, qui quam foris parvi videantur, intus capitis humani crassitudinem superant. Pinnas habet a lateribus, quibus natat, et catulos illarum operimento tegit. Cum corpus sit vastissimum, tum candidum, et tuberosum; supra tumorem eminet pinna, pinnis que dorsum hispidum est; et ima corporis pars eisdem obducta pinnis. Pistulam gerit in fronte terrificam, qua, cum se ingurgitavit, effundit aquarum vim maximam in altitudinem mirandam. Cum horrendo, contentoque sonomugit, ut intervallis locorum disjunctis, valdeque distantibus audiat, tum caudam huc, et illuc agit, fluctus verberat agitatione prebra, totumque commoverisque maris. Sed quamquam bellua vastissima sit, et formidanda tanto opere, tamen incidit in manus hominum captas. Nam in Balaenarum piscatu ea, quae sequitur ratione, piscatores utuntur:

tur: ut cymbas multas comparent, et ad celeritatem insequendi, fugiendique multum habiles. Homines igitur e locis sublimioribus Balaenam speculari in cymbas ingrediuntur, et harpagonibus, et instrumentis omnibus ferreis instructi, inter alia telorum genera, longa usurpant, et cuspede hamato, quae in belluam conjiciunt, quibus infixis, et altius inhaerentibus, funes longissimos telis annexos relaxant, quoad bellua vitam cum sanguine fuderit. Tunc una cum funibus Balaenam in littus retrahunt aduti maris ipsius undis, magna vi, et contentione brachiorum. Reliquos captandae Balaenae modos libens omitto, quoniam ad hos illi referri posse videtur, quibus aetate nostra piscatores utuntur. Non illud tamen de Balaenis praeteribo, quamquam omnibus notum sit, atque testatum: illas adeo pinguescere, ut prae gravi superciliorum pondere obruantur oculi, totiusque corporis immani mole, gravitateque vastissima sese commovere nequeant. Itaque amittit audiendi, cernendique sensum, in vada, an brevia impingit, incidit in insidias tantum, tamque immanecetaceum genus tam deformi magnitudine, horrendaque corporis vastitate perniciem sibi, et exitium extremum afferens.

¶ Sed taedet me jam profecto pisces describere, in quorum descriptione formulis eisdem uti saepe cogor, tacidum lectori afferens crebra verborum repetitione, et ad summum, quoniam aliter fieri non potest, propter similitudinem rerum et agnationem, fatietatem levans casuum varietate. Quamobrem a piscibus aliis describendis supersedebam, praemonitum haberi volens lectorem, in reliquis piscibus describendis, ex superioribus exercitationibus peti posse formulas omnes, modosque loquendi. Neque nostri muneri quicquam prius esse, quam ad agendum Latine de quacunque re viam Rhetoricae studiose persequi. Quod quia ratione fieri potissimum nostrarum exercitationum, cum in aliis rebus, tum in piscibus, diversos a contentis in hoc libro describendis, facile Latini sermonis studiosus experietur adolefcens.

SECUNDA NAVIGATIO.



Ingre diamur jam in mare, quod descripsimus, et ex animi sententia secundis vētis. Cum imperator paratas naves, et rebus omnibus instructas vidisset, quoniam non solū nauta significabat, sed etiam ipse ventus insuffurrabat, navigandi tempus opportunum esse, nactus idoneum ventū, qui exspectat jam diu flare caepit in eam partē, in quam vela dare cupiebant; sublatis anchoris e portu solvit. Vetus ab eo tempore secundus nunquam esse desit, quo vela gubernator navis fieri jubebat. Paululum a portu nautae progrediuntur, littora nota praetereunt, et ignota, multas insulas, et portus a tergo relinquunt, nunquam desinunt tenere cursum secundum. Hac ita felicitate navigandi usi, cum terras multas et conspectu amisissent, in altū celeriter proVecti, sic probis navigiis, bonis gubernatoribus, velis plenissimis navigarūt, ut paucis diebus, vento semper secundissimo, terram attigerint, omnesque incolumes naves perductae portū tenuerint. In quem cū imperator appropinquaret, et naves ex arce videretur, incredibilis multitudo sese protinus effudit ad classem spectandam, cum ingenti laetitia, et gratulatione maxima, vi, et multitudine tormentorum, quae ex arce, quae de navibus horredo crepitu, et fragore dimittebantur. Nullam horā in anchoris imperator expectavit, sed ipse, et milites in terram egressi, navibus ad anchoras deligatis, in arcē cantu, et suavitate tibiarum deducuntur.

TEMPESTAS:

Secundam navigationem adversa consequitur. Ejus descriptiones quattuor subpiciuntur. Quarum prima est ea, quae consequitur. Cum naves omnes, quas imperator revocaverat, ad horam nonam convenissent, & illae, quae quotidia-

diana consuetudine ad portum excubabant, paratæ fuissent; quamvis nactus imperator turbidam tempestatem, cum adversi venti flarent, tamē mari se classemque suam committere non dubitavit. Cum igitur venti navigationem impedirent, passim in omni loco commorabantur, neque cursum tenere poterāt. Omnes sparsae, atque dissipatae et longius ventorum disjunctae jaetabātur. Multae multis in locis vehementissimē laborantes, vel aliarum cōcursu confictatae, vel adversa tempestatæ jaetatae, quo ventus, et tēpestas projecerat, magis deferebantur, quam quo scientiā gubernatorum, et vectorum voluntas constituisset. Ita neque praetoriā spectare poterant, quam praeeuntem sequerentur, et cursus tenendi certos et exploratos nulla facultas dabatur. Sic etiā incerta navigatione aliae alio cursu, multae vagae, et aberrantes vi tempestatis abreptae scopulos difficiles, & infensos praetervehebantur. In quos cū cautes, cum saxa semper extimescerent, non illis fuisse pro miraculo narrabant vectores. Bis ita caelum nubibus obductū atra quadā caligine fuit circumfusum: ut cū in caecis nubibus, atque tenebris crassissimis omnia viderentur obscurata, & fulgura frequenter oculis obversata micarent, tonitrus existerēt horrifico quodam crepitu, in conspectu multorum et oculis visa fuerint non procul a navibus in mediū cecidisse mare fulmina. Quorum aspectu, id quod necesse fuerat, cū totius classis tantopere dispersae et dissipatae, vectorum, et gubernatoris perturbatio maxima consequeretur, fluctus fremitu horribiles, multitudine innumerabiles in caelum attollerentur, et cōtinuo in imam deprimerentur voraginem, ut in profundū velle viderentur naves jacere, et totam obruere classem, et absorbere, fluctibus jaetabātur omnino, nonnunquam cooperiebantur; vis fluctuum insanientium irruens, et irrumpens in naves sese inferebat, et multitudine maritimarū complebat aquarum: ad quam exhauriendam neque vectoribus animus aderat, neque facultas propter obscuritatem, et vim tē-

peccatis. Scilicet tunc malos scanderent nautae, foros cursitarent, vela contraherent, demitterentque, haerirent sentinam, qui se submersos, qui perditos deplorabant, qui se naufragium fecisse putabant, qui res omnes projiciebant in mare, qui singulis momētis mortem exspectabant, qui viciniores paulo ante viderant submersas depressasque naves, ipso gubernatore, vectorib⁹ perditis, abjectis gubernaculis, multarum amisso temone, malo, rudentibusque fractis, et reliquis armamentis laceratis, discerptisque; quibus cum melius actum est, illae aut in ignotas insulas projectae, aut eo, unde solverunt, relatae naves: nam nullae salvae portum ceperunt. Hic audire erat clamores vectorum, et lacrymas. Qui viros se magis praebere voluerunt, aut palam peccata confitebatur, aut vota faciebant. Omnium voces miserabiles audiebantur implorantium opem sanctorum, Angeli custodis, virginis Mariae, Christi Iesu, ut illis tempestatibus se miserabiles homines, & mortis periculo liberaret. Ubique luctus, ubique lamenta, ubique confusio, perturbatioque tanta videbatur, quantam, qui saepe navigaverant, nunquam vidisse recordabantur. Nam ubi commutata tempestate ex tanta jactatione quassatae naves in portum pervenerunt, descendentes de navibus, cum terram attingerent spumis maris albescentes plurimi, et salis aquis omnes perfusi, conflictati, ac perditis prae sensu tempestatum praeteritae in terram proni se confestim abiciebant, et lacrymis, quae sese profundebant acerbissimae, sinum terrae opplebant: atque alii in genua procumbentes, alii suspicientes in caelum sanctis omnibus, ipsique caelitum parenti Deo manum utramque tendebant, ut gratias agerent, et de rebus, quae relictae fuerant, pro vita data gratificari cupiebant, vota, cum primum possent, facta persolventes. Tam gravis, et vehemens extiterat, et omniū, quae coortae fuissent unquam in Oceano, vel in alio mari concitatae, tempestas turbulentissima. Quam qui commovere potuit caelorum, terrae, marisque Deus, potētissimus sedavit.

Quam

Quam dono Dei vim tempestatum illi homines effugissent, cum ex tabellis pictis posteritas cognoscere, tu praesentia, et potestate divini numinis profiteri plane verissimeque poterat.

ALTERA TEMPESTATIS

Descriptio.

Navigatio, quae in scopulos incurrere solet, aut referto praedonū mari, longa, et minime portuosa, non tantum hominibus periculum afferre solet, quam hyemalis, in qua non saepe probo navigio, turbato mari, incerto cursu, hyeme maxima navigare cogimur. Et cum plenissimis velis navigamus, et nos secundissime portum tenere, vel ab illo non longius abesse putamus veteris semper lenissimis provectis, mare coepit inhorrescere, et paulatim attolli, majoresque in singula momenta commovere fluctus, veteris magis ac magis circum illa loca furētibus, horrifico nubium aspectu, crebro fulgure, et tonitru caeli fragore: ut nulla magistris navium, gubernaculi tenendi, reliquis imperata faciendi facultas daretur, saeviente magis tempestate, ventorum vi obstitente vehementiore. Itaque neque nautis antennis demittere, neque vela contrahere, neque anchoras, quia jaciendi videbatur in profundum, jacere, neque rudetes laxare datum erat: nam unde venti flarent, nesciebant. Adeo violenti, vehementesque flatus ab oriente, diversisque coorti regionibus naves diverso agmine, quasi facta conspiratione commassabant. Quorum horrendo, furentique impetu, vectores, et nautae scientiae navigandi quasi inscientes, aliquot dies certum ad naufragium se comparabant, et omnem prorsus amittebant spem vitae conservandae. Quocumque se converterent, omnia sibi videbantur infestissima; qua caelum, quam mare intueretur, mors ante oculos versabatur: nec illa quidquam videbatur propius. Saevissima multos dies tenuit tempestas, et in illis nihil de vectorum furore remissum, sed creverunt omnes, et furētes adeo fecerunt in naves impetum, ut vela primum disrupta, deinde mali, postea gubernaculum, nihil ad vim illorum insanam coercendam gubernatorum arte proficiente, defractum. Denique


P 2 tabu

tabulae immoderata iactatione convulsae, sic apertas et patentes naves relinquebant, ut multitudine complerentur aquarum; quibus eiciendis et exhauriendis, nulla latera, neque firmitas vectorum, neque diligentia, neque industria navalis sufficiebat. In hac media tempestate a parte nescio qua, coortus naves ventus furens vehementer in ea loca projecit, unde continentem vectores aspiciebant. Sed neque quae regiones, quive situs, aut orae locorum fuissent, internoscebant. Horrere valde multum omnes, naves in cautes, aut in saxa ne impingerentur, et jam omnes non haurirentur profundo, sed ad breviam, vel scopulis adigerentur: unde ad terram nandi potestas non fieret. In hoc metu, cunctis opem divinam implorantibus, occultis de causis, propter aliquorum fortasse scelera, et propter male partas divitias, naves aliquot aperte plane videbantur, et earum alvei divulsis lateribus, hiatu dehiscere vastissimo. Mercibus jam projectis omnibus, et oneribus exinanitis navibus hi dolia, illi sarcinas, alii tabulas, ut fors, aut casus offerebat, corripientes, se ipsos in mare projiciebant. Alii se praecipites dabant in scaphas, relictis pecuniis, gemmisque, quas secum asportaverant, pretiosissimis. Et cum ad littus accedebant, jam jam ut ad insiliendum propinqui fuissent, amicis, propinquis, et parentibus suis, aut fratribus, aut conjugibus, denique liberis spectantibus, et lugentibus acerbissime, naufragia miserrima faciebant. Videbant perire suos, demergi passim in profundum, nec illos potestatem sibi datam tantis malis eripiendi. Qui tamen nantes, aut tabulis, aut scriniis evaserant, quam laceri spoliatique, quam madetibus, et aqua profluentibus ex omni parte vestibant, aut turgido spumanteque aestu, in diversa raptati, vel scriniorum quasi, lividis artubus, aut tabularum, aut clavorum ictibus sauciati, et multo manantes sanguine, tandem qui in arido pedes posuerunt quasi exanimis, respirare, ac spiritum recipere coeperunt, et sese pronis in terram abjicere corporibus, eam osculari, lacrymis perfundere, multa terrae, quasi parenti suae dicere.

aere. Qui fuerunt in littus ejecti, deformes aspectum, facie pallida, et exhausto ore, omnibus spoliati rebus, neque cibaria, neque comestiva ullis habebant, sarcinas suas, gazam plurimam fluitantem, et navalia simul instrumenta toto mari sparsa diffusaque cum intuerentur, et aliquos rebus eisdem infixos, et inhaerentes agi, ferrique fluctibus incitatis praecipites, lacrymas tenere non poterant. Quae spes reliqua fuerat duarum navium, si vim tempestatum effugissent, ablata fuit omnino. Nam sicut alias non afflictatas vadis, neque vehementer allisas, sed penitus carinis subsidentibus, in multas partes diffusisse viderunt, qui praesentes fuerunt naufragio miserrimo.

TERTIA TEMPESTATIS

descriptio.



In cursu navigationis instituto, cum nautae vela facerent secundissime, et longius jam a terra proVecti fuissent, fluctus immanissimi concitantur tenebris maximis, et asiduis fulgoribus, quibus micabat, ac tonabat caelum. Qui valde horribiles, pertimescendique, non illis modo, qui nunquam mare fuissent ingressi, sed illis etiam, qui saepe navigassent, tantum terroris injiciebant, ut lacrymantes, et opem implorantes divini numinis fordes animorum eluerent nacti confessarium: qui non adipisci poterant, aut clamoribus, aut lamentis omnia complebant. Parum jam aberat, quin merces, et onera projicerent in mare. Spem autem adimebat illud vitam conservandi, quia nec portum ullum, neque continentem videbant: undique mare, fluctus, caelum videbatur, et unumquodque penitus inhorrescere, caelum crebris ignibus, et tonitruis terrificis, mare fluctibus concitatis huc, et illuc naves iactans, ut modo nubes contingere, rursus in imas profundi voragi-

nes detrudi viderentur. Quamobrem demissis velis, ventis obsequi cogebantur, quo vis et impetus illorū ferret, ac projiceret miserandos homines. Semper autem ita jaetabantur, ut fluctibus se obrui arbitrarentur, donec post aliquot horas terram conspicatus magister navis, bono cunctos animo jubet esse: nam scirent inde procul apparere terram. Continuo ferenari caelum, et vētis commutatis mare sedari visum est. Ad loca igitur terrarū prospecta praefectus classis vela fieri cōtinuo jubet, et cursum deflectere navigationis: ut omnes aquari possint, et lignari, quarū rerum inopia laborabāt. Ita progressi fuerunt, per multas horas littus legentes. Cū illuc appulissent, velis contractis, anchoris jaetis, dimissi sunt aliquot exploratores, qui in terras illas excurrerent, et fluvios, aut fontes aquae dulcis investigarēt, quique commeatus aliquot, et cibaria, quibus reficerentur, afferrent.

QUARTA TEMPESTATIS DESCRIPTIO.

Commuta fuit horribilis ac foeda tempestas. In qua mare saevire universum, venti furere visi sunt. Vehementer, atrae ac sordidae nubes apparere undique conglobatae; impetu praecipiti sese effundens Aquilo sic in naves irruit violentus, ut transversas aliquot, nullo spatio relicto ad vela cōtrahenda uno momento everterit, et obruerit funditus. Neque ex hominibus, qui multi, et nobiles vehebatur, quisquā prorsus evasit. In his aliquot rei nauticae scientiā praestantes, multis aliis periculis crepti interierunt. Attulerunt salutem multis raptae antennae disruptae. In qua turbulenta tempestate cognatos alii, alii caros homines, et amicos requirere, omnes collacrymantes divinum auxilium deprecari, non pauci infueti navigationum quasi stupefacti manere, neque se ipsos, neque natos scire, neque conjugem, neque liberos. Quippe vento furēte magis, pelagus magis intumescere, modo fluctus in astra tolli, modo in profundum demergi, naves non

non fluctibus conflictari solum, et conquassari vehementer, sed multa perfringi, multa diripi nautica instrumenta, multorū collidi naves, et duae ex collisione vehementer penitus collabefieri. Ex quibus multi periere, cum in proximas naves recipi non possent; aliqui tabulis, aut scaphis divino beneficio ad alias delati, receptique fuerunt. Quae merces? quae suppellex? quae instrumenta navalia fluitabant? et raptu fluctuū infantium ferri, trahique medio mari sparsa dissipataque videbantur? ad haec atra caelorum caligine, rudētum stridore, ventorum flatibus cōtrariis, fluctuum horribili fremitu, horrendis dissonisque nautarum clamoribus, rerum omnis administratio impediabatur. Homines caelestem opem implorare, vota Deo immortalī, virgini Mariae facere, pro se quisque dare operam, ut, quoniam vivendi spes tollebatur, se ipsos, quam optime possent, in Dei gratiam ponerent. Ita diem unum illa tempestas saevit, qua ventorum vis tulerat, illuc jaetati fuerunt. Duae naves ventis projectae insulas tenuerunt, aliae ad incognita barbarorum loca delatae, multae in promontorium per summa pericula, et aperta naufragiorū discrimina rejectae, reliquae laceratae ac labefactatae ad unū Christianorū portum accesserūt: ubi nautae armamentis, commeatu, rebusque necessariis summa cū benignitate contributis, naves paucissimas ex tā longa jaetatione refecerūt.

NAVIVM DESCRIPTIO.

Videamus jā quibus modis navigent mortales, quasque machinationes ad fluctus maris sulcandos architectati fuerint. Nā quis non magnopere mirabitur solertiā hominū, artē, et ingeniū, qui ut Oceanū vastissimū, et apertissimū, et aliud quodcūque mare cōclusum navigent, cū materia cōparata fuerit, ut naviculatores magnā habeant navium copiā, naves aedificandas curant? earum hic modus formaque demonstratur. Naves in speciē, et similitudinē aediū factae, sive altiores esse debeant ad navigationem, sive humiliores, et

paulo latiores, quam quibus communiter uti consuevimus, ad onerandi celeritatem, subductionesque rerum, quae comportantur in navibus, fiunt ex robore ad omnem vim, et contumeliam perferendam, ad hunc modum; ut primum carinae fiant declivi altitudine, vel aliquanto planiores; quo facilius vada, per decessum aestus excipere possit. A lateribus statumina tolluntur incurva, et inflexa leniter, quae medium navis alveum ceu sepimento quodam muniunt, et plurimum roboris et firmitatis habent. Ad haec tabulis in summum usque naves teguntur, quae figuntur clavis ferreis digiti pollicis crassitudine, quarum commisurae stupa infertae, et tabulae pice oblitae ferventi efficiuntur, ne in naves aqua possit ingredi; et ut naves ita compactae coagmentataeque contra vim aquarum tutiores sint, et diutius permanent. In his navibus ad rationem aedium duas plerumque contignationes aspiciemus: quarum prima saburra, ferro multo, gravi pondere oneratur ad stabilitatem firmitatemque navium; in altera vestes, aurum, argentum, merces magni pretii et aestimationis convehuntur. Reliqua vero navis, quae patens et hominibus est in promptu, quam habet in specie venustate, ut non solum utilitatis, sed voluptatis, et salutis causa, quae sint in illa, facta fuisse videatur omnia? fori, per quos navicularii ultro citroque cursare solent, firmiter cotabulati longe lateque patet. Atque in prima navi, in principio, in fronte ipsa prora excelsit rostris, quae a prora deducta extra illam longius producta plurimum eminet. A prora ad malum, a malo ad puppim recta progressio, concursioque frequens est. Sed in puppitemo gubernaculum navis existit ad navim gubernandam, et ad cursus dirigendos accommodatus, et inter proram et puppim malus rectus, et altissimus, mirandum in modum immixtus, in modum apertum. Quae venustas totius mali, cum summus corbe ad galeae similitudinem tegitur, transversus antennis, ad quas velum alligatur, quas rudentes ne concidant, ad malos distincte compressi, et adducti ad modum, & ad proram

et,

et ad puppim? Alii malum sustinent firmum et stabilem, alii sunt ad demittendum, tollendumque velum, et cum opus fuerit propter vim ventorum obliquandum, denique alii ad cornua antennarum adducenda. Quoniam vero malus in ingentem sublatus est altitudinem in carchesium usque scalis per suos gradus ascendemus. Aplustre, quo velut vexillo, summus malus ornatur, cum plerumque sericum sit, huc et illuc lenissimo flatu ventilatur. Neque naves dumtaxat habent carinam, latera, proram, puppim, malum, antennas, velum, rudentes, et armamenta reliqua et ornamenta, contextum, atque formam, qua magis habiles sunt, et ad navigationis usum accommodatae; sed cum ad aedium modum factae fuerint, in contignationibus cubacula vectoribus aedificantur, et conducuntur mediocri, vel magno pretio. Instar autem palatii tabernaculum est praefecti navis, quod carbaseis velis obductum, habet dignitatem amplissimam: a quo datur exitus ad deambulationem, quae prospectus habet jucundissimos ad mare. Et saepe regis stemmatibus illustrata collucet. Adde antliam ad hauriendam sentinam, et anchoras, quas gubernatores jaciunt, cum aperto ac plano littore consistunt, ut de navibus ejectos milites exponant: donec egressi milites ad naves, quas deligatas ad anchoras reliquerunt, aliis praesidio relictis, et ad horas aliquot in anchoris expectantibus reverterentur. Adde etiam bolidem de prora demitti solitam ad fundum, et ad maris altitudinem explorandam, & remulcum, ut naves aliae trahantur contra vim, et magnitudinem fluctuum; & fenestriculas ad jacienda, mittendaque tormeta appositissimas. Atque haec de navibus, quae tormetis necessariis armatae, rebus omnibus ornatae instructaeque solvunt. Quarum aliae actuariae, aliae onerariae, piraticae, militares, praetoriae, vectoriae, longae, rostratae, constatae sunt: quae ab his, quae vehunt, et ab illis, qui vehuntur, & ab usu, quem habent, nomina traxerunt. Nam in navicularia facienda onerariis merces portantur; quibus schaphae subserviunt merces

Q ad

ad littora vehentes. Constratis, seu tectis opponuntur apertae, militaribus vehuntur milites, praesidiariis defenduntur arces, civitatesque, ut ab hostibus tutae sint, praetoriis praefectus classis vehitur, orariis littus legimus, speculatoriis seu exploratoriis naviculis, (quod genus catascopium Cicero appellat) explorantur adventus hostium. Tabellariae classis adventum praenunciant, piraticae, seu praedatoriae, eae interdum lyburnicae, celoces, parones, myoparones, ad piratarum usus factae sunt. Rostratae ferreo rostro armantur propter scopulos, in quos, si impactae fuerint, non franguntur; aut propter bella navalia. Thalamegi non tam ad bellum, quam ad pompam, et ostentationem proras, et puppes auro exornatas habent; et sunt admodum sumtuosae, quibus reges, et imperatores vehi soliti sunt. Lintres fiunt cavatis tantum integris arboribus, fluviatiles ad piscandum. Sic lembus, navicula brevis est, velox, et piscationi apta. Cymba in medio latior est, a prora et a puppi angustior. Reliqua navium genera, quae non tam usitatae sunt, omittamus. Nam quae Latine agentibus occurrerent, eas in animo fuit leviter percurrere. Nunc alteram navim describamus.

ALTERA NAVIS DESCRIPTIO.

Describamus iterum navim, ut si quid a nobis praetermissum fuerit, compensemus repetita descriptione. Quam cum intueor comparatam, et praeclare constructam, meis oculis occurrunt prora anterior pars navis, clavus ipse ad navim gubernandam. In puppi praetoriae navis lampadem, lucernam ve videor cernere, ad cuius lumen reliquae naves suum cursum dirigunt. Prora vero acuminata ex aere ferro ve porrigitur in cunei modum acuta, ab avium rostris per similitudinem appellata rostrum. Carina pars infima navigii totius structurae fundamentum est, a qua inflexa surgunt statumina ligna arrecta interius. Quoniam autem necessarium est ad cursum

navigacionum, ut stabiliore cursu procedant naves, saburra id est, crassiore ac vilioire arena ad certam usque mensuram implentur. Alvus maxime idonea est ad merces continendas longior, latiorque. Pars inferior sentina, quo sordes defluunt, dicta est, quod teterrimum odorem spirat. Quamobrem antilia nautae sentinam hauriunt. Iam vero foros, qui sunt exteriora spatia, seu tabulata navium, inambulemus. Videamus malum in modium immissum, id est arborem navis sustententem vela cum antennis, dictum, quod quasi quibusdam malis ligneis cingatur; quorum volubili agitatione vela minore negotio vel panduntur, vel demittuntur. Huiusce mali pars infima pterna, media trachelus, summa carchesium appellatur. Antennam lignum scimus esse, quasi ante annem porrecta, cui vela alligantur; cujus partes extremae cornua dicuntur. Vela autem, quae ex lino, cannabe fieri solent, quibus tamquam alis volare videntur naves, vel triangula, vel quadrata, facta sunt istiusmodi, ut unum maximum, quod acatiu, alterum minimum, quod dolon, et ad proram, tertium epidromus appellatur; et ad puppim spectat. Nam artemon minus velum celeritatis causa majoribus appendi solet: unde nomen. Quidam majus existimant, et supparum quo languescente vento navigia adjuvantur in cursu. Illa pars veli, quae acutior et inferior, ad navis latus religatur, modo contrahitur, modoque relaxatur, pes veli dicitur. Summus malus ornamentis suis et insignibus, quae aplustre dicuntur, decorari solet. Tota vero navis habet in circuitu columbaria a prora, a puppi, a summis navium lateribus, nidis et latibus columbarum haud dissimilia; per quae tormenta mittuntur. Quam vero multi funes sunt ad armandam instruendamque navim? protoni ex utraque parte mali, a prora, et a puppi extenduntur, propes, quo pes veli alligatur, camelus funis crassus, quo anchorae alligantur. Remulcus, quo major navis minori alligata in littus trahitur: primnesium, quo in littore navigia palo alligantur:

oras nonnulli ducunt huiusmodi retinacula. Quoniam autē machinis tractoriis opus est ad navim in terram attrahendā, remulco provisum est. Cum autem vado, aut faxis navis inhaeret, trude, robusta pertica detrūdatur. Phalanges, id est, fustes navibus subduntur ad illas in aquam impellendas, vel subtrahendas: quemadmodū pulvini adjuvento sunt ad ducendas in portum, vel subducendas. Quae cum in terram extractae sunt, hermata, id est, trabes quaedam, substernuntur navibus, ne subductae humi putrescant. Anchora dēte, seu unco ferreo ad sustinendas naves per funem in altum demissum salutis causa nautae utuntur. Anchorae dicuntur, quibus funes religantur. Ponte ascenditur ad navim et descenditur, per quem depuppi, tanquam scalis navalibus, milites exponuntur. Iam triremes describamus.

TRIREMES.

Triremes multo humiliores navibus aedificantur, sentina declivi, et multo statumine ad humilitatem triremium a lateribus excitato; quod tabulis copactū est ad summum usque triremium. Latera triremium colūbariis aequabili intervallo aperta patent, per quae remi foras emittuntur ad navigandum, inter proram et puppim. Per foros interjectos, milites ultro citroque cursare possunt, et a prora in puppim, et a puppi in proram usque comineare. Videre est proram a foris altius excitatam propter tabernaculum praetorium in ea aedificatum; unde despectus maritimi prospiciuntur. Prora haec regis insignibus ornata, aut tutela, unde navis nomen accipit, pluteis navalibus, quae acrotaria dicuntur, a lateribus insigniter eminentibus, egregiam habet speciem, et dignitatem. Ab utroque latere transtra, quae sedes sunt remigantium, apparent, et inter foalium, interjecta scalmorum spatia inter remigēs. Nam cum his rebus triremes ornatae instructaeque sint, tum duplici longoque remorum ordine ar-

matae

armatae agi videtur, et in puppim converti, aut in proram propelli. Remiges dato signo remigandi festinatē una omnes vestibus exuti, quasi portu egredientes paululū remigant; et quojubentur remis omni festinatione properāt, nullo intermisso impetu, pulsuque remorum; clamoribus se suis dissonis excitando, et attollendo demittendoque, cum est opus, sustinendo et inhibēdo remos. Quae species? quae celeritas? qui pulsus, sonusque remorum? Cum in alto navigant, et longius proVectis triremibus prospiciuntur mobiles utrinque remorum ordines, propter demissionem, et intentionem alternam, celerem, et incitatam, procul spectantibus animalium praebet speciem alatorum. Hinc biremes, quinque remes, et myoparones egregii pendent, descriptu facillimi.

DE CYMBIS, LINTRIBVS, et scaphis.



Quamquam ex superioribus cymbae facile describuntur, parvula detractioe nonnullorum, quae a cymbis, et lintribus absunt, non tamen illorum usus praetereamus; quos cum in aliis, tum in hoc fluvio Baeti magnos habet, et necessarios. Lintres magno usui sunt ad piscandum. Multis in locis homines, et jumenta cymbis flumen transportantur, sed cum homines piscantur et cymbam, et jactus matutinos et vespertinos omnes constituto pretio conduxerunt, cernere est decem, plures, aut pauciores in cymbis conductis per secundum et adversum fluvium comneantes hos in puppi, illos in prora, reliquos a lateribus, ipsumque portitorem in transverso transiro residentem, et remigantem utroque brachio propellendo et impellendo cymbam incitato celerique pulsu remorum: quos ille manubriis effereudo, et demittendo, et palmulis aquas prosciudendo cymbam agebat in quam partem rete jaciendum conductores imperarent ad pisces ca-

Q3 piam

piendos. Quorum ut numerus capiebatur, ita subsistebant, aut alio remis properabant, ubi pisces capi posse cognoscerent. Iactus aliqui vacui prorsus et inanes piscibus procedebant; alii tamen felices, et quaestuosi, mediocri capto piscium numero. Gestiebant homines, et gestientes, et exultantes agebant inter se de piscibus partiendis, de comportandis domum. Neque ad laetitiam, et voluptatem, quam capiunt, nummos, quos illi contulerant, quamquam iacturam fecissent aliquam, et piscatus non exsententia processisset, comparandos censabant. Denique ubi Sol praecipitans jam praecipites eos ripas repetere hortabatur, quoniam tempus erat corporum reficiendorum, fructibus, et escis, quas domo detulerant, cymbam ad ripam appellunt ad terram capiendam, et tabula projecta excipiuntur, et exponuntur vectores in terram, qua facillimum egressum esse videt. Quam quoniam in vadis inhaerere necessarium est, trudibus, seu cotis impellitur. Quae ut solvit, nacta aquas, et ventum idoneum, secundo, vel adverso fluvio, ventis, et remis acta, tanta incitatione fertur, ut celeritas ejus quanta sit, nec cogitari sane queat: vectoribus quidem volare visa est.

MINISTERIA NAVTICA.

Instruimus ornavimusque naves, et triremes ad navigationem, sed ministeria nautica desiderabit jure optimo navigandi cupidus; quae subjiciam libenter, quod illorum inficiens in re nautica versari non potest ad animi sententiam. Ministeria igitur consideremus in ipsa navigatione jam tum cum triremes, vel naves solvunt, et in triremibus, remiges cum remis iussi sunt e portu egredi, quemadmodum paululum remigant, ut omni postea contentione, et impetu navim propellant, et incitent cursum, remos agitando, insectando, tollendo, demittendoque ad ipsas aquas scindendas? scimus thierarchum praesse triremi, jubere praefectum classis, ipso absente, legatum toecharchum lateribus imperare, dareque operam, ut remiges pariter remis aquam pellat. Notum est etiam omnibus

ce-

caelestem hortari voce, aut alio signo claro, vocalique incitare magis ad navigationem, quasi navigationis moderatore; unde celeuma, vel celeuma, id est, clamor nauticus, qui tollitur ab omnibus, cum mutuo hortatur sese, portumque vicinum inter se gratulatur. Pausarius non suo deest officio; dat modos idem remigibus, et jubet ipsos consistere, remosque inhibere remigandi labore intermittentes. Quonia vero necessarium est captare vetos et aucupari, eorumque dicere conversiones in promontoriis spectandis gubernatori, taenias, et brevia, ne in ea navis impingatur, prospicere et explorare proretani. Quam ille strenuus est, et diligens, ut partes muneris demandati obeat cui respondet Prynnetes, qui curat in puppi. Ita nautica res diligenter administratur, cujus difficultates et labores sequens commemorabit exercitatio.

VITA NAVTICA.

Satis equidem rebus nauticis videbatur esse provisum, neque metuo sane, quisquam me nimium putaverit, quod vitam nauticam addiderim: quae, quibusdam placet multum, aliis tamen improbatur plane. Nam ut tepestates omittam, ex quibus quantum infit in hac vita mali, non est intellectu difficile, vitam hanc videbimus plenam laborum esse, miseriarum, solitudinum, et plurimum inhumanitatis, et horroris habentem, alienam prorsus ab omni cultu, elegantiaque politiore: ut quicumque maris vitam ageret, is miser, calamitosus, barbarus, inhumanus, et horridus quondam haberetur; qui vim omnem frigoris perferret semper, toleraret caumata gravissima, in sordibus esset, et squalore perpetuo, fame, satique conficeretur, semper in perpetuo dolore, metuque versaretur. Cum nautae in aquis sint, a quationis causa in terram descendere coguntur. Quo autem pane vescuntur? mucido, instar lapidis durissimo, scatete vermibus, fassametilque putridis. Hae sunt deliciae, quibus abundat nautae. Quantis autem inquinati oppletique sordibus incedunt? foedum os praes sordibus, manus sordidatae, vestes inquinatae, homines adusti solibus. Quid Scyllam, Charybdim, brevia, syrtes, tonitrua, fulgura, ful-

Q 4 mina

mina, luctantes ventos, imbres, grandines, tépestates saevissimas commemorem, quibus occurrere, nullis artibus, neque machinis, navigantes queunt? Quid quod humanitatem exuunt? et insulsi redduntur et inepti profl^o, ut saxei paene videantur, et horrentibus nati scopulis, barbari, immites, feri? Cum autem in navigio semper futuri sint, tanquam in carcerem angustissimum, sordium et squaloris plenissimum, sentinam semper inhalantem teterrimam detrufi sunt: ubi inopia rerum omnium conficiuntur, praefinito bibant et edant, et omniū pessime, cubent in tabulis duris et asperis tū sordidis, scatentibus cimice foedissimo, cū angore maximo, nocturnis diurnisque curis, et metu tempestatum impendentium, expositi praedonibus, quibus infesta maria redduntur. Ita nulla requietis intervalla habent, carent patrio solo, carent amicorum cōgressu, carent cognatis et fratribus, deliciis urbanis, et domesticis jucunditatibus, sinu complexuque liberorum, tanquam exules et extorres a civitatibus, hominum frequentissima celebritate privati. Ita vivunt, ut ducere animam de caelo non videantur; ita medias aquas perambulant, ut bibendi commoditatem non habeant; ita auram hāc, et medium aēra navigantes captant, ut ventos contrarios, et irruentes vehementissime passim in suum exitium reformident; et ab eisdem impetu saepissime violento, demergantur in profundum; ita quocunque tempore maria navigant, ut nusquam sine metu, sine periculo versentur; ita terram aspiciunt, ut ad illam fluctibus rejecti potestatem accedendi nō habeant; ita postremo caelum suspiciunt a mari tanto intervallo disjunctum, ut mari videatur ipsi contrarium, et infestum mirandum in modum tenebris obductum, tonitrus cōmovens, vibrans fulgura, et fulmina crebro terrifica jaciens. Quod quantum moeroris, quantum acerbitalis habet? Quoties e multis navibus, quae solverūt, duae revertuntur in portum? quoties saeviente magis vento contrario, et ingravescentibus procellis, merces cujuscunque pretii et aestimatio-

nis,

nis, ne vectores demergantur in profundum, projiciuntur in medium mare; ipsi vero vectores cū navibus paulo post fluctibus absorbentur, & quibus cū melius actum est, ii tempestate conquassato navigio, penitusque dissoluto, tabulas aegre adepti, per immensum jactantur, circumferunturque pelagus, atque in ipsa littora nudi, falsis fluctibus omnibus membris sparsis, tabefacti ejiciuntur, postea stipem cogentes precario victitant? Quid quod ex alienis regnis, non minus invehere vitia videtur, quam merces? Illorum namque perfidia magnae reipublicae partes evertuntur, maxima patriae incommoda invehuntur, non mediocris ex hominum externorum cōmercio et familiaritate pernicies importatur, rerum plurimarum luxuries, et intolerādi mores introducuntur, atque adeo deportantur haereses, quibus infecti multi perierunt, et abstraxerunt alios a gremio, complexuque matris ecclesiae. Nam quae sequuntur, levia sunt, si cum proxime numeratis cōparentur: quod nautae piraticam faciunt, latrocinantur, praedantur. Inde barbari piratae, nefar ii praedones; communes hostes omnium, quibus cum nec Romanis, nec ullis gentibus fides erat quondam, nec jusjurandum cōmune. Quas enim oras, quas exterarum gentes ac nationes, quae denique maria tum univērsa, tum in singulis oris omnes sinus, atque portus non infestos reddiderūt, ut pauci navigarent referto saepe praedonum mari, qui non aut mortis, aut servitutis periculo se commiserint, aut idem isti non spoliati bonis omnibus, et pecuniis evaserint, in illorum manus incidētes? Non sunt Platonis testimonia, quibus mare fugiendum censebatur, tanquam improbitatis magistrum? is solitus erat dicere, ut a mari quisque remotus esset, ita hūc optime rempublicam administraturum esse. Quid autem Straboni initia latrocinandum, mactandi hospites, et aliorum scelerū immanissimorum, ab his potissimum facta fuisse, qui suas urbes, populos mari finitimos habuerunt. Vulgo vero jactabatur illud quondam, ut maritimi mores perversi corruptique

R. habe-

haberentur. Quamobrem magistratus Athenienses in eo nimum vehementerque laborarunt, ut suos cives a mari procul arceret. Vnde fuisse fabellam ortam, et increbuisse apud omnes nationes, quae nunc etiam est, de Neptuni, Minervaeque contentione scimus. Qui cum inter se de nomine tantae civitati imponendo decertarent, Deorum sententiis id datum Minervae fuit et adjudicatum. Haec enim colēdae terrae rationem, Neptunus navigandi artificium tradidit. Denique Minerva frumentum, et oleum, et alios fructus, Neptunus vero varias, et peregrinas merces ostentavit. Quare quid de maritimis rebus veteres senserint, ex superioribus quidem facile est intelligere. Sed haec exercitationis causa praescripta sint: nam utilitates illius ab auctoribus traditae sunt innumerabiles, quibus salinarum accedunt plurimae maximaeque.

SALINAE.

Maris utilitates sale communi escarum condimento augebimus; quem fieri videmus, aut ex aqua, quae natura sua salta est, aut in salinis, cum aqua a Solis ardoribus, aut in cortinis, vel ollis, vel fossis, ignis calore conflata vertitur in salem. Quae arte salta est, et igne densata, in eundem salem mutatur. Salinae autem, si loci ratio ita fert, fodiendae sunt multae, nec tamen plus quam utile sit: tantum enim salem salarii conficere debent, quantum possint divendere. Ad salinas igitur celebrandas mente cōplectamur areas salinarias, quae combibant aquas, e sale primum facte crustatas; quae altitudine modica fiunt, et aequata sua planicie, ut omnes aquae Solis caldibus siccentur in salem. Cum igitur aquae fundendae sint marinae in eadē, de stagno in incilia, ab his in areas, quibus sal conficiendus est, per aperta patentiaque ora fundentur. Salinae autem sepimento suo vallatae sunt ad aquas continendas. Atque aquae cum ab una in alteram arcam deriventur, quasi libratae mira aequabilitate deducantur; ne plus

in

influat, quam necesse sit. Aquis in salem concretis, facile est salem eximere, et acervos ejus altissimos aggerere. Ad hos autem tollendos in altitudinem suam, sal intra salinarias areas contentus, rastris ligneis corradendus est, et batillis ejiciendus. Mirae autē sunt salis utilitates. Nā ille astringit, siccatur, dissolvit, excitat aviditatem edendi, omnia sapore suo cōdit, suavitatem affert gustatui, carnes conservat integras, sexcentasque alias commoditates praebet. Denique tam necessarius est ad victus generis hominum usitatos, ut communis vitae cōsuetudinē, et bonorū omnium humanitatē salis nomine decoremus. Nā sales dicuntur, omnis vitae lepos, et summa hilaritas, laborū requies, et oblectamentum omnino jucundissimum.

BAETIS.

Ex mari fluvii oriuntur, et profuunt, et tandem in illud post innumerabiles cursus, quamquā variis flexibus referuntur praeterlabentes diversa loca terrarum, et magna longinquitate praecurrentes, vel aliquando finibus arctius angustati, vel interdū rursus laxati, liberiusque dilatati. Ex his Baetim fama, et nomine celebratum aspiciamus. Fluvius igitur iste ex montibus, qui sunt in finibus Segurae magno impetu per declivia loca, et immania saxa se praecipitans, multis in locis citatus, aliquot in partibus lenissimus fertur. Quae minima est altitudo, nunquam fere vado transiri potest; sed ipse aliquando divisus non aequabiliter in duas partes latera nonnulla alluit, rapideque delapsus cito in unum cōfluit, disjunctus interdum, quasi id haberet operis, atque muneris, ut isthmon faciat. Ipse raptis secū multis torrentibus, qui de Mōtibus Marianis dilabuntur, ubi Granatā appropinquavit, cū Singili cōjunctus, et rivis plurimis in eum influentibus, mirū in modū augetur, et redūdat saepissime. Qua de causa portes lapideos, multis in partibus, et latere arcuato aliquot in locis aedificatos habet, et in urbe Hispalensi sublicium propter altitudinē, et latitudinē suā. Vbi Hispalim appropinquavit,

R 2 non

non longe a Carthufianorum aedibus, infulam efficit mirabili pulcritudine, et aequum in Oceanum illabatur, in plures partes influit multis insulis effectis. Ripae amoenissimae sunt, siue ab ineunte vere vestitae herbis, floribus, vinetis, olivetis, frugibus, insatiabili varietate distinguuntur; siue hyeme, alnis; et aliis diversi generis arboribus aquarum humore procreatis, jucundissime virent. Sustinet ille molas aquarias innumerabiles ad frumenta totius Baeticae molenda. Nemo numerare potest piscium genera, quae retibus, hamo, siccellis capiuntur. Quanta sit altitudine Baetis, multitudo navium, quas continet altissimus, et latissimus iste fluvius, declaravit: quarum capax admodum, semperque plenissimus est, et triremium, quae ad deportandos commeatus in nostra littora multis anni temporibus appellunt. In illo est oblectatio summa per portam, qua volueris, in Baetim spectantem rusticari. Cum tot lintres, tot scaphas, tot naves, et saepe triremes videas, et has ad anchoras deligatas, plurimum voluptatis accipies. Nam primū lintribus in adversam ripam viri transvehuntur, et mulieres. Vt est anni tempus, viridi sunt et opaco vestitu ramorum. Et alios adversum secundumque fluvium hilares et laetos petere, repetereque, multos insulas aliquot transire, vel in hortorum transvehi amoenitatem videbimus. Multi ex vectura scapharū victitant, et in ripa expectant, projectis ad terram tabulis, et ad ingrediendum, virorum et mulierum genus invitant de scaphis, ubi sunt, venientibus inclamantes, ut ingrediantur in scapham suam, trajecturos esse quamprimum. Et quoniam homines jam aliquot transportandos in scaphas acceperunt, nihil esse morae proclamant completam jam esse scapham, se dumtaxat expectari solum. Urgent igitur ut ingrediatur, si velit solviturus illico. Alii naucleri proclamant suas magis expeditas, et vacuas, optionem dari, quam velint, et cupiāt adire partē locorum; et ob eam rationem opportunius, et comodius, nullis angustiis, neque difficultatibus transmissionis, sine multitudine

sine turba comitatos aliquot viris honestissimis sui generis, et fortunae transvehi posse. Quod ad transmissionē spectat, nō multo post praecedentem, suas scaphas profecturas. In ipsiis transmissionibus, quae capiuntur voluptates mittendis et rectorque vendis ridiculis, cū praesertim ii naucleri principes faciendi redicula, et qui vehuntur saepe, multum salis et leporis, tum acuminis et subtilitatis habeant in dictis dicēdis. mira est jucunditas, et summa delectatio. Sic equidem, ut naucleri, neque quemquam mordere perissent eorum, qui transmittuntur, in eam partem omnia accipere, ut illos joco agere, nihil ad contumeliam conferre sciant, ut urbani atque politici, prudentes, et rediculorum non inscientes. Iam vero ex multitudine navium quot mercibus onerantur, cum praesertim classis comparatur, et instruitur? quot onustae exonerantur? atque hae ex Italia, aliae ex Sicilia, aliae ex Lusitania, multae de Flādia, nō paucae de Gallia, plurimae reversae jam ex India, vel in Indiam paratissimae; reliquae ex variis orbis terrarum partibus, disjunctissimisque locis, et nationibus. Nulla gens est, nulla quidem natio, dum modo possit, quae in urbē Hispalim naves suas non dimittat mercibus, aut frumento refertas, aut ex hac civitate non efferat cum cōpendio, quae stuque maximo, Baetim suis mercatoribus, et negotiatoribus nullam non partē anni trajiciētibus. Vt enim omnittam omnis generis merces, diversarum gentium et nationum, et Indiarum solum partem exponam aliquam, cum classes ex Indiis revertuntur, cum coriorum, et lignorum odoris suavissimi, cochi Indici magnam copiam afferant; quantam vim, quot pondera comportant, argenti, et auri facti, et infēcti in quibus navigiis exonerandis, in exponendo auro et argento incredibilis est voluptas spectatorum in ripa. Videre est multitudinem operariorum uno continuato ordine, et intervalis aliquot, in tabulis a navibus, unde argentum, et aurum extrahitur in terram usque projectis disposita stantemque divaricatis cruribus; qui per manus acceptas, et traditas lami-

nas, numerum semper praedicantes a prima in ultimam usque laminam. Omnes in currus imponunt, impositas, et ordine suo apte collocatas in Basilicam Indici commercii comportant. Videbitis extrahi de navibus, et in terram exponi oculos plurimos argento jam obsignato plenos, plenas etiam arculas rerum magni pretii et aestimationis. Nam illa communia, fabuletum omne extractorum plenum esse coriorum multitudine, plenum dissimilium lignorum materia pretiosissima, plenum denique omnis generis mercimoniorum, quae ex India, quae ex aliis nationibus ad Baetis ripam comportantur. Est quidem fluvius Baetis spiritus et anima Baeticae, et Hispaniae totius. Inter pontes memorabiles, per quos traefundi Baetim facultas datur, unus est Hispalensis, qui sublicius est constructione miranda, sublatus in altitudinem multam ab aquis profluentibus, navigiis tredecim infra molem tantae machinationis sustentantibus. Ad quem reficiendum, ut spectetis magnificentiam Hispalensem, plus quam tria milia numerorum aureorum in reditus annuos cadunt. Et saepe tentarunt, et egerunt Senatores Hispalenses de ponte lapideo fabricando, quibuscunque millibus numerorum: sed latitudo fluminis, et altitudo prohibuit tentata perficere. Inter jucunditates, quas habet iste fluvius, retibus, verriculis, arundine, vimineis corbibus piscatus datur non injucundus, et valde quaestuosus. Sunt piscationes aliquot in partibus Baetis abundantantes sulmoniorum, quibus capiendis homines multi victitant, et anni praestitutis temporibus. Ad hujus generis piscatum Baetim trajiciunt plurimi non sine voluptate vesperum unum, et alterum, aut totam diem consumentes. Adolescentes, viri nobiles, et divites jactus illius diei certo pretio conducere solent. Sed ex amoenitatibus illa jucundior, quae pertinet ad populeta plurima, ad quae ripam fluminis in ambulantes pervenimus. Haec cincta sunt ab utraque parte fluvio Baeti, confita alnis altissimis, quae humore aquarum perennialium procreantur: alni vero vestitae suis foliis praebent spe

speciem mirificam, et aures demulcentur sono et susurro foliorum gratissimo quo vis lenissimo vento crepitantium. Inter vestitus riparum fluminis, et amoenitates populeti cursum fluminis aut lenem, aut incitatum aspiciamus: et ex aliquo loco stantes, aut confidentes, aut in herba recumbentes, jactis lapidibus bullas plurimas excitamus, quas evanescentes confestim, et alias aliis deinde succedentes omnes minimis momentis intereuntes numerare possumus. Per multa etiam spatia ripae multarum diversi generis arborum umbris opacae redduntur, et amoenae, ut cum umbra multa ad acquiescendum, et ad captandas delectationes id commoditatis, et oportunitatis habere videantur, ut sedes aptas et jucundas praebent ad aquarum aspectum, et reliquae viriditatis, et amoenitatis, quae plurima et voluptuosa patet agrorum, quacunque sulcare volueris Baetim. Cum in mare propter Luciferi promontorium ingreditur, cum ipso se confundens commiscensque suum nomen amittit.

BREVIOR BAETIS

descriptio.

BAetis inter fluviorum multitudinem memorabilis ex motibus, qui sunt in finibus Segurae profluit impetu magno per declivia loca, et saxis immanibus infestissima se praecipitans. Multis in locis citatus fertur, aliquot in partibus mitis, atque lenis. Atque ipse raptis secum multis torrentibus, qui ex Motibus Marianis dilabuntur, cum Singili, et Dario conjunctus, et rivis plurimis in eum influentibus mirum in modum augetur: maxime hyemali tempore imbribus, et aquis auctus redundat saepissime. Hac de causa pontes lapideos multis in partibus, et aliquot in locis opere arcuato fabricatos habet, in urbe Hispalensi sublicium propter altitudinem, et latitudinem suam. Vbi Hispalim appropinquavit, non longe a Carthusianorum aedibus insulam efficit mirae pulchri-

tudinis, et antequam in Oceanum dilabatur, in plurimas partes diffuit multis insulis effectis. Ripae amoenissimae sunt, et ineunte vere, vestitae floribus, herbis, arboribus, frugibus, insatiabili varietate distinguuntur; hyeme alnis, et diversi generis arboribus aquarum humore procreatis, jucundissime viret. Adde vineas, oliveta propinquiora ripis, hortos oleribus, et plantis omnibus confitos. Sustinet ille molas aquarias innumerabiles ad frumenta totius Baeticae mola. Nemo numerare potest piscium genera, quae retibus, hamo, fiscellis arundineis capiuntur. Illud dicam de navibus, quas continet, de plurimis commodis, et opportunitatibus maximis ad hominum vitam necessariis, et ad delicias et voluptates honeste capiendas, spiritus est, et vita Hispalensium Baetis: quo non Hispalenses solum, sed omnes Hispani, et alienigenae procul dubio sustentantur. Catadromus autem est immensus, machinae cujusdam genus non procul a fluvio, propter turrim auri nomine notissimam, qua mercatores utuntur ad sublevanda, vel demittenda onera. Unde collum protensum prominet in fluvium in gruis similitudine, ad exoneranda navigia valde accommodatum.

FONTES.



Luminibus vicini tractatione fontes accedunt, quorum multi sunt incredibili magnitudine, eorumque venae vel infra terram longo satis intervallo reperiuntur investigatae notis, et indicibus plurimis, et soli, quod roscedum, et humidum virebat, aliis spatiis, non procul ab illo situ siccis, et aridis admodum, et scatebrarum longe renidentium, ut vix humus defoderetur, cum scaturirent circumcirca fonticuli nati ex alveo profundo. In quem, cum perventum esset fossione nonnulla prorupit multitudo, visque aquarum incredibilis. Quae cum dulces et salubres gustatu fuerint, tum purae li-

qui-

quidaeque, quasi per aquaeductus recentiores, et nitidissimos profluerent. Atque aquae perennes erant, et propter vicinitatem, et amoenitatem locorum ubi natae fuerunt, propinquae civitati ab incolis multum appetitae. Quoniam vero propter motus radices defluit, e flumine, quod a lateribus radices alluit ejusdem montis, ortum suum habere creditur; et ob eam causam plaris est cuicumque generi mortalium, et frequentatur plurimum, ut ex disjunctis locis haustum aquam multi veniant. Atque illa praedicatur publica voce lixarum per vias, et loca celebriora civitatis. Ita senatores dies multos, et sumtus maximos impenderunt, dum fontem hunc deducendum in civitatem operariis, et illorum praefecto, qui faciendos fontes plurimos, et deducendos suscepit, pretio maximo conduxerant. Unde ad civitatis aquationem per tubos infra terram factos aquas derivatas fontes praebuerunt multis in locis civitatis multis fistulis promanantes, ad quos lixae, famuli, ancillae, cum hydriis aquatum veniunt. Atque ita locus ille, unde fons iste manat, jam circumdatus est cratere ex lapide politissimo, a quo per multas fistulas ex aere Cyprio factas, aqua defluit in lacum, qui multitudine fistularum completur, atque redundat. Lacus propter fontem efficitur profluens in hortos vicinos, cujus derivatione plantae, et olera irrigantur, et a lateribus ex diffluentibus aquis humida sunt admodum prata, et aquis scatentia plurimis: quarum copia viriditates herbarum, et varietates florum per omne tempus anni nasci videntur. Quanta vero rivulorum ab hoc fonte deductio, a quo nati deducuntur in varias partes, et a capite suo per villicos accersiti in villas usque ad irrigandum perducuntur, cum omnes aquis nitidis ac perlucidis sint, et nitenti crystallo clarioribus, tum unus tanta lenitate est, ut in quam partem fluat, oculis discernere nescias. Ea quoque munditia et claritate fluit, ut lapillos perlucidos, et absterfos, nullo musco oblitos eximio candore praeditos intuearis.

S TOR-

TORRENS.

Fontibus vehementiores profluunt Torrentes, qui auribus nostris perfonant ingentes, ac praecipites. Ecce enim torrens de summis jugis montium altissimorum impetu maximo, incredibili rapiditate, horrendo strepitu atque fragore per dejectos asperos, per declivia loca, lapides, et saxa quaecunque perrumpens, multa rapiens, et evellens, et omnia secum trahens, aquarum immensa magnitudine ad imas usque radices provolvitur. In quas praecipit postea totis vallibus fertur horribili crepitu et fragore loca hujusmodi praeterlapsus.

PALVS.

Ad aquarum materiam accedit palus, quam intra pomeria civitatis vidi patentem in latitudinem, et longitudinem multam. Hujus solum in medio depressum est. Totam palus hyeme & temporibus aquarum plenissima cernitur. Aquae fere turbidae sunt, et sordibus, quae ex vicinis aedibus projiciuntur, magna ex parte inquinatae propter vim coeni plurimam, et propter maximam luti molliam. Cum in ea fues animalia spurcissima volutentur, et rostro, atque adeo toto ore, coenum ipsum, et lutum agitent, atque versent, afflatum odoris exhalant deterrimum. Deformes sunt ad aspectum aquae, saepe piceo colore nigricantes, ut Cocyti detestabilem imaginem te diceris intueri. Quas foedissimis animalculis, et ranis assidue coaxantibus coinquinatas, et conturbatas etiam aspiciens magis fastidies, et execraberis. Quamobrem pracludit aditum in aliquot partes, et transitum rectum in superiora vel inferiora loca. Cum vero siccatur, limus, aut coeni exiccatum haeret, et infixum est penitus humi plenissimum rimarum, et aliquot in locis tollitur aliquantulum a terra duritia se sua sustinens, atque conservans in multam tempus. Ita neque hyeme propter aquas, et fordes maximas, neque


aestate propter difficiles accessus, et offensiones plurimas, quas suscipere necessarium esset in progressu transeunt, eam quisquam transire potest. Cum etiam plurimae fuerint aquae hyemales, qui propter paludem hanc habitant, quoniam illa palustria loca natura sua sunt humida, in morbos incidunt aestivis temporibus, ex quibus multi aegre convalescunt, non pauci vi morborum absumuntur. Communes enim et quasi anniversariae sunt in ea vicinia febres tertianae. Quamobrem eo nunc animo sunt vicini, quo semper antea fuerunt, ut ad paludem siccandam in perpetuum pecunias conferre voluerint.

ANTLIA.



Progressae jam descriptiones sunt ad Antliam, neque generatim aliquam, sed eam, quae sequitur, speciatim describemus. Antlia quaedam est Hispali propter fontem nomine Archiepiscopi celebratum, unde aqua derivata concluditur in castellum, inde per aquaeductus deducitur in fontem ipsum, qui duabus fistulis, quattuor digitorum crassitudine profluit in lacum magis longum, quam latum, et tantum a terra excitatum, ut jumenta nihil rostrum producentia, quod fieri necessarium est, cum in aliquam altitudinem depressus fuerit, sine difficultate bibant. Homines proni demissis capitibus, et ora siphunculis admovetes, cohibito compressoque profluentium aquarum impetu, bibendo reficiunt sese, sitimque sedant summa cum voluptate. Aqua ab hoc fonte longo quidem spatio in urbem per vias multas in urbanum usque populeum Hispalense per aquaeductus coecos, subterraneosque deducitur: nullam tamen in aedem derivatur, cum aquae ex tubis Carmonensibus deriventur in privatas aedes plurimas castellis plurimis factis in diversis civitatis partibus: unde deductae defluunt suas in partes, atque ex his receptaculis ad omnes vias per uncias, paleas, et digitos dividuntur.



PUTEI.



 Absolvant istius materiae exercitationes putei, quibus multis in locis homines utuntur. Itaque nullae fere sunt aedes mediocres, quarum habitatores propter domesticos usus, ad aquam hauriendam non eosdem habere cupiant. Quot autem oppidula, quot villae sunt, quae fluminis, et fontium inopia aquas hauriant ad bibendum deputeo communi? putei autem isti omnes fere altissimi sunt, et aquis manantes perennibus, quae ex intimis terrae venis per diversa in circuitu loca in illos profluunt. Quae ut sunt minus crassae, et tenues, atque dulces, ita salubres vulgo habentur, et hauriuntur ad bibendum. Nam aquae puteorum minus salubres sunt, quam fontium. Quippe quae plerumque saliae sunt, et nimis longo intervallo, cum infra terram sint, ab aëris flatu distant: atque conclusae profluere non possunt, neque aura ulla commoventur. Istud autem commoditatis habent puteorum aquae, ut cum frigidae sint verno, et aestivo tempore ad vinum refrigerandum, et aquam plurimum valeant. Ad aquas de puteis hauriendas machinationes supra puteal ab uno et altero latere productas videbimus; a quo medio cyconiae, vel telones pendent, quorum ope fune ductario ex illis suspenso demittimus lebetem. Puteal autem excavatum usu multo hauriendae aquae notis et vestigiis ipsius funis non leviter expressis aspiciamus.



TOPOGRAPHIAE

LIBER QUARTVS.


 TERRA GENERATIM 
 describitur.



VPERIORE libro, mari, rebus quae ad mare spectantibus varia exercitatione descriptis terra necessario consequitur, quae universe prius a nobis, deinde partes illius variae summa cum voluptate describetur. Terra autem, quae in ima Mundi parte sita est, uno verbo obsequens, atque morigeram peperit, et fudit ex se foetus varios, ac multiplices; sese viriditatibus induit, fertilis ac fructuosa coepit esse, pinxit, et distinxit faciem ornatu florum, et varietate mirabili. Sed quis explicabit pulchritudinem agrorum, odorem, suavitates, et voluptates agrorum? quis oratione complectetur speciem, quam habent violae hyacinthinae, lilia candida, splendidae rosae, iucundissima prata multis et variis intertexta floribus? quorum hi aureo colore, alii purpureo vestiti sunt, alii maculis et notis dissimilibus aspersi. In quibus nescias, quid maiorem voluptatem afferat, an natus color, an formae venustas, an suavis odoris

mirifici reficit, et pascit oculos tam speciosum, et illustre spectaculum, et in nares, qui fertur odor suavissimus, sensum olfaciendi totis illis pratis viridissimis sparsus, atque diffusus. Inspiciamus liliū aliquod. Quae pulcritudo? qui candor illius? quanta altitudo? quae species foliorum? quā admirabilis ordo? quae series, atque cōtinuatio? qui croci intra calicē cōtēti aureus aspectus? capiat aliquis florē hunc, si foliis nudaverit, consideret secū quinam artifex tam egregius simile floris istius simulachrū exprimet. Idē de rosis, de reliquis floribus dici potest. Quantam quotidie parit, et procreat terra multitudinem, et diversitatē herbarum, quae valetudini plurimum profunt? hae vim maximā habent ad bilē atram purgandam, aliae ad humorum redundantiam, et ad omnem corporis sentinam expellendam, et projiciendam foras: aliae virtute incredibili sunt ad vulnere curacionem, ad dolorē corporis, ad hepatis temperationem: aliae expressae valēt ad oculorum aspectum restituendum, et ad innumerabiles morbos aegritudinesque depellendas. Si placet, id quemadmodū in resoluta cassia liqueat, aspiciamus. In hac vis inest bilis atrae depellendae, quae epota permanat ad sedem hepatis, unde venae tractae, atque profectae in corpus omne ducuntur, atque crassos humores, et cōcretos ad se trahens purgat hominem, et expellit sentinam omnem. Quid referam uniones, smaragdos, pyropes admirandae magnitudinis instar ignis accensi collucentes? quid gemmas clarissimas, carbunculos splendidissimos, et alios multiplices, et pretiosissimos lapillos venustate coloris, et eximio fulgore caelestium astrorum speciem et similitudinem referentes? quid commemorē genera florum, et pulcritudine, et diversitate praecellentissima non ad victum, sed ad delicias hominū procreata? quod enim aliud liliū faciunt officium? quod stos caryophyllatus? quod basilicū ocymum? quod rosae? quod flores genere suo praestates, pulcritudine venusti, et omni varietate mirabiles, quibus viridaria, montes, agri, prata candidis, et purpureis, et hyacin-

cint-

cinthinis, et reliqui generis coloribus strata nitent, atque splendent, una cum artificio, quo sunt admirabili opere picti, tum ordine concinnitateque foliorū, quibus ex omni parte circumdati sunt, et odoris, qui ex plurimis afflatur, suavitate mirificat: jā vero terra vestita tot arboribus, lauris, cupressis, cedris odoriferis, altissimis alnis, hedera, quae sua viriditate vestit viridaria jucundissima, et parietes plusquā aulaeis sericis vestitos ornatiores reddit et pulciores, quid habet venustatis, atque voluptatis? hae fructuosae sūt, aliae steriles; hae ad homines sustētādos, aliae ad alēda bruta animalia; hae foliis vestiuntur, aliae nullū vestitū habēt; hae folia singulos annos exuunt, aliae vestitae foliis suis virent in perpetuum; hae serotinos, illae praecoeces fructus ferunt; hae folia ad amoenitatē, ad umbrā, ad opacanda loca natae, aliae praebent utilitates, et cōmoditates innumerabiles. Et ex his, quae fructuosae sunt, aliae vernos, aliae fructū fundūt hyemales et aliae omni anni tēpore opportunos. In quorū fructuū multitudine, et varietate praestati cernere est divinā providentiā consulentē tantopere mortalibus, neque solū universis, sed etiā singulis, quae sic genera procreavit universa, et in illis tot et tā dissimiles arborū species, atque formas suis tā multis, et diversis generibus contentas ad gustatū, et appetitum appositatū, et valde pertinentiū; ne satietate respuerentur, et ut copia suppeteret et abundantia ad victus hominū praestantes, et magnificos. Id liquido constabit in prunis. Horū quātae sūt dissimilitudines, quātaeque varietates? eorū alia praecocia sunt, alia serotina, non omnia ad eundem modū, sed vario colore, longeque forma dissimili. Quae similiter in poma, in pyra, in reliqua multiplicia fructuum genera, quibus diversae multumque differentes formae subjiuntur, plane conveniunt. Sic enim divinitus provisum est, ut fructibus fructus alii succedant, et ut aliis alii maturiores sint ad colligendum, alii pubescant, aut adolescant, alii nascantur, reliqui sint in flore, gemma existente jam

lactissima; a qua orientes fructus se ostendunt. Quamobrem et in eisdem arboribus non omnia poma maturitatem suam simul consequuntur; sed postquam fructus ex una arboris parte maturi fuerint, ex altera maturescant; ut alias alii consequantur, et plures dies fructus in arboris permaneat. Quae paterna Divini numinis in homines indulgentia, deliciaeque fructuum suavissimae aestivo tempore magis perspicitur. Nam in tanta vi calorum, et aestus magnitudine gravissima corpora propter siccitatem, et ardores maximos naturaliter humidis, et frigidis fructibus refrigerari gestiunt. Quid si, quam arbores fabricationem habent, perlustremus? quanta cum voluptate fabricam illarum intuebimur, qua sic gigni singulas a Deo videmus procrearique? Nam primum arbores radices agunt altissimas, easque magis ac magis progrediente tempore infra terram longe, lateque propagant. E quibus ut arborum natura fert, truncus exoritur, libro, et cortice obductus, quo sit a frigidibus, et a caloribus tutior. Truncus ramos in omnes partes diffundit, qui primum strobulis, deinde foliis vestiti fructuum ubertate plurimorum incurvescentes in terram usque saepius oneris magnitudine deprimuntur; ut eos erigere necessarium sit, et attollere adminiculis adhibitis, ne disrumpantur, franganturve incredibili pomorum ubertate rami luxuriantes. Ex minutissimis seminibus tantissimi rami, tantique fuere trunci procreati; qui vestitu foliorum non habent solum ad aspectum oculorum venustatem, ad victus hominum vim, et copiam fructuum sui generis, sed crescentes in altitudinem, et in diversas partes diffusi efficiunt, testudinem mirabilem in speciem, similitudinemque concamerationis: quae loca subjecta suis umbris opacant. Arborum autem tanta est copia, tantaque multitudo, ut in camporum aequoribus, in humilitate vallium, in hortis et nemoribus, in montibus editis, in lucis densissimis, caeterisque silvestribus locis nunquam non eminent in mirandam altitudinem. Quae ventorum flatu lenissimo huc, atque illuc ven-

tilantur susurro gratissimo, sonoque simili bractearum ex auro lenissime concrepantium a Sole foliis oppositis ad defendendos etiam arborum fructus contra vim, et magnitudinem frigorum, et calorum maximorum. Quamobrem cernere est in arboribus, quae fructus teneriores, et molliores ferunt, folia longiora crassioraque, quo magis eas ab injuriis temporum longitudine sua, et crassitudine tueantur. Ex quibus, in pinis, quae in summis montium jugis nascuntur, quonia in altioribus locis oriuntur, in quibus venti vehementiores existunt, et vehementissime huc, et illuc effluentes, et in arbores, in pinos saevientes, fructus omnes, si paterent, et vetis expositi relinquerentur, vis ipsa ventorum dejiceret, et deturbaret in terram, nucleus, qui fructus est nucis pineae intra putamen latet abditus, vallo concamerato, et constricto compressoque tantopere circumseptus, ut saeva ventorum vis et admodum violenta nullum ei facere damnum possit. Prius autem pini ab stirpe convulsae praecipites de summis montibus in infimas provolventur valles, quam nux ipsa quidquam detrimenti capiat. Quod idem in castaneis licet animadvertere. Has enim Deus immortalis triplici obduxit operimento, primum echino aspero, atque villosa, deinde cortice duro, et subflavo, intus membrana tenuissima, nucleo molli suavique cum decoctis, aut tostis vescimur: nam crudae decoctu difficillimae sunt, atque digestu. In viridariis malus Citrea, malus limonia, malus Medica, quam habet venustatem? quam speciem, atque formam? quam pulcritudinem, et splendorem? in hortis denique cum tanta multitudo, et varietas omnis generis arborum sit, sive cum florēt, aut foliis vestitae sunt, aut cum fructus profundunt, omni copia prorsus, et genere pomorum abundantes, quid arborum aspectu venustius? quid fructibus lacti? quid ipso gustatu dulcius? quid odore suavius esse potest? an quidquam ad aspectum jucundius esse potest malo, quae melimela suavissima profert diversis picta coloribus? quantam voluptatem afferunt oculis erratici palmites, per-

parietes sursum versus repētes, aut arbores multiplici suo inflexu coercentes; cum praesertim vitream porticum fronde viridi, et amoena effecerunt: ex qua tot botri mirae magnitudinis, varii generis, et diversorum colorum, tanquam emblemata quaedam speciosissima pendere cernuntur? vites hominum solertia confitas non admiramur, et fructus earum, et sationes, et ordines, tot genera, et diversitates uvarū; quae nigrae vel albae, vel intermixto colore nascuntur, et palmites ipsos oneris gravitate deprimunt, et ad terrā trahunt suorum miranda magnitudine racemorum? reliqua multitudo, et diversitas arborum non aspernendae erit utilitatis, quae quamquam steriles sint, tamen ad aedificiorū fabricationem, ad navigia facienda, ad pastus animalium, ex quarum libro et cortice sustinetur, et ad ignes excitandos, et alēdos, ut homines calefaciant, et cibi praeparentur, et condiantur, usus afferunt maximos. Ac nequidquam deesset ad usus humanae vitae necessarios, idem Deus procreavit arborum alia genera, quae vim omnem aromatum producant, et alia balsamo suavissimo, liquoribusque pretiosissimis, et salutaribus profluunt. Quid ad hos usus, deliciasque terrarū addi posse videbatur? intuere nunc sigillatim naturae vim, et solertiā hominum in terrarum diversis spatiis praeclare satis expressam.

MONS AMOENVS.



Voniam terrarum facies a nobis tanta varietate distincta describenda est, quae pars maxima rusticarum amoenitatu est, ea sigillatim perspicuiatur. Libetenim modo rusticari, atque primum in montem ascendere, unde quae voluerō, quaeque appetierō, meis oculis collustrabo. Est enim mōs hic editus et excelsus, eminens in valles altissimas, a laterib⁹, et a tergo in fluvium maximum, a fronte in camporum planiciem, et agrorū ubertatem plurimam. Ad radices capus patet


tet immēsus; et fontes plurimi aquarum multitudine profluētes, et rivuli lenissimis, et clarissimis aquis a fontibus accersiti. Cum facili sit ascensu, tum herbis, et floribus convestitus. Ex cujus fastigio possumus oculis lustrare terram, lucos valde dēfos, amoenissima viridaria, silvas opacas, altissimas valles, viridissima prata, cultissimos hortos, uberrima pascua, satā plurima, colles jucūditissimos, villas amoenas, vastissima flumina, fontes perlucidos, crystallinos rivulos, lucos silvestres, stagnantes paludes, pōtes lapideos, spatia frugifera, immensaque camporum, molendinaria mediis influ-minibus extructa, urbes clarissimas, oppida florētissima, celebres populos, oppidula parva, pagos et vicinitates, casas et tuguria pastorum, palantē omnis generis gregem, et equorū, et boum armenta vaga dispersaque, mitia et māsueta animalia, feras et immanes belluas, et in specus se recipientes suas, aut cum suo genere totis lucis errantes atque nemoribus, itinera varia, indigenarum adventus in urbes, aliorū discessum atque profectiones, denique urbes in ipsas ab agris receptus oppidanorum. Subsidium est ad declinādos imbres, et aquas, et caeteras tempestates hūemales in spelūca, quam habet ingenti altitudine, et ad acquiescēdū vitādi Solis gratia, et ad se reficiēdos homines ex maximis caloribus aestus tēpore gravissimo.

MONTIS ASPERITAS.

Quantum inter hunc, et inter eum, quem supra descripsimus montem, intervalli sit interjectum, facile est animadversu; in quem nulli pagani, nulli montani conscendunt. Nihil est enim propter altitudinem, quod sit magis extimescendum. Arduum enim habet et difficilem ascensum, et infensum multis asperitatibus saxorum, foveis plurimis et altissimis, sentibus, et virgultis densissimis. Summus, medius, et infimus, tantis est difficultatibus obstructus, ut nisi proni homines, et more-

reptilium in illum ascendant summis se digitis sustinēdo, saxa, et objecta virgulta manibus apprehendendo, totis denique connitendo membris, atque adeo corporibus saepe suis, in magnas locorum angustias vepriū intra dumetorumque aculeos adductis, magna defatigatione mēbrorum, praecluso spiritu, sudore multo, anhelitu crebro, et semper periculo se praecipitandi expositi nunquam in montis fastigium pervenire possint. Sic cum descendere velint, ad descendendum multo mons est difficilior, tum propter distātiā locorum, tum propter suscipiendas offensiones, quarum non minima videbitur, quod cum firmum nequeat homo vestigium imprimere, neque tanquam in plano pedem ponere, cum in declivi versetur, semperque praecipiti loco, simulatque ille vel tantulum despexerit, cum insistendi locus non detur, sustinere se non poterit; quin in imas usque valles, vel in alluentem radices montis fluvium praecipitem se dabit tanquam globus aliquis rotunditate sua in infimum usque locum provolutus.

COLLIS.



Quae de montibus despiciuntur, videamus, et imprimis collē nō multū a terra editū, sed totū viridē nitētēque specie sua, clivo viridissimo vestitu vario herbarum, et florum intertexto amoenissimū. Qui fastigiatus paulatim ad planiciem redit, ex qua laterum dejectus omnes variis florum coloribus nitidos, ac bene pictos oculis subiectos despiciemus. Quem propter commoditatem, et viriditatē suā occupant pastores ad gregem specularum, atque custodiendum. Qui dum vagus et errans pastus capessit, cubantes illi somnū capiunt, aut in herba recumbentes lustrant oculis, et numerant pecudes aberrantes a reliquo grege, ne suis ex oculis ullam unquam amittant. In his collibus, ut solet, cōtroversiae sunt

sunt ortae pastorū de bonitate pecudum, de numero aucto, imminutove, de datis, et acceptis ovib⁹, de foetu, de propagatione, de perditis, de abreptis, et a lupo devoratis. Hic suas escas alliis, et atro pane cōtētas celebrant, et ducunt dies, ac noctes ultro, citroque sermonibus rusticanis.

VALLIS.

Ab hoc colle nitidissimo, et viridissimo descēdamus in vallem lactissimam, et jucundissimā, quae declivis ab utraque parte montibus interclusa jacet. Quam variat, et distinguit diversitas, et multitudo colorū, quorū intertextu habet speciem venustissimā, et praebet voluptates incredibiles, quibus sensus omnes in viridi pallido, candido, rubro, caeterisque colorib⁹ magis, quam in pictura mille collorum insignibus variata jucundissime acquiescūt. Deus enim omnia convestivit herbis, et variavit floribus, quae declivitatem, quā radices imas, quae summos vertices velis intueri. Mediam vallē lenissimus rivulus praeterfluit, qui auctus aquis hyemalib⁹, quae ex montibus vicinis profluunt, cursu, et fragore praebet speciem fluminis. Rivum autem vestitus arundinum jucundissimi totum interfluentem proceritate sua nimis opacant, et amoeniorē reddūt. Denique vallis habet exitus jucundissimos ad latos campos, et patentes, et ad plurimas hortorum amoenitates.

AGER.

Quanta est species, et ubertas istius agri? quāta jucunditas et amoenitas eiusdē? nō facile explicari potest. Nam quocūque te oculis convertas, videbis viriditatē herbarum, pulcritudinem, et varietatē florum, multitudinem, et diversitatem omnis generis arborum, perlucidos liquores amnium, fontes crystallinis aquis defluētes, concētus et sua-

vitates lucinarum, garritus carduelium, et reliquarum aviū in arboribus, in fatis insidentium, aut pervagantium aëra universum. Campi patetes alii sunt, alii silvestres, et in his horti diligenter cōsiti multitudine arborum, & platarum omnium, vineta, oliveta plurima, praedia opima, pascula uberrima, montes excelsi, colles nitidissimi, anfractus semitarum, compendia viarum, tot aditus, exitus, et recessus, plurimi strati floribus, et rosis, suavis odor, quae afflatur ex floribus, aura suaviter flans, et demulcens sua lenitate rusticantes. Et quoniam praedia non solum pulcra, sed fructuosa debent esse, feraciora, et uberiora spatia, quae ferunt agros opimos, et fertiles, et alios aliorum fructuum, & oliveta prospiciamus huius agrum, deinde fata omnia, vineta denique ad usum, et ad voluptatem valde necessaria.

OLIVETA.



Admirabilis est oli veterum species, quorum olivae tantulis cōsitas sunt ramulis in ordine ductae, semperque directae mirabilē. Quae propter arborum amplitudinem suarum, quā magna terrarum spatia occupant, et longioribus, quā vites, sed aequabilibus intervallis, sibi ipsis adversae, truncos maximos, et ramos in varias partes diffusos proferunt, atque hos vestitos foliis angustis, et acuminatis duplici colore distinctis, ex una parte viridi, ab altera prope albenti. Quarum cura debet esse, et solertia singularis, et sationis, et colligendorum fructuum, et conficiendi olei, conservandique. Nam oliveta ferunt fructus magni pretii et aestimationis, qui suis annis temporibus colliguntur. Virides enim de oliva carpuntur oleae, quae aut fractae, aut discissae, vel integrae accuratione maxima cōdiendae sunt ad praedia, coenaque divitum terminandas. Valent enim plurimum ad stomachum post captos cibos praeclare constituendum. Quamobrem in deliciis maximis habentur.

bentur Hispalenses, quia crassiores sunt, et longiores in urbem Romam, in omnes terrarum partes accuratissime conditae convehuntur: et in Castella pluris sunt, quam dici potest. Inter cupedias, inter grana saccharo cōditae suis in vasis venales exponuntur. Duobus post mensibus, cum nigricantes in arbore prospiciuntur, quia tunc maturae ad oleum exprimendum videntur esse, operarii conducuntur ad eas colligendas. Quae cautio? quae diligentia? quanta adhibetur cura? ut, quae de arboribus sponte deciderunt, colligantur? collectio reliquarum est ejusmodi, ut ab hac cautione dominum non discedant, si olivis cavere voluerint in annum sequentem. Ut levissimis eae arundinibus decutiantur, nam adversos percussendo ramos, maximum olivis damnum operarii faciet. Inde amurca exprimitur, inde oleum ad lucem afferendam res necessaria, cum extinguantur lucernae, nisi oleum instillaverimus. Ad cibos plurimos, ad unguenta concinnanda, ad salutaria medicamenta, et ad alias utilitates, quas oliveta fructu suo mortalibus praebent, mirum in modum oleae valent.

SATA.

Sata quantam laetitiam mortalium oculis dabunt, pūcto statim temporis, cum nascuntur, cum matura sunt, cum metuntur? Qui enim satus? qui ortus? quae frugum incrementa? Terra cum agro mollito ac subacto semen sparsum accipit, primum id occatum cohibet, deinde tepes factum vapore, et complexu suo diffundit, et elicit herbescentem ex eo viriditate, quae nixa fibris stirpium sensim adolescit, cum mox que erecta geniculato, vaginis jam quasi pubescens includitur, ex quibus cum emerferit, fundit frugem spicae ordine structam, et contra avium minorum morsus vallo munitur aristarum. Quae, dum sata matura non sunt, virent, deinde flavescunt in capis, huc, et illuc statu quo vis ventilatae. Qui si vehementior fuit, susurro ventilantur maximo, atque id temporis metentur.

di maturitas nondū venit, et tamē jam appropinquat. Quae simulatque fuit ad aelivi temporis rationē accōmodata, costae, et adustae Solibus incurvescere videntur spicae granorum ubertatae, quasi falcē messorum appetant, atque deposcant.

DE ALIIS CAMPORVM SPATIIS.

OMissis aliis voluptatibus, et utilitatibus rerum rusticarum, quot et quam immensa sunt jugera camporū non arata, neque culta, sed quae propter pastus brutorū animalium latissime vacare videntur, et inculta jacent, herbis vestita plurimis, planicie longissima, latissimaque. In quibus brutorum animalium plurima capeffunt pastum, aut satiatā jacent, aut vagantur et errant, aut huc, et illuc circumspectant, et humanorum praebent speciem ludorum sursum, ac deorsum cursitando, faciendo rectos, transversosque cursus, suis appetitionibus, et impetu vicissim infesto. Nihil agris bonis neque usu uberius, neque specie ornatus esse potest.

LVCVS.

Post camporum spatia in lucos jam, et in silvas nos ipsos inferamus. Lucus iste lōgissim⁹ est, et vastissimus. Quippe qui saltus habet plurimos, et receptus, et quasi stationes omnis generis animalium. Patet autem in latitudinem multas leucas, nec pauciores in longitudinem. Aliquot ex partibus vallo circumdatus est, multis in locis patens et apertus, in aliis vero dumetis ac virgultis innumerabilibus plenus. Arbusculae autem quamquam aditum praeculant, vel leviter manibus motae cedunt, vel trāsitum praebent venatoribus. Quod si quae amotu difficillimae videantur, nō tantum habeant difficultatis, ut aliqua vi, conatuque mediocriter adhibito non perumpantur, in aliis tamen omnino silvestris est, in-

infestus, multis quercub⁹, vetustissimis, et aliis arborib⁹ proceris admodum, et earum saepe vicinis sese implicantibus, & infectentibus varie, et aditus omnes occludentibus, inflexu multiplici, et inexplicabili. Habet recessus abditos atque abstrusos, foveas multas, et altissimas, colles humiles, et editos, montes facili, arduoque ascensū, multarum latibula belluarum, quae capiuntur in his locis. Saltus autem isti suppeditant magnam vim aprorum, leporum, et cuniculorum, damarum, atque cervorum. Inter alias autem venationes venatio cuniculorum multum voluptatis affert. Quippe quae non solum currendo, sed etiam investigando cuniculos, venatores voluptatibus jucundissimis afficit, de qua in animo est separatim dicere.

VENATIO CUNICVLORVM, et leporum.

VENATOR ingressus in lucum dimittit canes investigatum leporem, aut cuniculos. Canes peruestigant, et odorantur loca omnia, dumeta, latebras, et reliqua cuniculorum perfugia. In quos cum incurrun, aut quia casu oblatus inter investigādū occurrerunt, quoniā illos sagacitate, et odoratu repererunt, simulatque cuniculi suis ex latebris eruperūt, oblatrare illico canes leporē invētum, ad illos accurrere statim, et reliqui canes ad volare celeritate mirabili, multis saltibus, dumeta, tribulos, et omnia virgulta praeter volare, leporem conspectum magis ac magis agitare, insequi cursu, latratuque vehementi, neque infectari desistere, quoad perventum sit eo, ut vivū capiant, et ore transversum ad venatores deferant. Quae tunc canum industria ad consequēdos, et ad capiundos cuniculos? quāta celeritas ne cuniculos ex aspectu fugientes amittant? ne elabantur? ne evadāt lepores? infectantur, antevertunt, praecidunt ve

TOPOGRAPHIAE

insequuntur, circúveniunt, et vestigiis insistentes persequuntur. Si se lepores in latebras dederunt, si in specus se coniecerunt, consistunt, latrant, spectant venatores, ut cum viverra accurrant, laqueos, et retia tédant; ut simul atque immissum animalculum foras cuniculum emiserit atque proiecerit, ille capiatur, nisi vivum, aut enectum foras protulerit. Id temporis mirum est ea parte luci silentium, nullus exauditur canum latratus, summa est expectatio, summa et diligés ad capiundú provisio. Vbi venatores ad infectandos, et ad capiundos lepores incitarunt canes, et eosdem ad cuniculos afferendos, et tradédos in manum vocant, suis nominibus compellando, quam celeriter cum praeda statim canes adstant in oculis, et in ore venatorum. Quid tum venatores? frustulum panis, quasi referant gratiam rei bene gestae, et fessos velint reficere, demulcentes suis manibus devorandum obiciunt, & discedút ad alios inde cuniculos pervestigandos. Vt lepores autem nanciscantur venatores, equites investigant cum canibus venaticis, quorum incredibilis sit ad investigandam sagacitas. Dum autem canes loca omnia lustrant et explorant, huc, et illuc prospectantes equites, aliquot intervallis disjuncti, quasi suas in stationes distributi ad similitudinem bellicae disciplinae, in speciem equitum alariorum ordine et modo singulari disponuntur: ut simulatque canes leporé excitaverint, et illum latrantes insequi caeperint, accurrant, ad volent ad canes adjuvandos, et eisdé de suis equis inclamando, ut infectentur, agitent, vexent, nanciscántur. Non illi cursu desistunt vociferádo, et accendédo canes ad susceptos cursus omni velocitate persequendos, et simul in lepores, ne fugiant aspectum óculorum dirigédo. Mira id téporis est canú alacritas, et equorú, qui cú clamoribus incitantur et inflammantur in suos cursus; non currere, sed ad volare vidétur lepores, canes, et equites, et pro se unusquisque accelerare, illi, ut venatores fugiant, venatores vero, ut leporem omni ratione nanciscantur.

VENATIO CERVORVM, ET APRORVM.

Sed ubi cervi, et damae, ubi apri capiuntur, ea pluris habetur venatio, quia majores, quia valentiores sunt; quia denique apri belluae sunt immanes atque ferae; qui simulatque os equitibus ostéderunt, nihil venabula, nihil tela exhorret, in equum, et inequitum insidentem aspectu feroci, ore inhiánte, exertis dentibus, truculenta rabie, prae magnitudine et intolerantia doloris agitati, coeco et praecipiti feruntur impetu. Quid cervi? quid damae? Hae cum sint imbelles, timidae que celeritate pedum, et agilitate mirabili laqueos intentos, et imminetia pericula fugiunt; non modo arcus intentos, et collineatos non expectant, sed aspectú procul exhorret venatorum, et umbras inanes. Itaque saepe a tergo stantes, aut de improvviso sagittis, vel casu transverberatae magis, quam sciétia vel dexteritate capiuntur. Cú vero dynastae, vel principes ex umbraculis herbis, ac floribus intertextis venationé expectant, et cervorum armenta, qui sepes in infimas occidente Sole propter culicum multitudinem vexati descenderrunt, mane per medias plagas latratu canum vehementi, permixtoque buccinarum clangore in taurile compelluntur, ut ex illis claustris, aut quaterni, vel seni emittantur, et quidem per medias interjecti plagas progredi coacti per canes Gallicos, qui primú immitútur, et vellicádo dumtaxat cervos insequútur. Hi cú in mediú usque cursum cervos protraxerút, molossi cófestim immisi furéte aggrediuntur impetu, mordent acerrime, vexant et opprimút, in ultimú rete, quod proximú est principib⁹, pertrahétes. Quo in loco, confecto cursu vulnerati jacét in oculis et cóspectu regiae majestatis cócisi. Nólógus abiero, quã ut simulachrú existimetis esse bellicae disciplinae venationé. Scim⁹ enim ingredi venatores in lucú, tãquã in cãpú ad simulatas pugnas cómittédas, acies instruere, collocare suis in stationibus, quas ipsi tenere debeát, praebere specié peditú, et turmarú equestriú, etiã militú alatorú,

investigare ferarum latibula, peragraré lucum, insidias moli-
ri, plagas tendere, persequi feras, et insectari, plagas infligere,
conficere ad extremum, et ad similitudinem triumphi prae-
das factas per mediam urbem inspectante populo deferre do-
mum. In ipsius autem venationis initio, progressionibus, et
exitu signa sunt, quae dari solent notissima venatoribus. Cum
primum praefecto montanae venationis ad aliquem, qui inter
eos conveniat, locum venatores cogere fuerit in animo.
Deinde in ipso montium, ac locorum silvestrium aditu, post
cum feram conspicati fuerint, tum cum marem, aut foeminam
esse significare volunt, deinde ad vociferationes et ad cla-
mores tollendos, cum in belluas excitantur canes, et immit-
tuntur: postea cum captae sunt, aut confectae, cum canes ve-
natici liberi ac soluti lucum pervagantes buccinarum clan-
gore revocantur. Quid quod signa dantur etiam ad canes fef-
fos, et anhelantes reficiendos? denique ad egressum e luco, cum
receptui jam tandem post venationem canitur? Nihil est in ve-
natione, in quo non exerceatur venatores ad similitudinem
rei militaris, atque etiam in illo, quod pernoctant in nive, in
motibus uri se patiuntur. Denique bellici similis est venati-
cus apparatus. Arcus, tela, sagittas, sclopos, vim pulveris tor-
mentarii, retia, plagas, commeatus, cibaria comparare venato-
res debent, et ad venationem tanquam ad bella faciunda co-
portare. Iam ad alias amoenitates pergamus.

HORTI.

Horti, de quibus dicturus sum, intercluduntur flumine,
quod a ponte quodam divisum ex utraque parte latera
hortorum alluit. Nitidi sunt, ac bene culti, singulari solertia
confiti, cum natura sua boni, tum diligentia, culturaque me-
liores facti, propter genera leguminum, varietatemque plan-
tarum, et propter diversitatem arborum, copiam, et uberta-
tem fructuum, et propter speciem, et amoenitatem jucundam.

Sive

Sive ad areas diversorum olerum, sive ad loca confita arbo-
ribus, aut ad stagnum piscibus confertissimum, sive ad ripam
fluminis, lustrans oculis viriditatem, et pulchritudinem tan-
tam contederis, et ibi cum amicis te oblectare sine interpel-
latione volueris. Praecluduntur aditus ad hortos non mace-
ria, id est, e solis cementis sine arenato temere aggestis, sed pa-
riete admodum polito, et ad speciem valde venusto.

PONS.

Pons ille, per quem in hortos istos ingredimur, non in an-
gulo, non in loco ab hortis remoto, sed in aperto, medio-
que ad opportunitates adjuvandas, et ad communem usum
patet extructus. Ad quem faciendum captatum fuit vadum,
non profundum, non abruptum, non incertum, non mobile,
sed coaequatum, mansurumque ad majorem stabilitatem, et
diuturnitatem operis. Qui cum e saxo factus sit, tum multis
arcibus constat, arcus pilis sustentantur fortissimis, cuius-
libet arcus fauces latae sunt, & ejusmodi per quas in alluvio-
num tepestatibus, rapta ex agris materia, et tunc recto, ex-
peditoque cursu deferuntur, devolvunturque. Quamquam
autem obversentur, ut alias aliae retardare possint, cum glo-
merantur praefertim, raro tamen propter latitudinem arcus
ipsis in pilis haerescunt. Vnde nunquam fauces obstipatae suc-
cubuerunt. Ob eam causam, nec metus fuit, aut periculum un-
quam, ne quod in aliis pontibus solet accidere, ut mole pres-
fantium aquarum deturbaretur opus, aut dirueretur. Cum la-
pidibus stratus sit, tum a lateribus vallo parietum munitus,
qui tantum a terra surgunt, quantum opus est ad vitandas rui-
nas, ne in flumen transeuntes aliquo casu laberentur. Consi-
dere autem possumus in illis ad prospiciendos aquarum cur-
sus, vel si maluerimus proni decumbentes.

V 3;

AREAE.

AREAE HORTORVM.



Quandoquidem rerum multarum mentionem feci, singulas attingam. Tandiu enim requiescunt domestici, et peregrini, qui huc se delectationis, et animi causa conferunt, quandiu lustrant amoenitatem tantam; et tandiu lustrare volunt, quoad nullam partem non peragraverint. Vna aspecta injicit aviditatem alterius invisendae, et ab hac in alteram progrediendi, inde in reliquis hortorum delectationes. Primum enim areae defossae sunt, et ab omni parte adaequatae in speciem quadratam, quae undique muniuntur vallo dorso excitati, et suis oleribus, et plantis omnibus, et leguminibus diversis consitae distinguuntur. Videbis autem has plantas nunc proxime natas, vel adhuc occatas, illas adultas jam, vel orientes id temporis, alias adolescentes et crescentes magis, vel maturas jam, et affectas ad colligendum, ut temporibus suis tellus legumina ferre solet. In quibus mirari licet diligentiam coloni, qui tanta diligentia, et assiduitate colat hortos, ut nullis dumetis, neque perniciosis herbis legumina non suffocari solum, sed neque offendi patiatur. Sic sarculum nunquam non habet in manu, ut diligenter sarriat, et ab herbis infestis omnino purget. Ingrediens videbis illum habere semper occupatos operarios hortis omni ratione colendis. Singuli suas vices obeunt, illi fodiendo terram, alii purgando, alii sarculando, et nitidissimos, et cultissimos hortos reddendo, lignibus, sarculis, rastris et reliquis ferratis instrumentis ad hortorum culturam incumbunt. Obeas aliquot areas, et hyeme finge te hortos hujusmodi invisere. Videbis plantas, quibus vescantur delicati, quibusque operarii, et rustici, caepe, allia, pastinacas, aricinum, rapa, buglossum, betas, cichoria, carduos, portulacas, et ut alias herbas omittamus, caules in terram inhaerentes, et exurgentes rectos cum scapo suo sublato articulis inter internodia interjectis, calicem foliorum longe, lateque diducere, amplum, et resupinum in sublime spectantem. Ab his dissi-

LIBER QVARTVS.

disidentes sapore multo suaviore, colore candido brassicas capitatas, in capitum similitudinem humanorum, coalescentibus foliis, et compressis et constrictis admodum, aliis, ut superiores sunt, in alias inferiores inhaerentibus, et infidelibus penitus aspicias. Hae decoctae, et minutatim concissae, cum frustulis petasonis aliquot permixtis, initia praedictis non raro dederunt; et nisi crassos humores in caput efferrent, propter suavitatem suam ab hominibus urbanis appeteretur. Cernescarduos caulibus oblongis, et partim virides, rectos et erectos, partim terrae madatos, denique coopertos omnino, donec maturitatem suam consequatur. Incides in allia, et caepas, quae quamquam sint rusticorum escae ceterisimae, et acrimonia suam, qui omnia fastidire solent, non perferant; tamen multi non fastidiunt, neque respiciunt in ollam coepta. Rusticani delicias et jucunditatem dicunt, vitam et spiritum, caepas, et aliorum nucleos aliquot ad operastotum die cum animi robore magno praestandas, ne frigus stomachum calentem attingat. Sed alia sunt olera, et plantae, vernae, et aestivae, quarum horti nunquam indigebunt. Lactucae, quae petora refrigerant, et purum, et illustre sanguinem efficiunt. Cucurbitarum duo genera Plinius commemorat plebeja, et cameraria, utraque duplici figura et forma, alia rotunda, alia longiora; atque haec intorta, et a summo paululum, aut plurimum inflexa, cortice obducta duro. Eadem humi jacet totis areis, et infra folia delitescunt, ramis illarum sese diffundentibus lapsu multiplici, et erratico. Cameraria, quoniam adhaeret arboribus, exurgunt in immensam altitudinem, perque parietes, perque arbores repunt, et eas circumplicant amplexu multiplici in summum usque; in quam ubi pervenerunt fastigia perficiunt cocamerata. Pepones virides extrinsecus, medii turgidi sunt et tumentes, ultimi vero acuminati, cortice duro tecti. Cum intrinsecus maturi fuerint, granulis suis carni inhaerentibus, et in oculis ipsis in medio pepone interjectis ad acetaria concinnata, cum alijs herbis permixti escae sunt usitatae pastorum, et militum robustorum valentiumque. Sic etiam sunt et cum res

nōdum adulti, molles ac teneri, inflexi semper et intorti nōnunquam in colubrum formam atque figuram specie multarum inflexionum, quibus se intorquent et inflectunt naturaliter. His praestantiores consequantur melopepones crassiores, aut rotundi, aut acuminati, cum in medio semper turgescant, et se se altius attollant. Intercisi nonnulli, alii omni ex parte notis distincti plurimis, (quos inscriptos appellat vulgus,) formulis multis, et specie litterarum notati videntur; quī maturi suavissime olent, et prae maturitate spōte sua aperti, facile praebent speciem bonitatis, et praestantiae suae, quaeque intus latent, prae se ferūt. Sed cum intrinsecus candore miro, aut rubore adeo mirifico sint, ut nihil supra; neque ad coloris venustatem, neque ad gustum, quo mel ipsum superare videtur, quidquam magis appetetur. Dissecto igitur melopepone in plures scissuras, unamquāque ita cōparamus, ut ab extremitate, cortice detracto, deinde discissam multis aequabiliter intervallis totam leviter sale perfundamus, et quod viride est, et proximum cortici, id relinquēdo, dum taxat quod maturum est deligendo, singula frustula ordine suo sale aspersa comedamus. Non obliviscimur tamē grana bonorum fervare melopeponum ad bonam sementem faciendam. Atque haec de arcis, nunc de nōnullis hortorum arboribus.



MALVS MEDICA.

 B herbis, et oleribus ad arbores transeuntes, malum medicam primum describemus. Quis  A directas in summum ordinem malos medicas, quis arborum genera diversarum, proceritates multarum, quis malogranata, quis pomareliqua non admiretur? multorum agricolarum celebratione commemorantur tabulae latissimae longissimaeque malorum medicarū, quae aequabilibus intervallis dimensa primi cultores consecerunt. Neque plus est spatii ab una malo

me-

medica in alteram in quincuncem directā, atque transversa, spatii rectis, et transversis etiā. Ita mali medicae ramos suos longe, lateque diffundunt in omnes partes, et alias aliae consequuntur, et ita suis extremitatibus apprehendunt, ut cum concavam testudinem efficiant, praebent speciem cōcamentationis; et efficiant umbram opacam, et amoenam, ut aestus tempore gravissimo, cum Sol altissime fertur, ad illarū umbras homines acquiescant ad se defendendos ab aestu Solis, et molestiis calorum intolerandis; donec Sol ipse praecipitans multum de visua remittat. Neque illa sua vitas odoris, quae afflatur ex malis medicis, cū arbor haec flosculis vestita suis odore mirifico, hortos in quibus sata est non complet solū, sed etiā in loca valde distantia perfertur, et afficit sensus omnes, mirificeque delectat odoratū, praeteriri debet. Quae tāta quidem est, tam jucunda, tam incredibilis, suavissimo Zephyri flatu; et aura quacunque minima commovente sese, ut cum odore in nares percipiunt, mirifica quadam, et in audita semper voluptate perfruuntur, et in paradisi jucunditatibus, et amoenitatibus versaride homines putent, ubi odor jucundus, et suavis spirat: et cum reliqui voluptatibus aliis, tum haec sensus odorandi mirandum in modum demulcetur.

MALOGRANATA.

 Inime malogranata praetereunda sunt, quorū unum, aut alterum sumamus in manum, et ad  M mirabimur malum Punicum, quā singulari sit Artificio, si cōsideremusea, quae eminent foris, et extra sunt, sive quae intus infinita grana includuntur. Extrinsecus obductum est admodum cortice duro contra Solis ardores, et injurias temporum. Intus ne fructus teneri multum et delicati quidquam detrimēti capiant, aliquantulum molli blandaque membranula teguntur. Totum malum granatum in quattuor partes distributum est,

X quae

quae tunica tenuissima interjecta singulas dividit disjunctaque. Atque istud causae est, cur, si de partibus quattuor una fortasse putrescere coeperit, altera, quae proxima fuerit et vicina, nullum ex viciniae malo damnum sibi comparet. Acini suis loculis vestiti, tunica mollissima tenuissimaque sic insident, et collocantur rãto cum ordine, singularique arte constructi, simul constricti compressique, ut alii cum aliis mirabiliter connectantur, et omnes tanta cum venustate cohaereant, ut quamquam multitudine sint innumerabiles, totum tamen spatium mali Punice interioris, nihil ut loci vacuum relinquatur, hoc incredibile paene numero sine ulla perturbatione, quae ex multitudine plerumque solet existere, suis acinulis venustissime completum sit. Atque haec in recondito versantur, interioreque malo Punice. Illa vero quae patent, et habentur semper in promtu, praeseferunt propositam, et apparentem egregii et excellentis pomi praestantiam. Quod cum rotunda specie sit et figura, et summum coronatum aspiciatur, arbitror id esse propter egregiam amplitudinem, qua reliquis fructibus mala Punica praestant.

DE ARBORIBVS DIVERSE

generis.

Quanta reliquarum arborum varietas non ad amoenitatem solum proponitur, sed ad utilitates et fructus percipiendos reliqui generis pomorum? quantae pomorum dissimilitudines? decumana, nanae his contraria, praecociae, serotina commemorantur. Quae cum habeant speciem pulcherrimam, si non cruda, sed matura colligantur, cum nihil faciant vitii, quod caduca facere necessarium est, et vermiculo saecquis suavitatem pomorum, et aspectum, et odoratum admirans

ex

ex una, et altera non gaudeat arbore, pomã carperet? quã molli teneraque sunt cute, colorata adeo, adeo rubra, et odoris, suavitate fragrante, ut nihil supra? Ab stipula capiemus umbilico terminata, quae partientes, ossiculis, quae in loculis, (quae vulvae dicuntur) delitescunt, rejectis ad animi voluntatem comedemus. In eandem rationem differentiae mirae pyrorum reperientur. Prunorum vero nominibus, et exiguitate, et magnitudine, tum colore discrepantium, maximus est numerus. Parvula sunt, maxima, rotunda, acuminata: et ex his nigra, candida, subflava, pellucida, Augustana, (quae vulgo monachalia dicuntur), et illa cunctis notissima, ex quibus pruna passa conficiuntur. Nemo quidem in hortorum lustratione a prunis colligendis abstinere poterit, cum propter molli tudinem et teneritudinem suam, intus, et extra semper existentem, gustatum illorum suavem sentiat. Quod idem de cerasis, et de illis, quae acra dicitur in animam omnes inducent. Mitto pyrorum varietates, et aliorum fructuum diversitates, quorum vim incredibilem arbores istorum suppeditant hortorum. Cum primae floreat, et vireant, et primae fructus ferant hujusce bonitate soli, tum ubertate tanta sunt, et diuturnitate, ut nusquam lecorum istius regionis diuturniores fructus reperiantur; neque diutius in ipsis arboribus conserventur. Itaque serius omnino, quã tempora fructuum conservandorum ferunt, nunquam non istos fructus horiferre solent.

FICVS.

Nec minus sibi persuasum habebunt homines de ficis arboribus amplissimis et latissimis, quae ex fici tantulo grano, truncos rãtos, tantaeque ramos procreant. Quae foliis asperissimis reguntur, ficos suavissimas, mellis sapore dulcissimas, acinis plurimis intus repletas, molli tudine, teneritudineque

X 2 intus,

intus; et foris incredibili. Quas nigro colore, aut subflavo colligemus. Passae durant in omne fere tempus anni, quarum praecoces maturius nascuntur, et in crassitudinem pugni compressi saepe colliguntur. Addamus mala Persica, mala Armenica, duracina, mala cotonea, mala Cydonia, mala citrea, mala limonia; mala Hesperia, et alia diversi generis poma, quae multitudo arborum, et varietas immensa profert. Modo ad arborem generatim describendam accedamus. Ut a forma ad genus exercitationem revocemus.

ARBOR.

Ecce arborem, quae propter aquas confita, altas habet radices, et illas infra terram latissime propagavit. Cujus truncus horridus et immanis libro aut cortice obductus est; quo sit a frigoribus, et a caloribus tutior. Illa ramos longe, lateque diffundit, primum incunte vere flosculis, deinde foliis vestita, viriditate sua, et venustate pascit oculos, tandem fructibus onusta poma suavissima fert.

VINEA.

Vinea habet innumerabiles ordines vitium, et omnes aequabilibus intervallis directos, vites autem tanta solertia, et arte confitas, ut aliae alias adversas spectent dimensas, atque descriptas. Vnamquamque serpentem multiplici lapsu, et erratico ferro amputans coerct ars agrorum, ne silvescat sarmetis, et in omnes partes nimia fundatur. Quia tamen quaelibet vitis, natura sua caduca est, et nisi fulta sit ad terram fertur; vide quam eadem vitis clavicularum adminicula, quibus suffulta sustinetur, quasi manibus apprehendit. Incunte vere in his, quae relicta sunt, existit, tanquam ad articulos sarmetorum ea, quae gemma dicitur, a qua oriens uva se ostendit, quae et succo terrae, et calore Solis augetur primo.

mo est per acerba gustatu, deinde maturata dulcescit, vestraeque papinis, neque modico tepore caret, et nimios Solis defendit ardores. Qua quid potest esse tum fructu lactius, tum aspectu pulchrius; illi adminiculorum ordines, capitum conjugatio, religatio, propagatio vitium, sarmetorumque ea, quae necessaria est, aliorum amputatio, et aliorum immisio magnam voluptatem afferunt. Aditus ad illam praeccluditur, cum maceria aliquot in locis, in aliis vero teneris incisus arboribus, et mutuo inflexis, crebris que inter se ramis revinctis ex omni parte obducatur.

ANTLIA.

Quae de hortis diximus ea neminem admiraturum fuisse credo, propter aquarum vim et multitudinem, quibus horti praedicti irrigantur. Nam praeter aquas fluminis in duas partes divisi, praeter caelestes etiam existentes anni decursu, Antlia quaedam est tubis plurimis circumdata, quae nunquam exhauriri solet; unde tubis aqua proximam in stagnum hausta per aquaeductum apertum deducitur; quod intra paucas horas completum praebet aquam necessariam ad plantas, et ad arbores irrigandas. Adde rivulos accersitos ex fluvio, ex fontibus aliis, qui derivantur ad opportunas irrigationes, ut quamquam annum, et eo amplius non pluerit, aquae tamen suppetant, quae cum de stagno plenissimo profunduntur, vel emissae de fontibus, aut de flumine diffunduntur per incilia in arbores, et in areas irrigandas, videre est decurrentes aquas, deductiones, et derivationes plurimas, et plantas ipsas aquarum multitudine natantes, paludes ad radices arborum quasi stagnantes, et fluitantes circum omnes partes, alluentes denique, donec aquae sensim a terra sitim explente suam absorbeantur.


VIA HORTORVM AMOENA.



Non omittamus viam hortorum amoenam, iunctamque specie, et aspectu venustissimam, primam, mediam, et ultimam floribus, et rosis vestitam, perennibus et inexhaustis aquis redundantem, et propter violas albas, floresque alios varios et multiplices, propter albétia lilia, floré caryophylatum odoris incredibili suavitate fragrantem, et omni tempore anni propter arborum diversitatem fructus ferentem varios. In qua garritus carduelium, et suavitates omnis generis avicularum dulcissime concinentium aures cōplent mortaliū. Quae vento flante lenissimo sensus omnes demulcet, et clarum et illustrem caeli aspectum patefacit suspiciendum. Quae tota viret, tota floret, tota nitet et splendet, tota lata et perpetua, ducta atque directa deducit homines ad exitus laetissimos, in amoenitates, et iucunditates hortorum. Quid his hortis iucundius? quid amoenius esse potest? Sunt aedes hortis praepositae multa contignatione sublatae, quae variis illustratae picturis, ornatae tectorio eximio cadore visendo prospectus habet ad omnes viriditates, et ad amoenitates hortorum, quarum iucunditate, quasi pabulo quodam oculi nostri recreati acquiescunt. Vnum deerat ad hortorum felicitatem, ne eruca bestiola platis infestissima, perniciēs arborum huc, illucque serpat, et foliis arborū involuta pascat, et saturer sese, quae tarda in progrediēdo letis admodū morsibus omnia vastat et absomit, in herbis, in foliis inhaerēdo. Ad pestem hanc avertendam commodum erit, vel manibus erucas colligere, vel matutinis temporibus arbores quate-re, ut fructus ferre non desinant. Sic enim erucae dum adhuc frigore nocturno confectae torpent, ex arborib⁹ dejectae, nō amplius in superiorem arbore repent. Hujus bestiolae forma in similitudinem vermī accedit. Quae multis pedibus constat, mollis admodum, et sanie plenissima, colorum varietate

te distincta, in noctis tenebris et caligine multa stellae instar collucet, die foeda nimis et deformis apparet. Quae ad rationem botanycis sericū facientis varias habet suae formae mutationes, ut repere possit, et volare, cum velit.

VIRIDARIA.



Ortis viridaria necessario sunt adiungenda. Pulcrum satis est, et amoenum viridarium istud, parietibus undique circumdatum altissimis, parietes autē pinnulis aequabiliter distantibus eminent, et opere albario candoris eximi pulciores splendent, maxime tamen interiores conuellit malis Medicis, et malis Citreis, limoniis, et Hesperis, quae aureis coloris media intertexta praebet speciem venustissimam. Rami vero superiores, qui se pinnulis aequabant vario et multiplici nexu implicati, ex una in alteram pinnulam sese inflectebant, et arcus efficiebant admirabili specie figuraque perfecta. Sola viridarii habet formam quadrivii in quattuor deambulationes latere Malacitano stratas, aequae dimensas atque descriptas, ne plus spatii sit in una, quam in reliquis. Diuisae a lateribus areae visuntur in hunc modum, ut cratibus parietibus circumclusae ad similitudinem cratis arrectis, transversisque arundinibus circumdarentur, et aliquot intervallis columellae ex marmore, et in illarum summo Faunorum, et Sauro-rum, et Nympharum effigies cum calathis plenissimis omnis generis florum, et rosarum. Intus areae myrtetis nimis accurate resectis stratae sunt in similitudine tabulae politissimae, perpetua constantique aequabilitate directae. Eisdem et in columellis eminent arctis u manu de myrtetis ipsis effictae formae ferarū, tigrū, leonū, aquilarum, nauis ebtiremium binō remorū ordine instructarū. In aliis areis herbae plurimae,

quae huc, et illuc se torquent et infectunt, deviae et dissipatae, cōfusae et implicatae in tantū ordinē; adducebantur, ut effictas figuras, nexūs plusquam acupictos viridi, pallido, et rubro colore intertextos, et imaginem Hebraicae, et Romanae picturae intueri potuissemus. Cernere erat labyrinthos difficiles, et inexplicabiles, Créticos, Aegyptios, Lemnios, et Italicos multis ambagibus et circuitionibus, in quos intrantes exitum reperire nequibant. In media quadam area eminebat trūcus mali medicae vetustissimae, qui ramis excisis, intus terebratus, aquā, quae tubis occultissimis, et infra terram constructis ad illum deducebatur, argenteis fistulis spargebat longe, lateque minutatim, herbas, et flores, quasi granulis argenteis coronans. Aqua vero deducebatur ab stagno quodam in ipso aditu viridarii factō, quod totum quadratū est, intus bitumine rubro oblitum, et illud aqua perlucida clarissimaquo plenissimū, omnis generis piscibus abundans: quorum hos parvulos, alios mediocres, multos incredibili magnitudine summis in aquis natantes aspiciemus. Alii in infimo stagno delitescūt, et ad diversa tēpora emergūt, submergentes se subito, strepitu minimo audito, vel umbra hominis aspecta. Sed incredibilis multitudo pisciū emergit ex aquis frustulis aliquot panis in stagnum coniectis. Quos videre est ad panem avidissime nando cōcurrere, rectos, transversosque cursus facere per totum undique stagnum, ludorū praebentes speciem jucundissimō. Cum aquae pellucidae sint, et stagnū clathris ferreis auro obductis circumdatum, et non prōcul a parietibus hortorum factū, viriditas omnis, vestitus parietū jucundissimi, mala Citrea, medica, limonia, Hesperia, corpora praeterea mortalium, capita, et ora, qua singuli formis sunt figuraeque, tanquam in speculo clarissimo cernuntur. Quid quod de singulis infimis clathris, cum leunculi sint depicti, aditu patefacto, per quē ad omnes interiores cōcavos aquae deducuntur, confestim impetu praecipiti, magnoque fragore delabuntur. aquae per circuitum universum

in stagnum. Quae concluso repente; cum minus opinamur, et dominus viridarii vult, profluere intermittunt, quasi cūctorum ore concluso, cum ora singulorum aperta mancant, et semper inhiantia; quasi revocatae aquae madata exequerētur Neptuni. Qui in fonte marmoreo in stagno medio excitato, ex aere factus, cum galea fulgente tridentique terrifico visus est aquis omnibus imperare. Atque amoenitates capientur hujusce viridarii non solū inter viriditates, et flores ambulando, sed de subdialibus ambulationibus, de multis fenestris, de pergulis in omnes viridarii partes spectantibus. Cum viridarium istud aedibus amplissimis ornatum sit, tum porticibus quattuor, quas picturae mēsum illustres, valdeque visendae cohonestant. Ianuarius effingitur primus omnium a Iano dictus, a quo annum inire scimus exeunte Decembri, cibum, potumque capiens: quia id temporis animalia maxime pastus appetunt, et hominibus aviditas injicitur edendi, propter appetētiam, quae excitatur calore se in intimas corporis partes abdentē. Secundus erat Februarius in formā figurāque senilem, canis oppletus, rugis exaratus, longo capillo, barbaque longiore, pretiosis murium Scythicorum pellibus pallio suffulto penitus involutus, ut hoc habitu, et aspectu senilem aetatem referre, et palam ostendere hyemalē asperitatē mortalibus videretur. Est mensis vaga mutabilique varietate, plurimis aquis infestissimus, quae frequētes, et repentinae solēt existere cum mutationibus et varietatibus et Solis accedentis, et recedentis in die saepissime, ventis cōtrariis et adversis, lenibus, et saevis perflantibus in singulas horas, et momenta minima. Huic proximus est Martius in figuram vinitoris, et villici, cum falce in manu, qui vineas amputet, palmitesque praecidat. Villicus herbas, et tribulos evellit, et ad olerum, et ad satiorum cunctarum ortus, et progressus uberrimos, et ad purgandas perniciosas et non frugiferis herbis plantas omnes, et legumina, quorum fructus suis temporibus prospiciendi sunt. Sese offert statim Aprilis ab aper-

riendo dictus, quo ineunte mense, cum flores erumpant, et omnia pullulare videantur, vestitu vario terra distinguatur, et amoenissime vireat, videre est Aprilem cum flore venustissimo tanquam adolescentem, prima lanugine barbam vestientem. Quem sequitur Majus. In quo cum omnia jam vireant in agris, et amoenissime floreat, animalia in summa quasi luxuria herbarum gestiant, et caeli temperatione, et aëris salubritate, et amoenitate locorum, et expectatione fructuum, tempus gratissimum est. Quamobrem in habitum et formam juvenis aspicitur, qui eximia sit oris dignitate, conformatio, ne membrorum omnium praestante, in juventutis flore constitutus, in equo insidens, et volucrum gestans in manu, quasi rusticationes, aucupia, venationes, et amoenitates consecretur. Majum consequitur Junius, foenum secans quodcunque pratis in omnibus maturum conspexerit arescentibus jam nonnullis propter Solis ardores herbis, et nisi securi praeciderentur, marcescentibus omnino. Adest illico Julius. Hoc tempore, cum omnia Solis ardoribus adurantur (exoritur enim jam id temporis canicula, signum infestissimum,) propter aestus gravitatem intolerabilem formam ille figuramque fuscipit messoris, qui falce sua fruges maturitatem suam consequutas metat. Locum deinde tenet Augustus, in effigiem et similitudinem triturantis, cum flagello in manu. Horridus est et deformis, varius et mutabilis: quoniam collecti fructus in horrea conduntur, et iste mensis in siccitate summa foedam relinquit, et nudatam terram, et vestitu florum pulcherrimorum exutam. Ille varias solet habere mutationes, ut primis diebus aestus adhuc vigeat, cum nondum canicula exierit, et cum ad exitum festinet multum de caloribus suis, et de Solis ardoribus remittit, Solis jam intoleranda vi fracta post caniculae discessum. Hoc autem mense matutinis temporibus frigus esse coepit multis in locis; ut vulgo jactetur illud, cum Augusto proctinus adesse frigus. Inde suam occupat stationem September, qui, sicca jam et arida prorsus terra, cum ad

agro-

agrorum cultum omnia comparentur, et ad iterandam renovandamque terram, rusticorum instrumenta repetantur, agit agricolam vomere terram pestringentem, et eidem semina sua mandantem. Decimus est a Ianuario October ager, sortidum et foedum vinitorem colligentem uvas, et in corbes vineas conijcientem, squalidum totum, et musto manantem plurimo. Vltimum antecedit November siccus, et frigidus, frigoribus terram astringens, et foliis arbores spolians. Sed quoniam tempus istud est quatiendarum quercuum, quarum glandibus sues pascentur, praebet speciem iustitiani cocucientis ilices, et glandibus sues pascentis. Vltimus est December exitus et determinatio totius anni. In quo cum omnia frigoribus, et gelu congelant, aves frigoribus coeactae quasi praecisis pennis ad volandum suis se nidis continent, itemque sues jugulentur, minacibus oculis, truculento vultu, in formam carnificis effingitur: qui gladium teneat in manu, et illum intendens in suam. Itaque paratus est appetere jugulum grunnientis jam animalis. Ab his porticibus ingredimur in viridarium supra descriptum, cuius usque eo delectationum avidissimi sumus, ut saepius in illud ingredi cupiamus, saepius captare delectationes, et amoenitates. Quamobrem altera viridarii multo brevioris descriptionem subijciemus.

BREVIOR VIRIDARII descriptionem. Viridarium est in agro pulcherrimum, cuius descriptio nonnulla est, cuius descriptio nonnulla est, cuius descriptio nonnulla est.

Propter viridaria communia addam aliam multo brevioris viridarii descriptionem. Pulcherrimum est, cuius descriptio nonnulla est, cuius descriptio nonnulla est, cuius descriptio nonnulla est. Propter viridaria communia addam aliam multo brevioris viridarii descriptionem. Pulcherrimum est, cuius descriptio nonnulla est, cuius descriptio nonnulla est, cuius descriptio nonnulla est. Propter viridaria communia addam aliam multo brevioris viridarii descriptionem. Pulcherrimum est, cuius descriptio nonnulla est, cuius descriptio nonnulla est, cuius descriptio nonnulla est.

Y. 2. tibus

tibus, et multis malis Citreis, et limoniis onustis, quae fulgēt et nitent ad similitudinem auri clarissimi, in cōplexu et ambitu pinnularum omnium. Viridarium istud habet a dextra, et a sinistra areas multis herbis, et floribus varii generis, et coloris stratas, et myrtetis, quae sunt magna accuratione refecta ad similitudinē tabulae venustissimae omni ex parte aequabilia. Hae areae circumdatae sunt cratitiis parietibus, in quibus videre est formas leonum, taurorum, equitū in equis infidētium, Satyrorum, Faunorum, Nimpharū. Illud per calles in formam quadrivii factos, latere Malacitano stratos in ambulare possumus. In medio quadrivio fōs est multis fistulis profluens jucundissime, et ipsas areas proximas latissime perfundens, et quasi granulis argenteis coronans. Totum est pulcherrimum ad aspectum oculorum, et suavitate florum, et odoris fragrantia aedem, quam habet, suavissime complet.

FASCICVLVS FLORVM.

Cum ingrediamur in viridarium, quos carpere voluerimus, flores colligamus, et pulciores, et suavius olentes, et illos varios atque multiplices. Ex his cōstruamus fasciculum apte compositum, et arte mirabili politum, et alios cum aliis commisceamus, et vicissim interjiciamus flores diversis coloribus variatos et distinctos, et offeramus cui, collibitum fuerit, cum testificatione alicujus in illum nostrae voluntatis, his verbis officiorum, et urbanitatis aulicae plenissimis. Oramus et obsecramus, ut sumere fasciculum velis in manus, qui pulcritudinem tantam, et elegantiam oris praestantem deceat. Est venustatis plenissimus fasciculus, ex variis et dissimilibus constructus floribus, omni ex parte aequabilitate mirabili compositus, varietate nitens, et splendens mirabili, et omni suavitate fragrans odoris, regis manibus dignissimus, forma, specie, nitore, varietate, odore suo, nihil ut magis appetendum sit, laudandus, et spectandus summo opere.

CALA-

CALATHVS FLORVM.

Aspice calathum rosarū, et omnis generis florū, eisdem floribus, quibus fasciculi cōstrui solent, stratum. Primum vario multiplicique florum colore praebet speciem tabulae politissimae, tanto semper ordine, tamque mirabili arte politissim⁹ est, ut aliis floribus succedant alii, et omnes cohaereant conjunganturque mira semper aequabilitate constantes: nihil ut offensionis habeant; nō emineant aliqui, nō nulli sint humiliores atque demissores. Cum medius candidis, rubris, et pallidis floribus calathus varietur, atque distingatur, tum orae calathi coronatae eisdem floribus aspiciuntur in orbem aequabiliter circumlatae complexum et ambitum calathi exornantes.

FLOS VNVS, AVT ALTER.

Si nō tantum ab re nostra nobis otii fuerit, ut fasciculum, vel calathum componamus, florem unum, aut rosam alteram carpamus, quam narib⁹ admo vedo percipiamus odorem suavissimum, et cum colorem floris, tum suavitatē odoris, tum ordinē et structuram foliorū, ipsumque calicem extra patentem tanta serie et ordine foliorum continuatum, fila croci tenuissima, idest, florem ipsum calice contentū, globulum lanugine sparsum, atque ipsa viridissima, quae circuitum foliorum, ne prona ferantur, suffulciūt et sustentant adminicula consideremus, tum contemplari nō desinamus rationem, quae se adeo mirabiliter rosa circumfundit. Est enim animadversione dignum rosam latere inclusam suo viridissimo cortice, et primū intus abditam germinare, donec globulo paulatim uniuerso turgescēte, et in virides alabastrōs fastigiato, sensim rubescens dehiscit, ac sese aperit in medio caliceluteos apices complexa.

Y 3 LL

LILIVM.

IN hunc modum considerare possumus lilia, quae nascuntur in viridariis caelesti colore, vel candore eximio, foliis striatis, et ab angustis in latitudinem paulatim sese laxantibus ad similitudinē calathi. Horum labia per ambitum resupina, a summo leviter inflectuntur intra calicem stantibus filis croci tenuissimis. Totum autem liliū rectum et excelsum ab ima radice in folia usque consurgens quasi regia maiestate caeteris diversi generis floribus praecellere vitum est.

FLOS CARYOPHYLATUS.

Non omittam inter alios flores florem caryophylatum, qui pulcher et venustus, et florum omnium pulcherrimus et venustissimus habetur, numero foliorū magis auctus, quā rosa, vel lilia. Quae cum colore puniceo, vel candido sit, tum interdum maculis venustissime distinctus, et patulis foliis, et in sublime spectantibus, tum tenuis et resupinis. Folia summa leviter incisa quasi pinnulis exornata habet speciem et formam admirabilem. Quamobrem ex illis politos admodum et venustos fasciculos construimus mira odoris suavitate fragrantis: quos, ut flos caryophylatus est, aut albere, vel rubere, vel utroque colore distinctos nitere videbimus.

ITER ASPERVUM AGRI DIFFICILE.

IN agris vagati fuimus, et rebus rusticariis recreati vias amoeniores vidimus, nunc asperas et difficiles obeamus. Tres sunt viae ad eam urbem, in qua frater tuus est, una omnium, quas confecerim deterrima, frondibus et virgultis interclusa, lapidibus et saxis infesta plurimis, passim acclivis et declivis, foveis et torrentibus, transitu unius fluminis latissimi, latibus ferarum, insidiis latronum, montium asperitatibus, offensionibus locorum silvestrium, et caeteris difficultatibus, quae fingi, aut excogitari possunt infensa. Perquam re-

cta nunquam, sed circuitionibus longioribus iter faciendum est. Atque illud longū est, et devium ab iis locis, in quae contederimus: quippe quod ab oppido, in quo es, et esse cogitas, in accessum usque tuū leucas plurimas abest, et saepe in montes altissimos ascensurus es, inde descensurus per declivitates huiusmodi, quibus nunquā queas insistere: semel ubi pes prolabatur sustinendi te ipsum nulla facultas cōcedetur, prorues praiceps in imas usque radices moti subjectas, saepe crebro sparso, vel damno ad minimum indumentorum facto, et multa cutis miserimae strage, multo corporis sanguine profuso: quod saxa, quod tribulos, quod spinas praetervectus non potes non plagas accipere gravissimas. Quid quod aestus tempore, prae aestuariis ipsa conciduntur itinera, et ambagibus opus est, et circuitionibus plurimis ad iter regiū repetendum? Atque his spatiis, dorso angusto, aut praecipiti, vel declivi loco, et aestuosis, et pulverulentis viis necessarium est non semel progredi viatores. Quibus in itinerebus cōficiendis cū neque oppida occurrāt, neque villae, neque cauponae sint, neque diversorium aliquod, in quo viatores reficiendi se vel levandi potestatem habeant, non arbores, ad quarū umbram Solis ardentis vim frangendam expectēt: cum vastae sint quaedā, desertaeque solitudines similes Africanarū, quae nunquam nō aquarum inopia laborent, vides quid istius itineris peragratio habeat difficultatis? At in hyemem differes profectioem cum ignarus viarum passim vageris et aberres devii et incertis itineribus, nullo indice sese offerente, neque monstrante viam: incidas in torrentes, amnesque vado superados difficillimo, lubricis semper viis, incerto fallenteque vestigio, jumentis corruētibus, et inhaerentibus in palustribus coenosisque locis, et alte nimis limo submersis, unde nequeant neque nixu famulorū extrahi. Atque imbre perfusus, vi saepe aquarum imbutus, non raro nivibus coopertus albens, molestiis, et aliis offensionibus itineris cōflictatus, ausquā locorū tecto etiam agresti, nisi post magnā distantiā et

spatia confecta, quocumque perveneris, in tuguriola recipiendus accedas. Vbi contigeris casulas culmis, paleisque contentas, teta petere panem, vinum, carnes aliquas, tectum, in quod te recipias, lectum, in quo jaceas, ignem, ad quem te calefacias, et depellas frigus, lacernas, ocreas, galerum, reliquumque vestitum aqua plurima manantem exsicces. Scilicet id miserrimi homines suppeditabunt, qui cum aliquot paleas, ac dumos comportatos humeris filiorum per dies serenos, tranquilloque congesserunt, non se parvam rem, nec mediocrem fecisse putant. Nam caedua materia nusquam illuc locorum asportabitur. Atque haec quamquam fuerint, quae, quantula sint, quamque nulla videre non desines, tamen te saltem calefactum iri sperato. Sed famuli, qui praesertim duo pedibus tam difficilia debent et aspera itinera facere, et quidem palli in humeros impositis nivis, et aquarum vi miserandum in modum manantes, cum flammularum brevium, et parvularum participes esse non possint, et secum praecelere factum in his oppidulis videant, cum humus detur ad requiescendum ex itinere; haec perpessu difficillima aequae famulos toleraturos esse existimabis? Coenam, aut prandium deposce, jube sterni mensam, proferri mappas, jejunus excedes, nisi pane fueris atro contentus, aut tecum quidquam in manticis comportandum curaveris. Nam carnes totum annum homines illi non gustant, nisi caepe, et allia, quibus vescuntur. Cum carnes nacti fuerit, viatorum eam norunt esse gratiam. Alia via multo brevior, aperta, et directa, comitatu multorum iter haberi solet, et tutum, et facilius; quod terra petere contendunt omnes, qui, quo tu profecturus es, iter conficiunt. Neque opus est, illud aliquo viatorem convertere, non etiam passim flectere, sed in itinere quemquam esse satis est, ut vestigiis viatorum, et jumentorum ductus sine errore aliquo propositum et constitutum iter conficiat. Si vis rationem tenere profectiois, viritra Madriti me assequeris, quae per Carmonem est usque ad fines Castellae, quo iter Cordubam, et inde Toletum, a qua ur-

be

be iter est unius diei Madritum usque. Frequentia plurima oppidorum est, et minimum non tres leucas distat. Duae in itinere sunt urbes Hispaniarum ornatissimae, Corduba, Toletumque. Quarum visendarum gratia diverterem ego, quamquam longius fuisset iter. Deinde ab oppido tuo Madritum abest quatruidui. Hospitia sunt magnifica satis laetaque, quibuscumque hospitibus recipiendis idonea, et aliis alia celebriora. Ut diversemur, invitabimur, et interpellabimur ab hospitibus vix in urbem ingressi. Quae cum comparata fuerint, si quid opus factum sit, astabunt administri, tum dabitur cubiculum instructum et ornatum magnifice, famuli collocabuntur omnes ad voluntatem, comparata concinnataque cibaria ministrabuntur, quaeque comedentium ora appetierint, illa statim apponentur in mensam, expedientur apposita, succedet missus, qui deposcentur pullorum, perdicum, et omnis generis avium pinguium, et satis opimarum, munditia singulari et elegantia ministrorum, atque haec dimidio minoris, quam communiter comparari solent. Quamobrem quoniam, ut inquis, instat iter necessarium, ac subitum, praevideris, ut viae tuto te committas, ne cum multum viae progressus fueris, cogaris facere, quod alii multi molestiis gravioribus acceptis fecerunt, ut reverterentur ex itinere multorum dierum viam progressi.

ANIMALIA TERRESTRIA.

Quamquam pro varietate rerum, quarum varietatem ac multiplicem materiam tractandam susceperim, in ea nonnulla obtruserim terrarum animalia, quae magis materiae tractatae convenire videbantur, tamen aliquot describenda modo statui, prius quam in urbanas res, et aedificia, quae sequuntur ingrediar. Quod silvis, montibus, lucis, solitudine, pascuis, et camporum spatiis longissimis vagentur potissimum. Non omnia tractabo tamen: quod neque nostri instituti, neque prudentia

Z

tiae fuisse putaverim ullius id facere; cum libros et volumina maxima tantum tamque numerosum animalium genus desideret. Nos autem illa proposuimus, quae ut in usu communi, sic in vulgari sermone posita sunt. In his autem animalibus describendis ordinem indicis Alphabetarii, quæ viros doctissimos tenuisse scimus, sequenti ab agno descriptiones instituemus.

AGNVS.



Vocunque te convertas, aut ad Graecum, aut ad Latinum sermonem, agnum utraque nominis declarat etymologia mitem, et mansuetum. Qui parentem inter reliquum gregem, et multitudinem ovium internoscit. Nihil ille damni facit. Neque dentibus, neque capite, neque cornibus, nunquam laesit unquam. Pulcherrimus ac venustissimus est, natura quietus ac placatus. Lana corporis molissima, caro ad hominum escas tenera, pellis ad varios usus, et ungula ad medicinam faciendam. Ille balatu multo matrem e conspectu amissam quaerit: quam ubi invenit, gestire incipit, et ad matrem adhaerendo blandiri cauda, erecto capite mammas appetere, et poplitibus flexis prioribus fugit avidissime, et ad lac exprimendum ubera matris magis magisque premit capite. Quem satiatum videbis salientem gestientemque antecedere reliquas oves, facere cursus multos ad matrem adeundo redeundoque. Nihil illo mitius esse potest: qui conspectum lupi fugiens praetimore pavidus ac stupens consistit, et cum illum lupus nanciscitur, nulla sui corporis parte defendit se ipsum, non balat, mutus omnino manens, nullo balatu conquerens, aut pastoris opem implorans decerpi sese dilaniarique dentibus lupi patitur immanissimi. Quemadmodum ductus ad lanienam, cum jugulatur, nullum edit balatum? quid? agnum exue pelle, mali quid vis perpetuetur. Est enim natura sua mitissimus et mansuetissimus.

A R I E S

A R I E S.

Aries ab aris, quibus immolari solebat, dicitur, neque magnitudine vervecis, neque tantis viribus esse solet. Pulchro est ac vivendo aspectu, erecto capite, dura fronte, et ad impetendum apta, cornibus huc, et illuc ab utraque frontis parte productis, inflexis et in tortis varie, et in extremitate acuminatis. Reliquum corpus lana vel villis vestitum est. Pede semper firmiter in terram impresso progreditur. Quod facile quidem est arieti propter unguam diffusam. In vadens et impetens habet impetum acres et vehementes, viribus denuo susceptis, et quasi redintegratis. Qui prius retrocedendo ad recipiendum animum, et vires, spatia nonnulla percurrit, et conficit summa celeritate, saltu, vel cursu veloci, et quam magno vehementique impetu aggrediendo adversarium. Nihil arieti occurrit, quod difficile videatur esse, quod infestum et infensum magnopere, quin illud cornibus, ac fronte ferire non audeat, et saepe multum ac diu non peritet.

A S I N V S.

Asinus animal gerulum, plagarum inter iumenta patientissimus, laboris, et famis maxime patiens, corpore macilento, et deformi, frigoris impatiens, tardus et piger incessu, et ob eam causam verberibus promovendus, rudi admodum et absone voce rudit, spinisque adhuc teneris vescitur, et quocumque pastu contentus. Quippe qui foliis, spinis, vel saliginis, vel objecto fasce sarmentorum, quibus fere omnia loca terrarum abundant, etiam gliscit. Ad usus autem hominum, et commoditates aptissimus est. Quamquam autem infirmus et debilis pro exiguitate tantae corporis ad onera coportanda, ad vehendos homines rusticanos non exiguas praebet utilitates. Quod mirabile magis videbitur, cum totum diem nostris commodis serviens

magno sumtui non sit; et paleis in urbe sustentetur, et cum aliquid addendum fuerit, id quidem non multum sit, et illud quidquid est, quod datur, non diligenter admodum purgandum. Hinc licet intelligere quâ parvo labori sit domesticis, clitellas totos dies sustinens, et onera comportans, quae pro viribus ferre queat. Quocumque illum egeris, iter persequitur. Primas duas leucas non progredi, sed ad volare videtur. Quod si remiserit quidquam de celeritate suscepti cursus, stimulis agita, fune percutite, reliquum iter mira alacritate conficiet praefertim aliquoties factum. Nam sunt aliqui, qui primum ut se in viam dederunt, incredibiliter incitata celeritate progrediuntur, ut evolare, non currere videantur: deinde eos cito fessos de via et spiritus, et pedes deficiunt, et pedum saepe tarditate constricti sunt ad currendum. Quod si de bonorum illi fuerint ac praestantissimorum numero, non offendent, non proruent, neque deicient insidentem de clitellis: quod pacatus et mitis natura sua sit, nullam molestiam exhibens, nisi cum rudere coeperit. Si paveris domi tuae, eum habebis aut fuscum, aut nigrum, vel albertem villis obductum, acuto capite, longis auribus, atque illis fere semper arrectis, ut cum audiendi sensu acerrimum habeat, quasi paratus videatur ad onus quodcumque perferendum.

APER.

Constat aprum efferum et immanem, silvestrem et montanum esse, qui montes, et loca silvestria peragrat. Is aspectu suo, duobus dentibus, corpore setis horrentibus terrifico, tanta feritate, est et immanitate naturae, ut nullum venabulum, nulla tela exhorreat inimicorum. Quin telum cum habeat infixum in corpore, tum cum venabulo mortifero trajectus est, magis saevire visus est, et se erigit ac confirmat ad vulnus ulciscendum oppositu sui corporis irruens in venatorem: dentibus illis exertis, quibus quidquid objectum fuerit, et op-

posi-

positum nanciscens, totum illud quod cunque sit, discerpit et dilaniat. Ita vero pugnat, ut os in latere durissimum, latum admodum, et valde spissum tanquam scutum fortissimum ex ferro factum objiciat et opponat ad ictus adversariorum perferendos. Vbi bellum imminere videt, et adesse, dentes in arborem infigendo explorat, an hebescere videantur, an acuti sint, et ad vulnerandum appositi. Quos si obtusos sentit, herba, quam origanum dicimus, acuit ad praeliandum. Quam vero in armando corpore quasi lorica quadam solertiam adhibet, cum multum diuque terendo perfricandoque corpus truncis arborum immanissimarum, et se in locis lutulentis coenosisque volutando, et eodem postea durando corpore, quasi glutinum durissimum, quod trajici non valeat, coit, quod Solis ardoribus durescens robore multo maiore corpora aprorum armat ad ictus telorum, quae vi quacunque in illos mitterentur, sustinendos. Quae comparatio ad bellum faciendum, tam multoque ante diligens praemuniendi corporis provisio ferociorem et immaniolem aprum reddit. Adde ante praelium committendum ictus unguularum crebros, quibus percutit et perfodit terram, setarum horrorem terrificum, quas erigit, et in sublime tollit, aciem dentium ostensam horribilem, et exertum utrumque dentem, quos concutere collidereque non destitit quasi semper terrifico, ut totus effraenatus et praeceps furor illius videatur, quem pauci, atque ii fortissimi frangere non possint. Tantam oculis, et corpore, ex ore ipso, et ex intimo pectore crudelitatem spirat aper-

BOS.

Campania boves generat albos et exiles, non vastos fortes, laborem tolerantes, et colendis agris habiles, quadratis, et grandibus membris, et solido corpore, denso, brevisque, masculis ac toris ubique surgentibus, colore rubro, vel fulco, tactu corporis mollissimo, cornibus proceris, ac nigra-

tibus,

tibus, et robustis, ac sine curvaturae pravitate, fronte lata, et crispa, magnis, et hirtis auribus, oculis, et labiis nigris, subnigriisque naribus, resimis, patulisque, cervice longa, torosa et compacta, pallearibus amplis, et paene ad genua promissis, pectore magno, vastis armis, capaci ac tanquam implente utero, lateribus porrectis, lumbis latis, dorso recto planoque, vel etiam subsidente, clunibus rotundis, nervosis cruribus, solidis, compactis, aut rectis, sed brevioribus potius, quam longis, nec genibus improbis, vngulis magnis, candidis, longissimis, et fetosis pilosisque. Qui detibus summas dumtaxat herbas carpunt, radices non laedunt, animantium soli retro palcantur multi cibi edaces, verum in eo conficiendo lenti. Nam hi melius coccoquunt, ideoque robur corporeum citra macie conservant, qui ex usu potius quam festinanter mandunt. Sed ipsi boves, facile apparet aspectu ipso, motuque corporis, quamvis cornua habeant, quam mites et mansueti sint. Quippe qui sensim progrediuntur, et gradum quasi pompa quadam, et iactatione faciunt pallearibus de mento pendentibus, latissimo vastissimoque vetre, gressu firmante vestigium. Illa denique totius corporis mole a mento incurva usque corvis tecta atrectari se facile patiuntur. Idem jugum impositum patienter ferunt, arant, et iterant terram aratro, conjuncti currus agunt, quos virga, et sibilo, quo bubulcus illos agit, ducit, et reducit ad voluntatem suam.

CAMELVS.

CAMELVM inter armenta pascit Oriens vastum animal atque de forme. Quanta enim foeditas inest, et deformitas in ore Camelorum? aspice colli longitudinem, crura similiter longissima, quibus immodice ductis atque divaricatis foedissime procedit dubium, et imbecille vestigium ponens in terra; neque celarius, neque tardius, quam moles corporis et gravitas perfert, sese commovere solet.

Ven-

Venter longo intervallo, inter dextra, et sinistra crura interjectus est immanissimus et vastissimus. Duo tubera habet in dorso, medium modice depressum est tergum, ut vehere possit insidentes, et onera, quae imposita fuerint, comportare. Haec cum imponuntur, tanta est animal mansuetudine praeditum, ut ad onera suscipienda se totum sua sponte demittat. Sed ea est natura, ut insolitum pressum et gravitate onerum perferre nequeat. Lutulentas aquas haurit, quas conculcans pedibus, coenum excitat, ut turbentur. Nihil camelo facilius, neque tractabilius, quem puer vix jumentis agendis assuetus ad arbitrium et voluntatem suam agat. Tam incredibili tamen est patientia, ut sitim triduum, aut quatrividuum si opus fuerit, perferre consueverit. Iratus stridet horrendum in modum.

CANIS.



Ira Canum natura est, et egregie fidelis ad aedium custodiam, et hominum; et eorum rabies effera & immanis ad omnem impetum faciendum. Sed non sunt eodem semper corpore, neque colore praediti, et ad usus varios accommodati. Parvo, aut mediocri, vel longo corpore, atro, candido, vel alio colore, vel maculis distincti. Atque ut est natura, color, et habitus parentum, canes suscipi plerumque, et in lucem edii solent. Canes domibus, atque villis custodiendis adhiberi solent acres et immanes, qui latent, si quando fures, vel externi venerint in aedem, ut auditis latratibus fures fugiant. Qui in ignotos homines longe aspectos saevire incipiunt, ringi etiam, seque comparare erecto collo, distorto rictu, dentibus exertis et ad latrandum, et ad irvadendum. Quos ubi ad villam viam affectasse vident, quam multo, magnoque latratu acres, et vehementes canes, praesertim si a domesticis impellantur, et incitentur in homines externos et ignotos, properant, et advolant quam rapido et incitato cursu: nec persequi desunt quo-

ad consequantur. In quos accedentes agitati rabie, incitati que acerrime, toto feruntur impetu, neque lapidibus, neque glebis, neque fustibus arceri possunt, quin magis latrare perstant, et quam vehementer invadere in crura, in corpus, et saepe se duos in pedes erigentes, in faciem, aut in collum, quod magis propinquum est, involant, a fronte, a tergo, et a lateribus adorando. Miser homo, quem canis insectatur vix se tueri potest in omnes partes versando corpus, ne crura unum, aut alterum dentibus impetat, et aliquo morfu carnem dentibus adactis et impressis acerrime evellat. Ita homo saepe implorare opere villici, et clamare, ut arceat et fuget canem, qui deterritus a domesticis latrare desistit, aut manibus apprehensus detinetur, et saepe vi retrahitur collo tractus, et raptatus cruribus, ne homini damnum faciat: qui exanimis trepidat simulatque villa canibus personare coepit. Qui quemcunque externum praesertim hominem aspectu terrifico, et ore inhiante, furens invadit. Qui hosce canes acerrimos custodes habere cupiunt, robustos eligunt, eosque ligatos interdum semper includunt, noctu solvunt. Sunt enim mirabiles in custodia, praeter dominum, aut domesticos, agnoscentes neminem.

CANIS VENATICVS.



Canis venaticus ex diverso canum genere, laetus et alacer est, qui auriculas movet, frontem dirigit, circumspicit, et ferarum vestigia, tractusque sequitur olfaciens. Mira autem hujusce canis disciplina spectatur, dum paret domino, neque illum relinquit, sed suspensus spectat, donec ad persequendum mittatur signo, quod dari solet currendi. Vbi comprehendit feram, non mediocri afficitur voluptate, captam servat ad domini adventum, vel ad dominum ore transversam vel pendentem defert. Siquidem necavit ipse discerpere, et sanguinem avidè lambere gaudet. Quod si, (quod non raro

ac-

accidit) cursu confectum, et spiritu quantum supererat extrema contentione consumto exanimem assequitur, prorsus non attingit, astat autem caudatantum gesticulans quasi non pulvae, sed virtutis ergo certasse videri velit. Quoniam vero canes hos praedam odorari necessarium est, olfacientes insectantur. Atque canem odoratem quidam autumant praestantissimum quadratum esse: quem venatores omnes probant, et brevè, si modo potius, quam ad unco rostro, capite concinno, cruribus posterioribus eadem fere altitudine, qua sunt anteriora, pectore, quod non sit majus ventre, dorso plano, et porrecto ad caudam. Oculi sint agiles, et crebro moveantur, aures pendulae arrigantur frequenter, caudae quoque mutilae frequens motus, et rostrum terra vagetur et erret odorans: qui dum feram quaerit sentes et spineta diutius odoratur, et sagax admodum est. Commendatur imprimis et ille, qui post praedam inventam dominum accurrentem expectat. Canes ita investigent, ut a viis et tramitibus mox recedant, capita terrae obliqua admoventes ad vestigia subrideant, aureisque demittant, et faciles subinde oculos per singula volvant, et caudis blandientes multis in latera orbibus per vestigia simul omnes progrediantur. Sed ubi leporem ipsum invaserint, tunc venatori planum faciant pergendo celerius, significando vehementius animo, capite, oculis, gestu corporis, intuitum modo retro, modo in leporis latibula dirigenes impetu diverso in rectum, in adversum, in obliquum, et vere jam arrigendo animum, ac gestiendo. Cum propter leporem sint magis instando premiant, illum persequantur, neque remittant ingenti clamore latratuque, cum lepore, quacunque cucurrerit, evadentes, ut velociter semper, alacriterque persequantur.

CATVLVS MELITENSIS.

Ex duabus superioribus exercitationibus facile cuiusque fuerit in omni materia canum Latine loqui. Quam obrem

Aa.

catu-


catulum Melitensem solum describamus. Qui parvulus est, et indelicis magnis habitus. Alitur ad jucunditatem mulierum plerumque nobilium. Is nulli usui est ad rerum domesticarum custodiam, nisi ad usitatam hilaritatem, ad ludendum, et ad se oblectandum cum illo. Qui parvulus venustate, et specie jucunda est, saepe candidior nive, pilis obductus albensibus. Ille nunquam confectari desinit mulieres nobiles incedendo, quo illae contenderint, aut stando si constiterint, vel jacendo propter illas, si confederint. In gremium insilit, et ad cyclades se applicat, et adhaerescit, et in duos erectos pedes collum appetere videtur. Laetus semper et alacer de foeminarum manibus escam capere jucundissime solet, vocatus accurrit, discedit illico, redire solet paulo post, et statim revocatus puncto temporis, et in pedes se erigere, has, aut illas res capere, easdem ferre quo praecipitur, aut significaverint dominae, jussus referre mirabili alacritate gestiens. Interea singularis est hilaritas domesticorum, qui catulum ludos facere, et ad rem obiectam, et statutam ante oculos arripiendam eundem certatim provocare student, et cum catulus appetere rem festinet, conatus illius, et appetitiones resublata saepius, demissaque statim, aut in orbem tracta, raptataque, ut minime nanciscatur, deludere trahentes, et agentes quoque diversum, donec festum et defatigatum relinquunt. Denique mulieres capere catulos non semel solent, et in gremium collocantes demulcent capitulum venustissimum, os conspuant leviter, atque attractatu multo indulgent, et adeo blanditiis usitatis, et ut religiosi viri decorum servetur, silentio involvendis. Ille ore, cauda, corpore blandiri, et assentari dominae suae perstat, hujusmodi ludorum, et blanditiarum non infuetus.

CAPRA.

Caprae pellibus varii coloris, et villis plurimis vestitae. Agiles sunt et veloces admodum, quae nesciunt in eodem loco

loco diu permanere propter inexplebilem aviditatem vorandi. Atque ita vagae solutaeque currendo saliendoque petere consuecunt planas, et acclives, declivesque partes. Item rivulos, foveas, sepimenta, et obiecta quaeque virgulta transire non desistunt, et pastu capeffere, carpedo frondes, virgulta, vel saxa humida, et musco oblita lambendo ruminat: tamen in montosis potius locis, quam in herbidis campis pascuntur. Alitur herbis, et arborum ramusculis, quos ore possunt attingere in montibus, et convallibus. In pascendo loca crebro permutant, summumque tandem herbarum contingentes. Quobrem nihil mirum si silvestribus, (ut praedixi) delectentur saltibus, potius quam pratis, studiose de fructicibus pascetes agrestibus: nam nec rubos oderunt, nec vepribus offenduntur. Ovibus robustiores sunt caprae; quae nunquam non perferri possunt propter crepitem, quo currunt, aut saltant, et propter spiritum, quem non naribus solum, sed etiam auribus ducunt. Turpis est et libidinosa natura caprarum, quae, cum ardeant maxime, atque intus corpore ipso deflagret, praereliquis animantibus lascivia sunt incredibili, et effraenata libidine feruntur in mares.


CAPRAE.



Caprae in summis montium jugis commorantur, quae ad bovis saepe magnitudine accedunt. Ipsarum animi, et crura luxuriosis pilis fluunt; tibiis parvis, frontibus rotundis, oculis concavis, non valde projectis sunt cornibus, post primum ortum utrisque ab alteris longe averfis aberrantibus, et incurvis. Non enim similiter atque aliarum caprarum recta existunt: sed caprenus retorquetur, ut ad armos pertineat. Ea corporis ad facilitate sunt, ut ex cacumine in aliud longe distans transiliant; et tamen sic uti quaedam, dum ex uno vertice in alterum saltare cotedit, ob nimiam intervallorum distantiam pererrupta saxa

praecipit agatur, non tamen laeditur. Sic est adversus saxorum duritiem membrorum resistente firmitate, ut nec cornua frangantur, nec caput diminuatur, quin de locis altissimis praecipitans sese, cornibus se suis illaefam suscipit. Has jaculis, vel retibus venatores capiunt in summis montibus vagas et errantes. In patentium autem camporum aequoribus quilibet vel tardus pedibus eas, quod in his locis non valent ad fugiendum, capere potest. Earum pelles, et cornua commoditates aliquot habent: nam in frigidis tempestatibus, ad vim frigorum, et hyemem excipiendam pastoribus, et fabris materiariis pelles mirifice profunt. Cornua ad hauriendam aquam de praeterfluentium rivorum confluentibus, aut e fontibus ad depellendam sitim non minori usui fuisse dicuntur, quam calices ipsi. Siquidem tanta capacitate sunt, ut in bibendo respirare sit necessarium.

ALTERA CAPREAE DESCRIPTIO.

 Vis non admiretur naturam caprearum, quae agrestes atque montanae sunt, semper silvas, et montes excelsos incolentes, et inter abrupta saxa et praecipitia periculosissima versantes? Quare mira est agilitas et celeritas in cruribus. Quacumque procedant, semper crepitu crurum perstreperunt. Tam acerrima sunt oculorum acie, ut res, atque homines longissimo intervallo apparentes prospiciant. Non in planis versantur locis, sed in editis et excelsis, in arduis ac perruptis, in montibus altitudine miranda impendentibus, in praecipitiis difficillimis, valdeque periculosis. Quae si quando homines, vel feras adventantes viderint, de saxis, perruptisque montibus in infima loca se dant praecipites, sine damno et offensione minima corporibus sustinendo sese. Quia vero in cursu, saltuque velocitate sunt et agilitate singulari, damas appellant muli. Atque herbarum extremitates depascunt.

her-

herbas omnes, et ramusculos transiliendo, qua sunt celeritate pedum incredibili.

CERVI.

Cervis cornua sunt excelsa, oculi magni, collum debile, exigua cauda, crura perquam gracilia, dorsum pingue, nares quaternae, pedes bifidi, pulcritudine, et magnitudine cornuum ramosorum omnibus facile feris antecellunt. Soli cervo cornua omnibus annis decidua. Soli statim veris tempore amittunt, quae donec recipiant, occultant sese, et primum quasi cute vestita hirtiuscula emittunt, atque id temporis nocte exeunt ad pascuam: sed cum creverint soli exponunt, ut excoquantur et siccetur. Vbi jam arborum attritu, cum ea scalpant, non indolent, ea relinquunt loca, confisi jam habere se, quo repugnent. Flumina tranant gregatim porrecto ordine, et capita imponentes antecedentium clunibus, vicissimque ad terga redeunt: unus praecipit reliquis natando dux ad transmittendum: hunc alter capite innitens tergo insequitur, et similiter caeteri deinceps sequuntur. Cum autem primus natando defatigatur, ad extremum agmen iste recurrit, et caput in alterum inclinans paululum a labore recreatur: secundus recens defatigato succedens anteit, postea reliqui omnes in aliorum vicem succedentes duces efficiuntur. Pedibus tanquam remis utuntur, capita excelsa tanquam vela veteris permittunt. Vicanum urgente sponte confugunt ad homines: Est autem cervus animal simplex, et omnium rerum miraculo stupens adeo, ut equo, aut bucula accedente propius hominem iuxta venantem non cernant, aut si cernant, arcum ipsum sagittasque mirentur. Stupent omnia, propterea facilius obvios se praebent sagittantibus. Cantu venantium alliciuntur, demulcenturque. Itaque unus canit, alter a tergo ferit. Sed si erectis sint auribus sentiunt, submissis interimantur. Canum attritu fugiunt, capiunt aliquot intervalla quietis. Stantes ref-

piciunt cum aliquis appropinquat. Fugiunt telo percussi, et hoc fit intestini dolore tā infirmi, ut ictu levi rūpatur propter tenuitatem integra etiam manente cute.

CROCODILVS.

CRocodilus habet formam lacertae, cujus oculi hebetes sunt et obtusi in aqua, acerrimo tamen est aspectu oculorum in terra. Solus ex omni genere belluarū elinguis. Qui menses quattuor hyemales jejunos permanere dicitur. Adeo cute dura, et aspera, ut propter duritiem ab omni telorū ictu invictus putetur esse. Vnguibus armatus defendit sese, cōstigans acerrime. Mirae quidē fraudes illius atque fallaciae, qui procul conspicatus hominem pietatis simulatione collacrymat, et impius appropinquantem devorat in gurgitem et in voraginē ventris immaniissimi inferens: ut licet ex mole corporis et magnitudine miranda conijcere.

DE CVLICE.

Culix ex insectorum numero est, qui magnam affert admirationem considerantibus vim, rationem, et absolutionem perfectam, tot et tam multiplices sensus, quos Deus Optimus ac Maximus in tam parvo corpore collocavit. Videt enim, audit, gustat, odoratur, atque mira subtilitate, et elegantia pennarum sese effert in sublime. Crura illius admodum longa sunt, quae cum vult porrigit, et adducit cum opus fuerit. Alvus concava in caveae similitudinem sanguinem sitit, praesertim humanum. Cum autē aculeos, quos habet, erigit, et emittit in aliquem, quam alte infixos, impressosque relinquit, in frōte, in facie, in manibus, tumoribus non parvis excitatis, et notis ad multum tempus apparentibus aculeorum. Ita telum ad perfodiendum culici natura dedit acuminatum, ut

ut fistulosum etiam, et aptissimum tribuerit ad absorbendum sanguinem humanū. Clangore perstrepat horribili; qui quacunque volaverit culex instar buccinae personantis exauditur. Non parvum suscipiunt homines laborem in avertenda abigendaque bestiola hujusmodi deterrima in nullas partes oris non involante.

CVNICVLI.

Cuniculi sunt cādidi, atrii, fusci, subflavi, rufi, varii, et alii coloribus, natura sua timidi, et locum, ubi aliquid senserint periculi, relinquunt. Quod si unus, aut alter migret, reliqui gregatim abeunt. Cuniculum viverra in specus et cuniculos, qui sunt multifores in terra, pellit in retia.

DRACONES.

Vidimus saepe depictum draconem vastum et immanē, horribili figura atque forma, erecto capite, apertis oculis, et acerrimo aspectu, huc, et illuc aspectantem, et inhiante ore, quasi caedem anhelantem, et mortem minitantem illis, qui propius ad illum accesserint. Caudam effert, demittit, et intorquet, et inflectit in has, et in illas partes, et elatam sustentat per aliquot intervalla temporis, quasi in elephantū, quocum bellum gerit, impetum facere paratissimus sit. In custodia quōdam propter acerrimam oculorum aciem Minervae, Hesperidumque fuisse dicebatur; vel quia apertis semper credebatur oculis dormire, diram et immanem retinens ferocitatem.

EQVVS.

NE VITIO nobis vertatur, quod cum in alio loco describimus equum, in hoc omitteremus de tanto

animali quidquam dicere, qui proprius et communis est animantium, paucissimis verbis effectum formatumque vobis dabimus: quem quotidie videtis neque vetulū, neque tenerum, sed medium inter utrumque interjectum, illius equitis, quem vos scitis, et equitandi gloria præcellentē laudari cūctorum equitum sermonibus audistis. Obviam igitur fit vobis ille vir clarissim⁹ in equo nō intractato, et novo, sed quo magis consuevit libentius utens. Qui totus candidus est, pulcherrimus, atque venustissimus ad aspectum, ad equitandum speciem habet, et pompam insignem, ad cursus faciendos alacritatem, et celeritatem: qui simul atque inire cursum visus est, cum omnes equites spectant in euntem, persequentem, et conficientem cursum tanta velocitate pedum, ut non currere, sed ad volare videatur. Neque opus est priusquam ad finem veniat sustinere: sic consistit, nec minimum longius progrediens tanta cum venustate, et sui ipsius admirabilitate curretis, ut suos equos, qui adsunt, nullos ad hunc cōparatos ducant. Nunquam illius incitare velocitatē sibilis, aut habentis ipsius fraeni necesse habet dominus, non ad movere calcaria, non ilia cruribus suffodere, non virga, quam equites plerumque ferunt in manibus, collum percutere. Sic fertur incitatus velocitate sua incredibili in finem usque cursus, ut cum alter eques cum hoc cursum susceperit, nisi detentus a domino illū in medio saepe cursum relinquat a tergo. In quo mirabile est istud, quod sic eques cum altero cursum persequi consuevit in huiusmodi equo, ut saepe equitē alterum in cursu expectare videatur ad cursum atquabilitate mirabili cōficiendos. Atque hanc equus iste præstantiam præ se tulit et excellentiā a teneris annis, cum in campis pullus exultans et gesties iter ingrediebatur intrepide, nulli⁹ rei aspectu, nec strepitu terre batur, fossas transibat sine cunctatione, transibat torrentes, tranabat fluvios, atque adeo in loca se difficillima inferebat, et intrudebat impavidus: ut cum ab hoc solo spectare liceret egregiam indolem, et bonitatem celeritatem, et firmitatem, super

pervacaneum. videatur singularum corporis partes. me persequi velle describēdo. Quemadmodum scilicet capite fuerit brevi, ac polito, oculis prominentibus, et accensis, auriculis brevibus, et arrectis, naribus patulis, et ignem spirantibus, collo in gallorum morem incurvo, atque specioso, densa juba, et in dexteram profusa, lato, et musculorum toris numeroso pectore, gradibus armis, et rectis, lateribus inflexis, spina duplici, vêtre subactō, latis lūbis, pulcris, ac pinguibus, et mollib⁹, atque altis et rectis cruribus, terete genu, parvoque, neque introrsum spectante, rotundis clunibus, latis, ac pinguibus, et longe aspectu suo pellucetibus, unguis altis, et concavis, rotundisque, atque in incessu non vulgari gradu, sed molli, alterno crurum explicatu cum glomeratione; ut sine molestia, atque ullo succussu, mirabili pedum volubilitate vehat insidentē, properando, curredoque; denique corpore ipso grandi, sublimi, erecto, aspectu quoque agili. Cujus de longitudine nihil dicam præterquam quod ab equisonibus recognoscitur, ut longius non sit, quam quod ipsa natura postulet. Qui his naturae donis præditus fuerit equus, dato signo congregiendi nullos strepitus exhorrescet, nec aspectas umbras formidabit, stare loco nesciet, vibrabit auribus micabitque arrigens eas, atque deprimens; hinnitibus complebit aëra universum, præ spiritu vehementi, præ ferocitate maxima. Artus tremefaciet totos, et totus anhelabit fremens, totam continuo quatiens jubam, et unguæ solidi cornu ferēs excavabit terram, ejiciet pulverem, seseque eriget in medias auras, ut impetu præcipiti medium corripiat campum, et spatia quaecunque prætercurrens et præteriens Euro velocius.

ELEPHANTVS.

INTER animalia primum omnium Plinius enumerat elephatum, quem magnitudine corporis, incredibili robo


re vastitas ipsa et immanitas portentosa demonstrat. Vires invictas ostendunt acies prostratae, et hostium agmina concitata, arbores procerae frontis ictibus fractae prostrataeque, ad mandendum corticem lapides sepa collisi, et immanes trunci, qui radices habebant altissimas, et magnitudine virium evulsi fuere, frons latissima, et fortissima, promuscis ad capessendos pastus aptissima, dentes in magno pretio habiti, et eximio cadere praediti, corp⁹ maximū et vastissimū. Tergo admodum duro sunt elephanti, et mirum in modum vetre mollissimo. Neque ullus pastus est tam difficilis, quem non decoquant, cortices enim, lapides, et truncos, suo calore digerunt. Quid illud, quod cum villis vestiti non sint, neque caudae praesidio muniantur, cute ad speciem et similitudinem cancellorum donata, muscas, et animalia caetera infestissima abigunt contrahendo paulatim cancellos, et eisdem inclusas et captas bestiolas conficiendo? Videre illos est pavidos et formidolosos, audaces et intrepidus, cum animadvertunt vestigia hominum, homine non aspectu metuere insidias, totos tremere, consistere statim, circumspectare huc, et illuc, ignem naribus flare, spirare minas, neque ullum gradum facere, sed agmen circumagere ducem eorum, et alio quasi paratas insidias videret, celeriter reverti. Quantum autem roboris ac virium habeant ad impetum non unius solum hominis, sed saepe fortissimorum exercituum sustinendos, ac propellendos, quod legimus vulneratos, et interfectos homines, et acies prostratas atque deletas, et in Italia, et in aliis terrarum partibus robore et invicta fortitudine elephantorum, facile concipiemus. Cum sint hac fortitudine, et magnitudine virium praediti, societatem coisse tamen cum hominibus videntur, quorum formam et figuram procul aspectam, non secus atque suam diligunt: et ita multis domitis, et condocactis utimur, et illorum acerrimis ad nostras utilitates sensibus.

ERVCA

ERVCA.

ERVCAE infestissimae oleribus, dici non potest, quantum mali faciant, folia ipsa, et flores depascendo, corrodoque. Ecce tibi bestiola minima, pernicies brassicarum, folisque involuta olerum, quibus se implicavit, in folia repens hac, et illac, ut se pascat et satiet. Tarda in rependo, lentisque admodum moribus omnia vastat, inhaerendo in herbis, et in foliis, usque eo dum absumerit. Cujus forma ad similitudinem vermis accedit. Quae multis pedibus constat. Mollis admodum, et sanie plenissima, colorum varietate distincta, in noctis tenebris et caligine multa stellae instar colucet, die vero foeda nimis est, atque deformis. Illa varias habet formas sive mutationes, ut repere, et volare possit. Ad pestem hanc ab oleribus avertendam commodum erit vel manibus colligere erucas olitorem, vel matutinis temporibus frutices olerum concutere. Sic enim dum adhuc frigore nocturno confectae torpent, si de oleribus deciderint, non amplius in superiorem partem repent.

FELES.

ELIS animal familiare ac domesticum, omnibus notum vulgo catus a solertia nuncupatur; nam homines catum sapientem dicunt, et acutum. Feles agiles sunt, et rapaces; nigri, vel fulvi, vel alio colore, pelle mollissima, unguibus, ac dentibus armati, auriculas acutiores habent. Oculi eorum noctu lucent non sine intentionum terrore, praesertim ex improvise. Sic lucent oculi, ut in cavernis etiam tenebrosissis tanquam in luce mures conspiciant. Ungues eis hamati, et vaginis reconditi sunt. Velox animal scandendo, rependo, saliendoque mira agilitate.

Bb 2 Valde

Valde mordax diversa murium genera, et aves venatur, adeo beneficio naturae in tenebris cernit. Hominū ille sibi familiarium manu leviter contrectari et molliter caput, dorsumque demulceri gaudet. Qua quidem voluptate ut fruatur, saepe ire, ac redire sub manus consuevit. Ipse etiam capite praecipue pressius applicat se manibus demulcentis, et in adversum dirigendo nititur tanquam transigendae per reliquum corpus attrectationis admonens, aut ut pili ita planius componantur, cruribus etiam praetereuntium adblandiendo latera affricat secundo semper pilo praeteriens, rediēsque. Hanc etiam voluptatem, animique remissionem submisso murmure quodam, et continuato oris oclusi rhonco testatur. Facillimus est, et proclivis ad ludos, nō solum cum provocetur ad eos, sed etiam sua sponte, praefertim aetate adhuc tenera. Si quid pendere, aut trahi, aut aliter moveri viderit, mox assultat, mordicat ore, ferit unguis, resilit, insidiatur, profilit, in vadit, rapit, projicit, iterum rapit, et multis, mirisque modis gesticulatur. Ut pueri, et otiosi homines plurimū saepe voluptatis colludendo capiant, funiculos, ac fascias trahunt: feles, vel quia quavis occasione ludere libet, vel musculus, aut aliud animalculi genus esse rati ridiculis gestibus alias insidiosi quiescunt, expectāt, clamant, alias celerrime sequuntur, et apprehēdunt. Solent autem supini fere colludere, ut et oculis undique circum aspiciere, ut et unguis in promptu habere, quos ostentant quasi paratissimos ad se ulciscendos, si quis fuerit ad violandum audax. Itaque modo ore hiant, et morficatim ludunt, modo unguibus evaginatīs obvium quodque apprehendunt; si tamen hominis manus esse senserint, nec mordent, nec laniant, sed leniter tātum retinent, mox dimittunt. Voces eis pro vario animi affectu variae, aliter chinā ogganniendo aliquid petunt, aut quaerunt; aliter benevolentiam suam testantur homini, aliter denique, atque aliter inter se ipsi agunt. Idem vocantur, blandiuntur, fugant, exhibant, tanquam efflantes, aut expuentes, ut canes;

nes;

nes praecipue. Alius eis animus est cum caudam submittunt, alius cum erigūt, idque non uno modo, nunc rectam in sublime, nunc arcuatam. Cum imagine sua interdum in speculo colludit felis, et eandem a summo putei intuitus dum ludere gestit, in aquam cadit, ac mergitur; madidus autem aqua tantopere laeditur, ut nisi cito sicceat, vitam morte nō raro commutet; humiditas enim externa ei cōtra naturam est: quamobrem pedes etiam tingere cavet. Atque verecundū animal est, et formae studiosum, puritati, et laevori sive aequabilitati pilorum adeo studens, ut subinde se lambat, et comat: in quem usum et flexibile corpus prae mollicie, et linguā asperam habet. Pellem totam lambendo complanat, loturam faciei prioribus pedibus imitatur. Nomina sunt, quamobrem feles agnoscunt. Sunt et cōmunia, quibus vocantur, fugā turve. Sic autem omne murium genus prosequuntur, ut captos primo lusibus afficiant, illufos vorēt. At quo silentio? quam levibus vestigiis obrepunt avibus? quam occulte speculantur? et in musculos exfiliunt? Vnum de felibus non est omittendum, qui rixari solent et acerbissime contendere inter se. Qui quanta rabie ferūtur incitati: dentes, et unguis injicere conantur in omnes corporis partes, atque adeo in collum; rixantur in tectis, in locis superioribus, et infestissimis oculis se prospicientes; oggannire suis intervallis perstant ritum, inducētēs; donec coeco furentique impetu, se ipsos invadunt, et complexi simul sese acerrime constringunt; comprimuntque ad multum temporis spatium, lacerāt unguibus, mordent dētibus, atque adeo lōgius progrediuntur, et acerbitate tāta, ut uterque sui prorsus sit impos, neque se sustinere queat, aut ab altero divelli: donec ambo strepitu maximo de tectis in terrā dant praecipites sese. Fugere statim uterque, et celeriter in tenebras, aut in locū abditū abdere sese, ne quid mali quisquā faciat; ridere praesentes, si qui sunt, et ad fugiendū sublatis clamoribus incitare, vel lapidib⁹ impetere: donec e conspectu sese abduxerunt fuga salutē quaerendo suam.

Bb 3 FOR-

FORMICAE.

SI mirati fuimus eorum solertiam; miremur magis formicas, quae tanto sensu, et memoria praeditae sunt, ut habeant curam diligentem condendi frumenti, quo se alant hyemali tempore, extremis pedibus, et totis humeris conitentes, et majora perferentes onera, quam pro sui corporis exiguitate sustinere posse videntur. Quibus cura est rodendi grana, quae condunt, ne humore terrae in fruges evadant. Praeterea majora dividunt ad relinquendos liberos introitus, et exitus foraminum. Illae imbribus madefacta grana proferunt diebus ferentibus ad Solem exiccanda. Magnus est earum labor, multa opera, atque diligentia nocturnis temporibus, praesertim Luna plena. Quoniam autem ex diversis locis aliae aliarum insciae et ignarae certos dies habent nundinarum praestitutos ad mutuum granorum recognitionem, quae tunc earum concursatio, qui congressus, videre est: silices valde tritos, itione, reditio neque, semitasque stratas granorum multitudine condendorum.

HIRCVS.

AGnoscunt omnes hircum ducem caprarum esse, qui natura animosus, pugnax, robustus est. Praecipue viri in fronte sunt, et in cornibus, quae longa, et acuta habet. Qui eligendus est magno et amplissimo corpore, molliore pilo, et potissimum albo, capite parvo, flexis auribus, et gravibus. Probatum armis quam villosis, cruribus crassis, lateribus vel costis firmis, coxis amplis. Ille cornibus ictu tam valido ferit interdum, ut asserem, vel scutum obiectum scindat, et prosterнат hominem. Maxime olidus est, et barbae fiducia gregem antecedit.

LEONES.

BRV.



Rutorum animantium formam vincit leonis figura, sive mitem et mansuetum, sive commotum et accensum consideres. Regnum quidem, et excelsum animal apparet, capite, iugis, pectore, et omnibus reliqui corporis partibus animadversis. Caput illius in caetera bruta animantia dominatum ostentare visum est sublatum in speciem et similitudinem hominum. Sibi quasi placens, et sui ipsius amans, sua umbram tacite admirans procedit, et apparens semper, et eminens summa montium juga conscendit, saltus omnes, atque lucos, apertos et patentes campos peragrat, ad humiles densissimasque valles descendit, magis tamen sese effert longitudine et praestantia iubarum, quibus collum praecelsum, et splendentes armi vestiuntur. Atque illa vis pectoris ad invadendum, et conficiendum quodcunque genus animantium, venabulis, et telis hostium contemptis, quam mirabilis est atque stupenda? Cauda leonum animi index affert admirationem, quae conatus omnes, motus, et appetitiones, et naturam mitem et placatam, aut ardentem et concitatam, testatur. Sed cernite iratum et commotum leonem, ardentem et inflammatum, aut catulos, aut se ipsum a venenatis hostium telis tuentem atque defendentem. Non aspiciatis terrificum et immanem? Deus bone, quam ferus et immanis? quam teter, et truculentus consistit? fremere incipit atque rugire primum non alte nimis, horrificis jam et truculentis oculis in venatorem coniectis, quos ante hostilem aspectum defixos paululum in terram habebat. Mentum ipsum, et caput versat, et totum corpus concutendo vehementer iugas erigit et attollit in sublime terrificas et horredas morte intendens, atque minitans carnificinam venatori, ac sese aspectu horribili comparans ad invadendum, quam magna vi et contentione in dexteram, et in sinistram, in tortam et inflexam caudam vehementissime quatendo, gravissimo terram ictu percutit, et postea terga frequentissime, et acerrime verberat rugiens id temporis quam altissimo plenus iracundiae,

B b 4.

tor.

totus ardens coeco ac praecipiti impetu, perruptione facta, fmitu horribili, quam stragem potest edēdo, vitam, et sanguinem profundendo plurimum, manibus injectis in humeros, et ore collum invadens apertum, mordens etiam dētibus quam altissime impressis, ipsis unguibus mortem afferre non contentus hominem discerpit et dilaniat, intortum huc, atque il-luc trahēs venatoris collum, comprimensque dentiū horribili stridore, atque ad minimum suffocat. Cum non totus ardet iracūdia, plurima rabie coecus et praiceps ruit in adversarium. Ita victor redit ad catulos sanguine totus imbutus inimicorum, diadēma regium, et excelsum, quod gerit in capite, summa cum excellentia reliquorum animantium ostētans.

LOCUSTAE.

AVERTAT Deus locustarū genus a mensibus, quoniam dirae sunt, et infestae frugibus maturis admetēdū. Quas Deus ipse tāquā malū gravissimū invexit hominibus ad mensium vastationem et depopulationem miserissimam propter scelera eorundem maxima. Quae innumerabiles atque infinitae ex longissimis locis, et disjunctissimis regionibus alia loca, diversasque terrarum partes remotas, et plurimū distantes praetereunt, et quacunq̄ transeunt, caelum ipsum incredibili multitudine obducūt, ut Solem quasi nube quadam et atra caligine obscurātes, crepitu et stridore maximo aera praetervolando, qua se diffundunt longissime sparsae dissipataeque, saepe conjunctae, et innumerabiles perdant et depopulentur fruges, excisis, et everlis spicis omnibus, aut vastatis et perditis omnino: ne spes relinquatur frumenta mortalibus matura metendi. Tantam vastitatem repentina locustarum multitudo efficere potuit. Quae ne major sit, quam metuebatur, ad locustas capiendas viri, et mulieres cōducuntur, et ex lanceis faccis, quos locustarum impleverunt, pretiū ferunt, et laboris mercedem accipiunt.

LVPVS

LVPVS.

LVPVVS talis mihi obversatur, quali forma naturaque praeditus est, forma scilicet et figura canis, sed tetriore horribilioreque. Ille colore fusco, capite deformi, dentibus exertis, nigro ore, et inhiante, collo brevi, natura fera et immani, anhelans caedem ovium ad famem explendam, qua lenecatur. Est acerrima oculorum acie praeditus, quippe qui Luna abdita latenteque, obscura nocte et caliginosa, tum maxime cum vis, incredibilis existere solet aquarum, et tempestates oriri vehementes, ovium gregem invadit. Dissipari id temporis et spargi scias gregem omnem, et balatibus opem implorare pastorum, canes excitatos concurrere, lupū insequi latratu continuo, advolare velocissime pastorū clamoribus impulsos, et inflammatos ad ovem ex ore lupi, et faucibus eripiendā. Sed lupo celeritate incredibili, incertis deinde cursibus, atque diversis properādo, et has, illasque partes ambagibus et circuitionibus, quibus canes insequentes deludere potest, praetereundo, canes infectantes, et curtēdo fessos jam, et anhelantes evadit. Sic ille sanguine, carnibusque ovīs miserissimae famem explet, integramque deglutiendo devorandoque avidissime. Hoc autem in lupo mirabile quidem est, quod noctis tenebras et caliginem non metuit, gladios, tela, vim omnem armorum nūquam formidavit, strepitus autem minimos lapidum exhorrere visus est. si quis dicitur eoq̄ si lupus dicitur non est canis sed canis dicitur non est lupus

LYNX.

Lyncem accepimus proverbio, quod tritum ac vulgo jaletatum est, ex cervariorū genere natum, acerrimis oculis, colore vario, corpore maculis distincto yenustissimis, in Aethiopia frequētem tagari. Qui timidus est et formidolosus, fugit occulta in se in silvas in nemora, in lucos, abditos

Cc atque

atque remotos; aut se abjicit, et prosternit in terram, et afflictus, et exanimatus jacet per aliquod temporis spatium, per quod mobiliter palpat cor, quoad quietem antiquam recuperare incipit.

MURES.



Vres quam deformes sint, et infelli rebus domesticis satis apparet; quos corrodere nihil non solere, quod nacti sunt, quamvis durum admodum sit, agnoscimus: praesertim quidquid esculentum sit, si adipiscantur, et illud maxime, cuius appetentes sunt, panem, caseum, petasionem, carnes alias, et fructus. Et quoniam praeter caeteras escas avidi sunt et appetentes casei, muscipulae armari solent cum caseo de ferro pendente, qui intus est intra muscipulam, ad quem mures corroendum ingressi vix os admovent, cum machinatio solvitur praeccluso aditu, per quem introierant, et mures manent inclusi: qui pavidi stupentesque ad crepitum, quem exaudierunt, cum machinatio fragore magno solvatur, consistunt, et illico fugientes ad locum, quo aditum habuerunt, ubi clausura reperitur, per intervalla radiorum muscipulae inferre caput conantur: si facultas omni pressu, et adhibita vi daretur effereendi corporis. Dum conata perficere non possunt, colligunt sese, postquam exitus omnes praecclusos vident, et ingressus, quasi poeniteat eos introisse contracto corpore loco se commovere non audent: cum paulo ante tentantes fugam, et exitus explorantes omnes, nullam non partem currendo perlustraverint, atque aggressi fuerint: si qua exitum reperire possent. Illae puerorum id temporis mirae voluptates, et muribus facta mala, qui styliis ferreis per radios inromissis pungunt, et agitant mures, et sursum, ac deorsum, et ab una in alteram partem fugitare cogunt, ut vim, et aculeos styli declinent alte adeo infixos in corpore. Atque illud est usitatum eisdem, ut mu-

murem sublimem de filo pendentem feli capiendum obijciant. Quae alacritas felis ad invadendum? qui terror et formido murium? qui conatus et appetitiones felis? quae murium incitata fuga dum conatur felem insequente evadere? cum longius profugere non possit, quam funiculi longitudo protendatur, et miser diffugiendo a puero, qui funiculum habet in manu, trahatur, et raptatus saepe, tractusque per multum tempus, quae mala accipit toto spatio, quo trahitur, retrahiturque saepissime? denique post multos felis conatus, et appetitiones, quibus felem ludos facere pueri voluerunt, et fallere invadentem toties in murem, laxando, et adducendo filum, capiendum devorandumque murem feli relinquunt.

MVSTELA.

Mustelam multum valere quis ignorat ad aedem muribus purgandam, et non minus aequali esse, quam felem ad capiendas aves, quibus insidiatur? in latibula murium, et in nidos et latebras avium ingressa perscrutatur et explorat abditos et reconditos recessus calliditate, et fraude maxima, contrahendo porrigendoque corpus, ut res postulat. Quod facile factum est mustelae; quia illud sibi flexibile est, in omnes flectendo partes. Quamobrem ad capiendas aves homines mustelas arundinibus longis tollunt in nidos collocatas in parvulo subereo cortice rotundato. Ille in summitate instans sedis impositus est, ut mustelae nidos explorent, investigent aves, repertasque capiant. Atque ita parietes aedificiorum, et templorum altissimos explorant cum mustelis homines istarum avium aucupii causa.

OVES.

Quantam oves villis vestitae pascentes, & errantes voluptatem afferunt? quas laetas et alacres gestire, balare

frequentē in apertis campis, et pratis viridissimis non igno-
ramus, et ad sibilos pastoris sparsas et dispersas in ovile com-
pellitur, cum foetus habent, et teneros agnos procreant co-
pia et ubertate lactis, quo abundant. Agriculi sequuntur ma-
tres, et illarum mammis inhiantes lac sugere videbis, et saepe
exprimere. Qui expleti fatiati que in camporum ubertate, at-
que luxurie herbarum lasciviētes, cursus devios, rectos, trās-
versosque suscipiunt, choreasque hominum gestientes imi-
tatur, et alios alii insequuti, vicissim que adorti, fugientes que
suis temporibus speciē humanorum praebētes ludorū. Stu-
pidi aliquando et inertes prospiciunt cōcursus et conflictus
aliorum sui, diverse gregis arietum.

PANTHERAE.

PAntheras, quarum multae in Africa capiuntur, quis non
credat tales esse, quales litterarum monimētis, aut homi-
num sermonibus accepimus, diritate et immanitate terri-
ma, capite immani valde, quarū aspectu quadrupes deter-
rentur omnes, sed colore, et specie pulcherrima? Quippe quae
corpus totum cādidum habeant, et macularum varietate di-
stinctū: quae toto corpore sparsae et diffusae, venustissimae
apparent et eminent, ut praebent speciem oculorum. In ar-
mis autem macula insidet in similitudinem Lunae paulatim
erescens, et orbes efficiēs mirabiles, quae in cornua usque ex-
cavata perveniens, accrescendo mirabiliter expressa com-
pletur.

PVLX.

Sipediculi molesti sunt, magis infesti proculdubio pul-
ces erunt, quoniam acriores morsus efficiūt, sitiunt enim
maxime sanguinem humanum, et cum in carne infederunt,
haerent penitus, et morsus tales efficiunt, quorum dolorem
perferre vix homines possunt. Relinquunt autem vestigia

mor-

morsuum clare satis expressa suorum, in quo magis infesti
sunt, quoniam nullam partem quietis hominē habere sinūt,
dum in has, et in alias partes infiliunt, singulas mordendo, et
exercitando vehementissime. Scilicet capies illos, cum cer-
tus fueris loci, quem momorderunt. Saltu uno, et altero de-
ludant hominem, et sua celeritate, cū captos esse arbitramur,
subito de manibus delabuntur, effugiunt et evadunt, quasi
exultātes in malis, quae suis morsibus fecere mortalibus. Vbi
vero capti tenentur, nisi eos digitis teras prius, aut vix de
manu deposueris, cum unguem imponas ad conficiendū, nū-
quam illos conficiēs. Tam agiles sunt, et soluti ad saliedum.

SANGVISUGA.


Depellat Deus a nobis pestem sanguisugarū, quas aquis
ipsis natātes aspicias, colore subnigro, et lineis quibus-
dā rubris distinctas, molles admodū, et inflexibiles. Os illae
habet ad trianguli figuram, et in ore fistulam, quae cum san-
guinem sugant, cuius appetentissimae sunt, sceleratae bestio-
lae faucibus insidiatur, et cum possunt, sese inferunt et intru-
dunt in os hominum: deinde delabūtur in fauces, neque san-
guinem haurire desistunt, donec plenissimae sint, et humano
sanguine saginatae: quem hauriendo paulatim spiritum hō-
minis exhaustū.

Serpentium maximam vim esse scimus, quāsdā
enim esse serpentes, quāsdam gradientes con-
stat, atque has in aquis, illas in terris commorā-
tes. Quaedam ortae extra aquam simulatque
nati possunt, aquam persequuntur. Nos loqua-
mur de communi genere serpentium, qui in terris nasci solēt, in
in aridis, et silvestribus locis procreantur, et apertarum con-
cavas altitudines conquirunt: in quibus delitescētes, et se-

Cc 3) emer-

emergentes aliquando cum aspiciuntur, serpere videas toto corpore connitendo, tumidis cervicibus, inflato collo, capite erecto, huc, et illuc circumspectantes, inflexione multiplici intortos. Qui in hiliētes in aliquem, et collum, et caput implicantes, ita arcte constringunt, et comprimunt, ut explicare nodos et flexus nullo modo queat homo. Si mordeant, cum pestilentiae suae virus evomuerint, hominem miserrime conficiunt; cum partes omnes tumere incipiant, et venenum sese toto corpore per venas diffundere; quoad ipsum, peste illa tabifica permanente ad cor spiritum exhauriat omnino. Sed quamquam venenatus iste serpens sit, ac plane tabificus, eximia tamen sua pulcritudine delectat. Exuviae enim illorum nitidae sunt et illustres, radiis praesertim Solis illustratae, et quā longae sunt, maculis multis notatae splendentibus: quae nodis interjectis distinctae, tanquam picturae politae, et elaboratae admodum micant atque nitent. Qui quoniam tardi sunt in repēdo, tergi, nodorūque varietate mortalibus admirationem afferunt intuentibus. Quos illi repentes assequi nō possunt, stupore pulcritudinis oppressos capiūt. Qui quoniam visco multo plenissimi sunt, natura, qua existunt, humida loca, quae praetereunt, visco oblita relinquentes expressa sui corporis vestigia relinquunt, vel adumbrata saltem: ut notae appareant aliquot, quibus in latebras suas deducantur homines. Mitto illud, quod pellem exuunt in hunc modum, ut novam induant, atque pulcherrimā. Herba enim nota cum primum se purgant, virus evomunt, quod aegrotādi causa fuit; deinde molliorem pellem reddunt in aquis natādo, et in rimulam inter duo saxa interjectam nimis arctam, nimisque angustam inferendo sese, intrudendoque vi contentioneque adhibita, intra diem exuunt. Faciunt autem initium exuendi pellem a capite in oculos usque, deinde spoliant collum, denique reliquam corporis partem, quoad pellem omnem exuisse visi sunt.

SIMIA.



Blestemus nos modo cum simia, nam ridiculum animal est, et valde gratum hominibus, et ad humanā formam atque figuram propius accedit, et motus omnes, et gestus imitatur hominum. Nares motitat, atque corrugat, quasi ludos aliquos hominem vellet facere; simulat, et agit, quos vult naribus, et ore gestus, et in agēdo homines participes rationis ementiri studet fumendo nucem in manus integram, et frangendo dentibus ad hominis usitatum modum. Vna manu extrahit nucem, altera infert in os suum, et mādīt utraque mala homines de loco superiore despiciens, et quasi descendens, denique dejiciens de manu corticem vacuum et inanē. Incredibili celeritate repens, suis innitens manibus, pedibusque, in summa cōscendit fastigia, et de eisdem descendit continuo, confidet pro fenestris, et dat se in viam, si catenula, qua constricta tenetur tantum intervalli cōsequi potest. Atque cum saepe in his celeritatibus susceptis catena implicetur, nec tam facile se expediat, illa risus movet, et non raro eachinos spectatorum. More hominum corpusculum purgat, quos capit pediculos mandere se simulat, vel dejicere solet de manibus, aut unguib⁹ pollicis utriusque medios interjectos comprimit, et conficit quasi ulciscens scelus animalculi, quod morsus fecerit toties in suo corpore. Impudens est simia, quae manibus fricans, et abstergens faciem, nitorem et munditiam hominum fingit, atque simulat. Denique capitulo minimo, facie ridicula, depressis naribus, ore, pedibus, ac manibus hominum similis erigit sese, et ad pueros, quorum studiosa est, accurrit avidissime.

S.V.S.

Quod venadmodum sumiaridiculus est animal, sus foedum plane est, atque deforme, et dmnium, quae habentur immunda, spurcissimih. Semper sordidatu, et plenum luto coenoque obductum gaudet sterquiliniis, et locis foedissimolentibus. Instabilis sordidissimis requiem capit, et dormit dies, noctesque in vivariis. Nigro est plerumque colore, setis asperissimis, tectus, facie foeda, atque deformi, demissis auribus, complanata fronte, iners et stupidus, grunniens non aspectus internoscitur, rostruque, coeno aut sordibus sterquiliniis plenissimum gerit: quippe qui in coenosis locis, et paludib' foedissimis fordes agit, et huc, et illuc trahit: atque ipso provolut' coeno versat corpus in unam, et altera parte, et ex volutationibus expressis in corpore intelligimus in luto volutatam, sordibus atque coeno toto corpore manantem aspicientes. Atque cum nemo sit, qui coeni vel sordium intolerabilem odore perferre possit, illae huic animali gratissimae sunt jucundissimaeque. Non immerito sus species est et adubratio libidinosorum, qui coeno suarum impuritatum immeri nihil aliud student, quam in omni decore voluptatum, ut sues lutulenti volutari.

TAVR.V.S.

Intuere taurum armenti ducem, robustum admodum, et praecipue capitis, et colli robore valentem, fronte valida, et ad pugnandum idonea, cornibus ad feriendum natura infestis, aspectu truculento, torosiore cervicis, et vasta pro proportione corporis, ventre paulo substrictiore, pedem figentem firmiter, et caudam a tergo jactantem, et attollentem in terga, non nunquam usitato more ferientem, denique praecuntem armento. Noli lacessere taurum huiusmodi colorem praesertim rubi-

rubicundum ante oculos statuendo: nam facilis est ad iracundiam, praesertim si provocetur. Extra armenta solitarius ferre semper errat, non longe tamen a vaccis pascens. Viribus fretus per nemora vagatur, et liberos egressus, et redit' habet ad armenta. Sic autem interdum animo incitatur, eo saepe cornibus impetu appetit et invadit, ut sui ipsius impotens et effraenatus feratur; nec illum bubulcus, neque metus ullus reprimere potest.

DVORVM PVGNA TAVRORVM.

Non ducem dumtaxat videamus taurum, sed pugnantem colligentemque cum altero sui generis, et aetatis. Uterque facie jam minaci, et oculis infestis truculentisque se ipsos intueri, anteriores pedes figere firmiter, terram ferre, caudam erigere, modiceque inflectere, cornua in promptu ad feriendum, cervicemque jactare, infestoque semper obtutu, iracundia ardere vehementer, ignem naribus spirare, terram pedibus spargere, et pulvulenta jactatione, et Martiali spiritu contentius, quam dici potest mugire uterque, provocare se ipsos, effraenato impetu ruere, mutuis se vulneribus caedere. Quemadmodum in pugna navali duae praestantiores naves per multis armatis militibus fulgentes, et vento vehementi, remisque propulsae, contrariis prorsus rostra inter se mutuo allidunt, et concrepant armorum, et virorum strepitu confligentium: sic taurorum concurrerium tandiu mugitus feruntur in caelum, dum eorum alter ex certamine victoriam retulerit: victus cum dolens de pugna a se male commissa, tum verecundus in armento comparere, in silvam proficiscitur, et separatus a caeteris pascitur.

TEREDO.

Quod Tinea damnus facit vestibus, teredo aedificiis afferre solet. Vermis hic in truncis arborum, in trabibus

bus aedificiorum, in omni ligno latet et absconditur, quod paulatim corrodit: nondum enim, damno patefacto, neque perterebrato ligno perstrepat; ut strepitus clare percipiatur. Paulatim igitur lignum, et truncum, et partes, quas pervadit, corrodo, et in pulverem redigendo exedit materiam aedificiorum.

TINEA.

VT teredo aedificiis, sic equidem et tinea vermis est infestus admodum vestibus; in quibus cum insidet, abrodit eas. Quamobrem illius causa proferimus vestem, et supellectilem omnem in medium aëra, et explicatam longe, lateque suspendimus, ut affletur aëre, nec perdat omnino: latet enim vermis iste, neque videri potest, nisi abrosa veste, in qua intima abstrusus est penitus infra pilum recentiore. Quae ne longius serpat, et manare possit adventis perniciem manifestam, remedium praesens adhibetur.

TIGRIS.

Quamquam Tigris ferum, et indomitum animal est, et oculis, atque capite cōspecto timorē incutiat; tamen corpus cādore mirabili praeditū, et maculis variis sparsum distinctumque mirificam habet speciem et figurā. Atque illa velocitas pedū tam incitata praecipue praedicatione dignissima est: sed dira admodum est et crudelissima, oculorū aspectu truculento, et ad ulciscendos catulos promississima et paratissima ante oculos versari debet. Nam vindicandi catulos incredibili rabie, et furore agitata praecipiti, celeritate inaudita lustrat, et obit lōca omnia, in quibus suspicatur ablatos catulos occultari abscondique potuisse; et cum eos non reperit, et videt equitem, qui secum illos abditos latentisque portat, persequitur hostilem in modum; atque

que unum si projiciat confestim tigris defert in foveam, unde ablati fuerant: revertitur eadem secundo, consequutaque equitē celeritate cursus reducit alterū ab equite projectū similiter in terram catulum, ne a tigride catulorum aperetissimā suorum dilanietur. Quodsi plures habuerit catulos saepe revertetur, quoad omnes recuperaverit. Saepius tanta est immanitate et diritate naturae, ut sanguine humano se, suosque ulciscens catulos saginetur.

VERVECX.

Cerne pecus illud lanigerū eximia pulcritudine, et vervecem praecuntem paene erecto capite, vestigium alte imprimentem: ille dux est, et princeps gregis; qui a tergo consequitur. Deus illum magnitudine corporis, firmitate virum, prae reliquis consequentibus munivit: quia gregem ducit, et viribus illum praeditum esse oportet, qui tot oves defendere, et pro illis propugnare debet. Vellus illius quam pulerum? quam villis vestitum, et pilis se longius diffundentibus? Cum ad sui corporis, et ad aliarum ovium custodiam certamen suscepit, retrocedentem aspiciens, ut impetu fortiore vehemens et acer in adversarium invadat; atque se quasi reficiendo impetum quā maximum facit cornibus intentis, objecta penitus imminente fronte, que sibi prae reliquis durissima est, et ad ferendum appositissima. Quacunque pastor eum deduxerit, ille pastorem sequitur, praecuntemque vervecem grex reliquus alacritate, et agilitate mirabili. Quodsi aberrare contigerit vervecem, nunquam ad semitam, vel locum unde deflexit, redire solet nisi prius a pastore revocatus. Praecunte igitur oves cōsequuntur tanquā ducē pascuorū mitē admodū et mansuetū, et nolae de collo pedētis sono omnes excitantur ad cōsequendū, et si casu nimis a tergo aliquot relinquantur, sono eodē percepto properant et accelerant, ut ad gregē perveniant, et eo, unde aberraverant, revocantur.

VRSVS.

VRsus non procul abest a tigridis immanitate. Dicitur autē est ab urgēdo, quod quē capit, urget ac premit, neque dimittit nisi dilaniatū. Quis ferocitatē urfi nō extimescat: debile quidem et infirmum habet caput, sed multū habet roboris ac firmitatis in corpore, et in lumbis: qui semper erectus in hostem invadit, et pugnans cum apro immanissimo, cum canibus, cum tauris illos projicit atque prosternit in terram. Tanta iracūdia, et furore praeceps fertur, ut si quē percussorem invadat, et alter deinde, et tertius percusserit, primo, secundoque relicto, quos insequatur, iracūdiae virus in tertium expomat, et omnes in illum crudelitatis impetus conferat.

VVL P ES.

Absolvamus animalium tractationem vulpe, quae loca sterilita reddit, in quibus vagari solet. Vētre est albo, atque delicato, rufa vero cauda, et tergo, villis corpore obdūcto, caudam pilis tectam, et quam longissimam habet. Quaecunque vagatur et mōtes, et cāpos, a cultura desertos, et cultos peragrās circuitiōnib⁹, et ambagib⁹ deviis, et locis silvestribus, quoniam crus dextrum multo brevius habet, semper claudicare visa est. Sese dumetis abdit, et progrediens retorquet passim oculos, si quem a tergo insidiantem respiciat. Cum fame paene cōficitur, mortuā se simulat, et aves delapsas tanquā ad praedā cadaveris insatiabili aviditate devorat. Vbi hominē prospexit fugit velociter, et crebro respiciēs insectantem hominem, deviis locis fugam capiens, eo festum adducit currendo, ut desperatione cōsequendū cursu desistat. Denique animal fallax est et fraudulentū, nihil nō simulate tētans atque fallaciter, ut fallere possit simulationis artificio.



TO-



TOPOGRAPHIAE

LIBER QUINTVS.



PROVINCIA BAETICA.



POSVIMVS multum temporis in rusticationib⁹, et agrorum amoenitatibus celebritatem hominum fugientes; revertamur, unde recreandi nos causa discessim⁹, et provincias, urbes, populos claros, et humiles perlustremus. Atque inter terrarum loca cum primum provincias obire debeamus, praesenti Baeticam exercitatione describamus. Provincias omnes Hispaniae nō immerito superat Baetica tā opere veterum commendata monumentis, et ab Hispanis hominibus pluris semper habita: siue consideremus temperiem caeli, salubritatem aëris, ubertatem agrorū, colles nitidos, opaca nemora, pascula uberrima, vitium, olerumque provetus, fluviorum cursus, liquores fontium, facilitatē itinerū, siue populorum, et urbium celebritatē, divitias, et opes maximas, urbes clarissimas, et ornatissimas, tepentes fontibus balneas, principum multitudinem, et splendorem, copiam et abundantiam.

D d 3 re-

rerum omnium, quae in deliciis habentur, et usui maximo sunt ad victus quotidianos. Adde tot insulas, et portus, oras et littora viridissima, duo maria maxima vastissimaque ad commercia, ad negotiationem, ad navigationem in varias terrarum partes, et in disjunctissimas Indiarum regiones. Quam ut Indiam omnes habuerunt, et ad urbes locupletandas, et ad jucundissime vivendum prae cunctis accommodatam, et maxime appetendam. Haec autem provincia longissima, et latissima est, quae initia sua capit ab aquis, quae profluunt a montibus Malacitanis, et citato cursu diversa loca praeterlabuntur, et cum montibus conjunguntur Marianis, qui Castellam novam a Baetica dividunt: unde Baetis sua celebritate notissimus praecipuus, et incitatus delabitur nomen impertiens universae Baeticae: quam totam fere praeterfluit provinciam, et multis in locis alluens oppida celebriora, ab aliquibus non magna locorum distantia profuens. Ille multis aliis secum ex itinere raptis, tractisque fluminibus adaugetur; donec ingressus in Oceanum vastissimum nomen amittit. Eandem duo maria immensa profundaque duas in partes prolabantia locupletant, partim Oceanus, partim Mediterraneum. Disjungunt etiam illam atque separant a regno Toletano ex alia parte montes altissimi Mariani, ab ea scilicet, quae spectat ad urbem Cordubam, et Illiturgim, atque Iacnium: qua vero pertinet ad Palmam, et ad populos, et urbes finibus contentas Hispalensibus separat Extremadura. Ab his montibus supra nominatis, qui Baeticam in speciem mediae Lunae ambiunt, multa delabuntur flumina, quae cum ad Baetim perferuntur, amissis nominibus cum tanto fluvio commiscuntur. Hujusce fluminis, et illorum, quae nominavimus causa laeta est et amoena Baetica, fructuosa admodum, et abundans rerum omnium, quibus hominum vita sustentatur, et indiget ad usum, et ad delectationem. Habet itinera facilissima et valde expedita, nullis latrociniis, nullis insidiis,

nu-

nullis foveis, neque lacunis occurrentibus, neque multarum, quae superandae sunt, viarum summis asperitatibus, et difficultatibus intolerandis infesta. Per plana et aperta fere semper loca, trita et peragrata viatorum multitudine, multorum passim pagorum, villarumque ad minimum, populorum, et urbium maximarum celebritate frequentata iter faciendum est: abhinc tot praefertim annos ex finibus Baeticae fere totius ejecta impia Agarenorum gente. Ut omittam alios populos minus celebres, et propter minime pervagatam illorum notitiam, hominibus non tam cognita celebrataque, habet Carmonem oppidum Caesari quondam gratissimum, et ejectis pulsisque Pompejanis cohortibus in suam deditionem acceptum, urbes amplissimas, et ornatissimas, Atequam Archorum Duci subiectam, Malacam, Illiturgim, Iacnium, Saldubam, Gades, Caesarem, Augustam firmam, Granatam, Cordubam, et omnium principem et reginam Hispalim: quarum urbium aedificia vetustate antiquissima, moenium fortitudine, et aedium venustate et elegantia, templorum magnificentia, et splendore commendantur. Cives nusquam non locorum urbani sunt, atque politi, cum vestitu et cultu corporis, tum humanitate sua, et splendore, et quod maximum praebet specimen humanitatis, candore et elegantia sermonis aulicorum, a quibus multi habitatores urbium Baeticae se superari, Hispalenses praefertim aequis animis concedent nunquam. Singulorum feracitatem et fecunditatem agrorum, delectationes et amoenitates persequi fuisset infinitamen aliquorum utilitates leviter perstringemus. Ex montibus Archidonae imminentibus cum profluat fluvius, et campos Singiliae irriget, reddit oppidum istud antiquitate vetustissimum, deliciis et amoenitatibus jucundum atque voluptuosum bonitate pomorum, et pyrorum praestant-

Dd 4 tia

tia celebratum. Caesarea magnas praebet amoenitates hortis Sidoniis, quos propter fōtes plurimos, et rivos crySTALLINOS, propter reliquā aquarū vim et multitudinē, propter arborū opacas umbras, et viriditatē herbarū, et varietatē omnis generis fructuum, propter suavitatem odoris et fragratiā incredibilem ex floribus, ex rosis, ex malis Medicis suo tempore tam suaviter afflantem, cāpos Elysios irriguos et amēnos, et gloriam veterum, deliciasque ex hac vita exeuntiū, et jam in beatorum numerum ascriptorum appellatos fuisse, poëtarum fabulae tradiderunt. Itaque hos fama est fluvium praeterfluere lethaeum, et ipsos campos feraces, et abundantes fructibus variis ac diversis, et amoenitatibus deliciis que redundantes omnibus efficere. Astigi quātam habet vim olei et abundantiam? quantam suppeditat copiā optimi vini Caçalla? quantam Hispalis utriusque rei? Corduba cum utrumque praebet, tum gignit omniū optimos, et ad cursum agilitate, et ad peragrationes urbanas forma, et specie decora praestantissimos equos: qui propter bonitatem suam in omnes deferuntur Hispaniae partes empti pretio maximo, et dono mittuntur principibus, et magnatibus regnorum, et ad aulam regiam, et ad regum nostrorū equitatū in hac urbe diligēter pascuntur. Sunt enim illorum numero non exiguo equilia duo refertissima Cordubae; quibus curandis, tractandisque praepositi sunt magistri, et ab his stabularii plurimi pro numero, multitudineque equorum. Horum nō dissimiles procreantur Caesareae, Arcobrigae; et aliis in locis Baeticae. Gades, et Luciferi promontoria tribuūt salis vim et copiam infinitam ab illis terrarum locis, in quibus fluctus marini se commiscunt provolvuntque cum Baeti. Adjungo alia loca, quae lacunas habent ad salis opportunitatem idoneas. Hispalis praeter superiores commoditates, quātum ex India auri, et argenti pondus, quantum gemmarum, margaritarum, et omnis generis pretiosissimorum lapidum numerum, ex negotiatione mercaturaque sua, cum Indorum gente laudata,

ex

ex tributis et annuis vectigalibus regis infert suas in sedes? quis non videt, et audit merces in vectas, et exportatas innumerae, et ad cultum, et ad victum pertinentes, cū ea, quae cunctis hominibus opus sint, affatim accipiat, tum largiter et copiose cum in Hispaniam, tum in alia regna distribuatur? nulli quidem generi hominum non admodum commendanda videri potest Baetica, quae sic fructibus abūdat necessariis ad humanam vitam, ut cum populorum frequētatione celebretur, cum tot habeat urbes splendidissimas et clarissimas, nulla tamen ad se sustentandam indigeat cibariorum exportatione. Hic excipio Hispalim, quam propter magnitudinē et amplitudinem suam comportatos cibos admittere necessarium est. Quin etiam multae civitates id a regibus impetrarunt muneris ac beneficii; atque id urbanis sanctionibus cautum est regum auctoritate comprobatis, ne vinum importetur aliunde, nec oleū, nisi quod oppidani collegerunt, vendiderint, et absumserint prius. Nusquam locorū habitatores Baeticae, ovibus; et omni armentorū genere non abūdant, et pascuis uberimis ad pascendos greges omnes et armenta; quae vagari suis in pascuis videas, et laeta solutaque pastus capeffere necessarios. Sed omnium optimi, et maxime herbarum luxurie laeti commemorantur campi Bellonii, Carmonenses, Cordubēses, Hispalentes. In illis quantas praefert Baetica radices, et herbas salutarerū, quanta producit metalla, stagnum, plumbum, ferrū, quanta fert argenti, et auri fodinas? quae propter divitias hominum, et quoniam operas illi praestare rebus hujusmodi nolint, quas copiosi, et honorati contētissimas ducunt, nō eruntur. Innumerabiles aquariae molae sustinentur ad frumenta molenda hujusce provinciae cum aliorum fluviorū, et Baetis praecipue totum fere Baeticam praeterlabentis aquis plurimas, et maximas. Desideram? calcem, lapides, marmora, ligna, materiam omnem aedificiis extruēdis necessariam? notae sunt partes, unde haec exciduntur, et comportantur ad omnē aedificiorū fabricam. Balneae sunt non procul ab urbe Gra-

Ee nata

nata, quo confluent viri, mulieresque ex diversis partibus valetudinis adversae recuperandae causa. Quid de lini copia dicemus, quod ad omnem vestem lineam, ad subuculas, ad mantilia, ad mappas, ad lintea cujuscunque generis, et usus, mediocri diligentia fatum propter vim aquarum ad irrigationes opportunas abundante nascitur? mitto illud, quod ab insula Orlandia, et urbe Ruana nomina traxerunt, Ruanum, et Orlandicum. Panni tenuissimi non inferiores Segoviensibus, et Burgenfibus, Baeciae, Cordubaeque contextuntur, et multo minore pretio crassiores ad multitudinem, et plebem vestiendam nunquam non conficiuntur. Serica, telasque ex aureo, et argenteo filo, nequid desit ad ornatum corporis et urbanum, et elegantem, et Granata, et Hispalis vario opere politissimas, et artificio intertextas mirabili praebebit. Fertilis adeo Baetica est et ferax, ut sponte multas ferat herbas nulla manu satas. Jam vero nihil est, quod arbores, quibus affluit, desideremus: siquidem quercus, alnos, palmas proceras gignit, et plurimas. Hinc subereos cortices crassissimos, et in multos pedes explanatos, vel subjiciendos pedibus contra frigora hyemalia, vel ad alios usus, et opportunitates habemus, et alienigenis suppeditamus. Suppeditat cappares, quae in orbem hinc exportantur universum, asparagos, fugos, palmites silvestres, et alias radices, et herbas, quibus inopes sustentantur. Adde mala Medica, mala Cidonia, Citrea, limonia, omnium optima, quae fert orbis terrarum universus, ficos maxime Cordubenses, malogranata, quae nulla non hujus Baeticae pars obtinet, pyra, poma omnis generis, amygdalos multis in Baeticae partibus plurimas, dulcissimasque, sicut et palmas suis fructibus suavissimas. Sacchari vis, et praestantia ex dulcissimis expressa arundinibus minime profecto desiderabitur in Baetica. Quidquid seminum, quidquid leguminum, et plantarum, quidquid radicum, et herbarum, quidquid arborum, et ob eam causam fructuum omnis varietatis et differentiae, melius, et uberius, et vilius reperies, quam in ulla terrarum parte uberrima, maximeque ferti-

fertili. Non sunt equidem praetereundi urbani horti, viridariaque jucundissima, quae moenibus ipsis, atque adeo intra moenia civitatum domibus incolarum contenta sunt. Minime necessarium est ad rusticanas delectationes habendas rura quaerere, et agros extra civitatem: domibus ipsis sunt amoenae jucundaeque. Anisum, organum, cuminum, et in hortis Astigitanis gossypion Valentino praestantius, et illo non inferius, quod a Septentrionis partibus fertur, non deesse scimus. Atque fertilitas hujusce provinciae maxime perspicitur ex decimis, quae solvuntur ex annuis fructibus maximis, et uberrimis; quarum pars ad Dynastas multos, et hujus provinciae principes spectat maxima. Episcopatus (ita vulgo nuncupantur,) locupletissimos fortita est, et opulentissimos, quemadmodum sacerdotia, (quae beneficia dicuntur) amplissima, et optima valde, caeteris Hispaniae totius et fructuosiora, et praestantiora. Ad quam partem quoniam jam pervenimus, et tot rerum multitudinem praeterecta est jam descriptio nostra, (quamquam non tam multa percurrere potuimus, quam praeteriri plura necessarium fuit,) quae pars terrarum Baeticae sine praefectura pontificia spectabitur? quae minus percipiunt fructuum, haec cum aliarum opulentissimis fructuosissimisque coaequantur. Omitto Guadianum pontificatum, qui procul in ultimis Baeticae finibus sedem suam habet. Non Gaditani, non Iacii pontifices in Baetica numerantur? et horum reditus bone Deus ad quantum, et quam magnam pecuniarum summam perveniunt? non aderit statim opulentior praefectura Cordubensis Ecclesiae? non archiepiscopatus Granatensis occurret? et omnium florentissimus Hispalensis, et redivis annuis opulentissimus, qui quondam principatum Hispaniarum tenebat, et nostra memoria secundus est a Toletana sede pontificatus. Quot sunt Dynastae? quot comites? quot Marchiones? quot Duces de magnatibus Hispaniae, prin-

cipes clarissimi parentissimique aurei velleris insignibus ornati; nequid ad litterarum laudem deesse videatur, et ad hominis praestantiam decorandam, cum in aliis provinciis beneficium actum putent habitatores et incolae, si duas nacti fuerint ad summum academias, aut tres, quae Toletanae provinciae commemoratur summa felicitas: nam Castella vetus ostendit Vallisolanam, et Salmanticensem, nova vero praeter Toletanam, et Coplutesem, Sagutinam; quae quae ab hoc regno sit separata, atque adeo in ultimam hanc Castellam inclusa detrusaque, non ignoratur: at Baetica quinque jactare potest academias Granatensem, Ossunensem, Biacensem, et duas Hispalicoditas praeclareque fundatas. Has autem numeramus praeter studia ubique quasi locorum Societatis Iesu, et omnis ordinis et familiae sacrae religiosorum, qui fere cunctis in populis, et urbibus hujusce provinciae florentissimis collocarunt liberalium artium, et sacrae Theologiae tabernacula praestantissima. Ex quibus officinis adolefcetes, et litterati homines prodeunt acerrimis ingeniis, et omnibus studiis et disciplinis imbuti, moribus optimis et virtutibus maximis ornati. Hanc provinciam cum olim veterum aetate Romanorum quattuor conventus illustraverint juridicundo praestituti, Gaditanus, Cordubensis, Astigitanus, et Hispalensis, nostra non minus illustrem reddit consilium Granatense, et Hispalense regium, et inquisitorum sacrae fidei tria consilia sanctissima, Granatense, Cordubense, et Hispalense. Cujus ut potentiam demirere magis, unam vide Baeticam, de quattuor quondam regnis, et imperiis florētissimis consistam, et inter Hispaniae enumeratam provincias. Hanc carnis et fortitudine reges Christiani in sua ditionem redegerunt. Sed quanta fuerint rerum bellicarum gloria homines hujusce Baeticae, neque pro brevitate descriptionis, neque pro rerum praeclare gestarum magnitudine satis dig-
ne commemorare posuimus. Hinc milites strenui, hinc duces invicti, hinc imperatores fortissimi prodierunt. Inter quos Fernandus Gonzalez clarissima Cordubensium familia natus

et.


et maximus cognomēto appellat⁹ satis esset ad Baeticae gloriam illustrandam. Sed cum nobilitatis stemmata, et fumosae majorum imagines rebus bellicis, et militari gloria comparatur; Guzmanii, Manriquei, Enriqueti, Riberae, Potii, Leones, Portugallenses, Saavedrae, Benegae, Cordubenses, Aguilares, et de familiis aliis plurimi heroes procreati clarissimi, et principes familiarum illusterrimarum ad quantum amplitudine egregiis suae fortitudinis facinoribus pervenerunt? quod Corduba, quod Baecia, quod Caesarea, quod Hispalis, quod caeterae civitates familiarum nobilitate viget, et antea viguerunt, sepe omnes illae a fortitudine claritatis vetustissimae, duxere primordia. Quod captas urbes Baeticae ab inimicis, et postea recuperatas, quod florentissimam, et potentissimam Baeticam, quod in suo statu et fortuna conservatam aspicitis tot ex omni parte imminentibus in hanc provinciam haereticorum agminibus, et in nos invadentibus ornatis et instructis eorundem classibus; atque adeo cum Maurorum navigia, cum praedonum naves maria saepe reddiderint infesta, et in nostrorum oculos et aspectum venerint, non saepe tamen austin terram insilire, continuerunt sese nostrorum penterriti militum, et equitum fortitudine, virorum fuerunt trophea fortissimorum: qui vix per vigilias et excubias evocati, dato signo excurrēdi evolat armati ad fines suos tutandos atque defendendos. Sed ne pars religionis intacta relinquatur, quantum boni mores, et Christiana virtus, quantum religio et sanctitas lucis et splendoris hujusce provinciae gestibus attulit? quos Corduba martyres et patronos suos Acisclos, et Victorias, quos Fulgentios, Astigi, quos aliae civitates heroes aulae caelorum insignes, quos Ermenegildos, quas Iustas ac Ruffinas, quos Leandros, quos Hidoros Hispalis ostentabit: nulla unquam pars Hispaniae tantum florem et decus jactabit ordinis cuiuscumque sanctorum, ut Baeticam numero et gloria divorum superet. Quod reliquiae et ossa sanctorum plurima, et innumerabilia, quae in omnibus templis singulorum populorum, et urbium, praeci-

t. e. 3. pue:

pue in maximis ac primariis, et in ipsis sacris aedib⁹ religioso-
rum sanctissime religiosissimeque collocata sunt; praeclare
testabuntur. Sed finis sit, et ex his, quae meminisse potuimus
ad Baeticae laudem, Baeticam non viridarium solum, et hor-
tos amoenissimos Hispaniae, sed etiam aerarium locupletissi-
mum, vitam et spiritum Hispaniae, officinam litterarum, pul-
cerrimumque mercatum, exemplar sanctitatis et religionis,
murum fortissimum, et propugnaculum Mauris ad Hispaniam
conservandam objectum et oppositum, denique summam ter-
rarum, et regnorum omnium singularem appellabimus ma-
ximis, iustissimisque de causis.


BREVIOR DESCRIPTIO.

Castellae novae.

 Astella nova jure quidem optimo cum veteri, et
aliis provinciis Hispaniae certare potest. Purum
est enim, actenuae caelum hujusce provinciae, agri
frugiferi, et cultissimi cum optimis villis, urbes
cum frequentiores, tum amplissimae et ornatissi-
mae, copia rerum, quas natura suppeditare potest, et quae co-
portari, et exportari solent ad usum, et ad delicias hominum,
abundantes. Possunt autem per eam tuto fieri itinera, et sine
metu incidendi in latronum, aut inimicorum insidias. Quan-
vis non sit antiquissima provinciarum omnium, quae in His-
pania numerantur, erit fortasse clarissima propter multitudi-
nem Comitum, et Marchionum, et Ducum, qui in diversis ci-
vitatibus Castellae novae domicilium habent. Cum numero
pontificum, et dignitate unius maximi praefecti Toletanae
ecclesiae clarissima sit, tum aula regum Hispaniarum, qui Ma-
driti, aut Toleti fere semper esse solent, plurimum illustratur.
Floret studio rei bellicae, ac litterariae propter academias plu-
rimas, et usum rei militaris, qui magis in his locis, quam in aliis
partibus orbis terrarum viget.

IN-

INSVLAE FORTVNATAE.

 Provincias ad insulas accedamus, de quibus cu-
ragendum sit, Fortunatae eligamus. Insulae For-
tunatae, quae Canariae dicuntur alio nomine,
cinguntur Atlantico mari, et a laeva spectant
in Mauritiam. Vtranque illis nomen conve-
nit, et posterius propter canum ingentem magnitudinem, et
prius, propter amoenitatem, et voluptuosas iucunditates, qua-
rum causa apud majores, et posteros in nostram usque memo-
riam hoc illae nomine dignatae sunt. Cum illae septem nume-
rentur ab scriptoribus, et qui illas adierunt in Oceanum ingres-
si vastissimum, quique nunc tam propinquas Gadibus incol-
unt, habitatores jucundas et amoenas infinita varietate om-
nis generis rerum distinctas nunquam celebrare desinent. Illa-
rum principes sunt insulae Fortunatae: quarum caput est urbs
Canaria celebris oppidanorum suorum, et alienigenarum mul-
titudine de reliquis insulis ad illam venturum expeditum, co-
fectumque sua negotia, quae aguntur, et expediuntur in regio
illius civitatis consilio; tum auctoritate cohonestata censorum
sacrae fidei, et pontificatus dignitate, cujus sedes est et caput
urbs haec amplissima. Templum est in illa clarissimum, et or-
natissimum splendore portuoniarum, et canonicorum, et qui
dignitates habent ecclesiae, illustratum. Magno etiam orna-
mento sunt ad urbis hujusce laudem honorificam diversi or-
dinis, et instituti sacrarum familiarum coenobitae religiosissi-
mi; qui multum faciunt ad semina. Christianae fidei frequen-
ter spargenda, ad avocandos homines a vitis, et bonis mori-
bus instituendos, et ad pietatem, et religionem, quam a mayo-
ribus acceperunt caute sancteque colenda. Pulcra sunt illius, et
magnifica aedificia; aedes sumtuosae, et ad elegantiam, et ad pul-
critudinem exstructae, quae latas et patentes vias habent ductas
et directas, et horum aedificiorum venustate continuatas, neque
luto, hyeme, neque pulvere, verno tempore obductas. Plateae

mul-

multae sunt, una praecipue in longitudinem, et in latitudinem patens cum fonte per fistulas multas diffuente, praebenteque aquationem civitati necessariam. In altera populetum conficium est multis alnis, et diversi generis arboribus, foliorum vestitu umbram opacam et amoenam efficientibus. Quae muri fortissimi circundant, et altissimi, qui locorum aliquot spatii, turribus, et castellis, et ad ornatum, et ad defensionem urbis magis prominent, et altius tolluntur. Est autem pulcherrima, et amoenissima maris propinquitate, quo albitur ex omni parte. Praeter cujus aquas, quae aliquot in locis sapore salso non sunt, et valet plurimum ad molas frumentarias civitati, populisque finitimis, qui in sua ditione sunt et imperio; rivi plurimi, magnique torrentes salutaribus aquis abundantes decurrunt: quibus horti et agri fertiles redduntur atque fruges. Arborea fructus ferunt uberes et praestantes: Quamotrem aquarum multitudine varietateque semper agri virent, et littora populetis plurimis ad aquarum humores consita nitent et splendent, quae ventilata quovis flatu et aura lenissima suffragos efficiunt, et crepitant suavissime in bractearum, quae ab aura ventilantur, similitudine. Loci silvestres, luci densissimi, campi patentes et aperti sunt, colles nitidi, montes excelsi: atque hi non amoenitatibus solum abundantes jucundissimis, sed illorum multi ad venationem omnis generis animantium, quae venatu capiuntur praeclearissimi: qui abundantiam cuniculorum, leporum, cervorum, et aprorum praebent. Pascea sunt uberrima ad pastus ovium, et pecorum: Cum bouum sit magna multitudo, tum valentes et truculenti tauri gignuntur, quorum feritas et naturalis immanitas in agitationibus publicis maxime perspicitur. Tanta sunt Insulae Fortunatae temperie caeli, salubritate aeris, ut ad multos annos aetatem perducant homines. Nunquam afflat aura pestilens, semper patens apparet caelum, Sol nitere nullum diem intermittit, summa agrorum, summa caeli hilaritas est, et ad exhilarandos homines plane affecta regio, ut morbos nesciant, contractos facile

de-

depellant: nunquam in illis pestilentia fiet, neque timeatur. Lucundae sunt, nitidae, illustres, virides, amoenae, perpetuoque florentes insulae, omni rerum abundantes copia; unde exportari plurima propter abundantiam, nihil tamen in illas importari fere necessarium sit. Tanta temperatione caeli praeditae sunt, ut neque calorum, neque frigorum nimios appulsus unquam habitatores perferat. Qui fontes? qui rivuli? qui amnes de locis praecelsis et editis delabuntur, ipsas amoenitates, arborum proceritates, et viriditates jucundissimas praeterlabetes? Hi lapsu concitato loca praeterfluentes declivia, ac saxa perrumpentes plurima, primo fragorem et strepitum, ut procul praecipites prolabentes audiantur: deinde fracto jam cursu, remissoque magna ex parte crepitu, murmure in aures influente sonos suavissimos efficiunt. Denique rivi non minorem oculis afferunt voluptatem liquore perlucenti aquarum, aspectuque lapillorum, qui nullo musco oblitum, nitidi et absterfi collucet, et vibrant a Sole praesertim suis radiis medio die percussis aquis. Atque in hac insula propter satam arundinum dulcissimorum vim et copiam incredibilem artificia sacchari sunt fabricata praestantissimi: quod hinc magna cum utilitate, et quaestu insularum in Baeticam, et in alias regiones exportatur. Hic ad delicias hominum, ad salutem corporum, ad aegrotorum levationem, res conditaneae concinantur suavissimae dulcissimaeque omnis generis ac varietatis pomorum, pyrorum, cucurbitae, et reliquae sortis mellis, et sacchari permixta suavitate, aut alterius tantum, et infertile completique harum conditionum permixtione, confusioneque dulcissima cadi multo liquido saccharo manantes intus, imbutique veniunt Hispali, pro magnis etiam et amplissimis muneribus dono mittuntur. Hispalim equitibus locupletissimis, et splendidissimis. Hinc aut melle, aut saccharo conditum Cydoniatum fit, et suis rotundis, aut quadratis oculis ligneis coactum coactumque defertur. Nullae denique suavitates, nullae deliciae sacchari, mellisque conditiones deside-

Ff ra-

rabuntur, quae hic non concinnentur, et alio non asportentur ex Insulis Fortunatis. Praeter communis hortorum, et locorum silvestrium amoenitates, delectationes habetur maxima ex carduelium, et omnis generis avicularum multitudine, quarum aucupium, et quaestum, et voluptatem maximam affert. Illae reficiunt aures, et oculos, pulcritudine, garritu, suavitateque sua, cum ad aquas sese demittant, modo in terram dent se praecipiti volatu, et quasi ruant alarum crepitu, pulsuque sonantis interdum excutientes alas, sese circumspiciant, et pennarum varietatem quasi admirantes humi requiescant a volatu, huc, et illuc circumspectent, in arbores illico revolent, atque suscipiendo liberos, vagosque volatus, sublimes, aut infimos, aut rectos, et transversos, totam aëris regionem praetervolent. Non omittenda est mellis infinita copia, qua redundat. Non praetereunda etiam palmeta caryotas feretia suavissimas, neque nuces relinquendae, quae valent ad sacchari, et ad mellis conditiones plurimum. Tanta est soli Fortunati ubertas, et in his insulis copia fructuum diversorum, ut loca sint non pauca, quae bis singulos annos fructus ferant, et plurimos nullo cultu, neque labore mortalium satos, nullis irrigatos aquis, et abundanter adeo copioseque, ut ad insulas alendas non suppetant solum, sed redundant in Baeticam, et in alias partes asportandi sint necessario: ne putrescant, aut pereant, aut vendantur vilius, quam quis cogitaret; ut donati magis, quam emti videatur. Ad quarum rerum exportationem, et ad negotiationem portus est tutus, et tranquillus multorum navigiorum valde capax: quo multi homines ex diversis partibus negotiandi causa commeant, et res ad victum necessarias comparant. In has enim insulas classes, quae solvunt ex Baetica in Indiam, quaeque revertuntur comparatis cibariis, commeatuque necessario se reficiunt ad magna navigationis spatia. Cives benigni sunt, et affabiles, ad omnem lenitatem propensi, ingenio summo, et ad litteras percipiendas idoneo, fortes, et industrii rebus bellicis gerendis: quippe qui equitare, sese in armis exercere solent, et paratissimi sunt ad

ad hostiles impetus, et incursiones: a quibus se tuendi cupidissimi, praedones Anglicos a suis finibus illi procul arcuerunt, metu solum, et notitia scientiae rei militaris, qua homines Canarienses praediti sunt. Res autem eventu non semel comprobata fuit: nam quamquam Anglicani alias insulas diripuerint, maria haec infestissima reddiderint per hos annos, nihil tamen ausi fuerunt tentare mali contra Insulas Fortunatas solo nomine, et scientia fortitudinis acceptae, et ad bellum diuturnae Canariensium comparationis exercitatione perterriti. Itaque non illos laceffendos, neque tentandos incursionibus inimici putaverunt haud ignari ad se defendendos, paratissimos semper, et in armis esse Canarienses, et aliorum hostium impetus saepe malo suo, et militum caede non exigua repressos retardatosque fuisse. Quod magis est admirabile: nam praeter has reliquae patent, et apertae sunt insulae, non tam fortiter multis ex partibus munitae, et abundantes rerum copia, quibus quaestus praedones facerent maximos, et in patrias sedes redirent praedis onusti, locupletatique. Atque in his insulis regulos esse constat. Comitum ditione insignes, praeter viros claros, et illustres nobilitate, vetustateque sumosarum imaginum decoratos, quibus insulae ornantur, et illustrantur mirum in modum. Quamobrem si nihil eorum, quae ad victum corporis, et ad delicias necessarium est, nihil, quod bonam corporis valetudinem attingat, quod spectet ad pulcritudinem dignitatemque civium, ad cultum et ad religionem, ad firmitatem, perpetuitatemque insularum, ad levationem morborum, ad decus et ornamentum, ad omnes felicitatis numeros explendos, videtur deesse Canariensibus insulis: illas Fortunatarum nomine, et honore jure optimo dignatas fuisse cogitemus, reliquisque toto orbe terrarum jacetibus pulcerrimis, fortunatissimisque insulis antefendas. Quod poetarum fabulis traditum est, qui campos in his insulis fuisse: Elysios arbitrati sunt felices ac fortunatos, irriguos et amoenos, omnibus bonorum copiis circumfluentes, insatiabili varietate distinctos, aquis perenni, et inexhaustis redudantes, viridissimo, ref-

titu herbis ac florib⁹ intertexto, et omnib⁹ gaudiis, ac voluptatibus infinitis, quibus post animorū e corporibus discessum qui virtutū itinere cōtēderāt, et suis reb⁹ praecclare gestis, beneficiis in patriam collatis memoriam nominis reliquerant, in beatorū numerum ascripti, aevo sempiterno perfrui dicebantur.

VRBS GENERATIM

describitur.



Provincias, et insulas jure quidem optimo cōsequuntur urbes, et populi, quos incolunt singulorum habitatores locorum; quibus magis quam aliarum laudum quacunque praestantia terrarum loca commendantur: quare primum urbem videamus nullo speciatim nomine nūcupatam. Nobile satis apud omnes gentes et illustre fuit nomē urbis istius propter antiquitatem suam, pulcritudinem, et amplitudinem maximam: quae cum loci natura sit, ac moenib⁹ munitissima, tū locuples, et civitū humanitate praestās est. In plano explicata loco viis amplis cernitur, perpetuisque divisa, descriptis vicorum ordinibus, plateis longissimis, et latissimis, tum multis domibus, et templis ornata magnificentissimis, non uno dumtaxat foro rebus ad victum necessariis refertissimo. Illa vero tanta abundat copia omnis generis ciborum, et fructuum, quibus cōportatis vescimur, aut in hortis, et in cāpis hujusce soli natis alimur, ut affluere videatur, nūquam indigere civitas. Idque facit natura soli, quod uber et foecundum est, et fert agros fertiles, et alios aliorū, et omnis diversitatis fructuum. Tāta vetustate fuisse fertur, ut unde profecta, quibus initiis ducta fuerit, inter scriptores nullo modo liquere legerimus. Nimio opere nos urbs ista magnificis suis operibus, amplisque majorum monumentis delectat, praecipue praestantia summorum hominum, qui nobilitate generis, et divitiis maximis, et exquisitis semper artibus, et litteris omnibus floruerunt: tot enim hinc prodisse constat,

stat, in omnium artium, et doctrinarum genere praestantes, quot civitates omnes, aut oppida florentissima in orbis gentium lumen clarissimum emisisse dicuntur. Quae clementia caeli, salubritate locorum, et tanta tēpore, semper omni anni tēpore, nullo neque frigorū, neque calori nimio appulsu existente, cum bonitate ciborum, et natura terrarū ad omnem benignitatem divinitus affecta, summam hanc terrae fructuum foecunditatem, foetus et ingeniorū, et artū grandiores effici necessarium fuerit. Ut enim frigidae nimium terrarum partes fructus omnes ferre non possunt, et temperatae ferūt, atque profundūt eos incredibili copia, et varietate mirabili. Et quoniā haec est hujusce terrae, tāque salubris, caelorum aspiratio, ut in hac urbe propter aëris puritatem, et tenuitatem ingenia nascantur acutiora, et ad intelligendum aptiora: plenae semper fuerūt academiae, pleni sacrarum aediū (quas cathedrales vulgus appellat) convētus, plena regum consilia summis ingeniis, et exquisitis disciplinis praeditis hujusce civitatis hominibus: qui claram et illustrem patriā, multo clariorem et illustriorem suis ornamentis immortalitati saculorum omnium consecrarunt. Quod si ad viros litteratos et sapientes, fortes, et in re militari strenuos adjugamus, Mineravam in hac civitate cū Marte foedus inisse dicemus: ut quod de urbe Roma quondā togae, militiaeque florente suis gymnasiis Ciceronis voce personatibus, litteris, et ingenio praestans Apollonius jactasse fertur, de civitate nostra, rebus bellicis, et litterariis excellenti, civitates aliae jure quidem optimo suam vicem dolentes jactare possint. Cum etiam delictus militū habebantur, hinc cogebantur milites viribus valentes, et animi robore muniti. Quot ex oppidanis nostris Neapoli, quot Mediolani, quot in Flandria praefidia tenebant atque tenent? hi semper et ad dimicandū fortes, et ad agendum industriet ad celeritatem agiles, et ad perficiendum cōstātes, et felices habiti sunt, atque dicti. Magnam partē bellicae Lusitani milites ex hac urbeeducti confecerunt: in usque

Dux Albanus imperator exercitus, et Marchio Sanctae Crucis praefectus classis Castellanae spem omnem belli. conficiendi ponebant. Quot milites etiam ex hoc oppido in India solventes quamquam pauci salvas et incolumes referto praedonum mari medios hostes praeteriecti classem in portu constituerunt. Saepe natura bellicosi, viribus in victi, et ad aggrediendum audaces, et pertinaces in congressibus cives isti victorias suis imperatoribus pepererunt maximas, et gloriosas. Inde praemiis affecti militaribus de militibus facti sunt. signiferi, tribuni militum, praefecti, duces cohortium, praepositi exercitibus, quos consilio suo ducere, res maximas gerere, et curatione, et administratione rerum bellicarum victorias parere possent. Commemorarem aliquos, nisi describendi potius, quam orationis habendae viam ingressus essem: sed vos recordari potestis eos, quorum imagines domibus suis quotidie singulorum oculis obversantur. Quoties gradum faciunt oppidani insipientes in aedes majorum suorum, aspectu stemmatum, et trophaeorum, quae pro foribus in ipso statim aditu cernuntur, toties ipsis hominibus majorum in mentem veniet virtus, et gloria militaris. Sed quamquam sint acerrimis ingeniis, et disciplina militari praestantissimi, quod a militibus cujuscunque memoriae videbitur abhorre, tamen colunt admodum pietatem, ac virtutem ipsam, et non obliviscuntur religionis assiduitate bellorum, et diritate gladiatorum efferrati. Sic equidem isti sunt milites, et Martem oculis, et animis spirare videntur, ut sint religionis, et virtutis amantes. Idem adeo moderati, probi, boni sunt, nemini damnum facientes, ut milites ab ipsis nati prae se bonitatem quandam, et ingenuitatem ferant optima disciplina majorum suorum, et religione fidei nostrae, pie semper, sanctaeque culta. Sic autem litterariam, et militarem colunt, ut omnes maxime necessariam hanc virtutis partem intelligant, nec ab illa, si velint milites, et litterati magnas patriae utilitates praebere, ullis unquam sint rationibus abducendi. Ita sepe in hoc oppido mercatores in negotiando, in com-
hen-

hendo fide maxime servarunt, nec obeundi negotii, nec faciendi quae est causa, ullam sibi turpitudinis maculam inusserunt. Quando pecuniam, quam debent non ad diem reddunt? quando id, quod pacti sunt, non praestant? quando id, quod ex aequo fuisset, ac legibus, non admittunt? quando fraudem aliquam et fallaciam ab his portatam audimus? omnes quidem alienigenae civitatem hanc propter fidem in negotiis praeclare servatam, egregie fideles, et fidelissimam appellat. Nos ipsi experti sumus ipsis undinarum diebus gentem hanc non pro paucis pecuniis, sed pro millibus nummum debitis solutionem non in aliud tempus distulisse: sed venditione facta rerum fidei servandae causa bona sua, suppellectilem, domos, et praedia voci subiecisse praekonis. Quid illa, quae profecto nec dici satis bene pro magnitudine sua possunt, quanta sint? multi hic sanctissime, integerrimeque vivunt, exercet ista gens iustitiam, aequitatem, colit pietatem, et misericordiam. Urbs quot habet aedes omnis ordinis et instituti sacrarum familiarum? habet nosodochia plurima ad curandos quocunque morbo et aegritudine laborantes viros, mulieresque. Atque cum nonnulla generatim accipiunt viros, et mulieres, alia mulieribus curandis facta sunt et aedificata speciatim. Ex his autem nosodochiis nullum genus virorum, aut mulierum nisi plane convaluerint, et a morbo fuerint omnino confirmatae dimittuntur. Iam vero hominum ipsorum is est in religionem cultus, ea pietas, et ardor inflammatus, ut ille diebus festis sanctorum confessionis, et eucharistiae proximae ad nascentis Ecclesiae celebritatem, propter frequentationem, quae in omnibus templis consistendi, et sacrae mensae discubendi increbuit, videatur accedere. Nihil in hac aliarum multarum simile civitatum, nulla audacia, nulla impudentia, contra summa verecundia, summa pudicitia in viris, et in mulieribus. Sic porro agunt, sic versantur omnes inter se optime convenientes, ut inter illos raro discordiae, ac vulnera insolenter, ac fere nunquam necesse audiantur. Quare proponite vobis ante oculos urbem hanc, ab hominibus sapientissimis administra-

tam, robore fortissimorum hominum munitam, mercatura fideliter, et egregie facientem, memoré virtutis religionisque colendae, amantem pacis, fidei, virtutum omnium, sic foecundam ac fertilem, moenibus septam, aedibus, domiciliis, viis, et plateis descriptam: ut etiam locupletem, et copiosam aspiciatis, exemplar pulcerrimarum, et ornatissimarum civitatum. Hanc mentibus, quoniam pedibus saepe vestris peragraatis, obeundam, lustrandaque curate: quocunque volueritis contedere liberum erit, et integrum. Si de nominibus, quibus quaeque viae, certis, et propriis nuncupatae internoiscuntur, percontemini, vicus est mercium, vicus artiorum, via marina, via cothurnea, via futoria, via sartoria, forum piscarium, forū olitorium, macellum appendendis carnibus, laniena jugulandis extra urbem pecudibus ipsis, atque pecoribus. Quod si viator ad urbem accesseris, aut civis rusticus, ingressuro tibi multae patebunt portae, stemmatibus et insignibus Regis Catholici, per quas in hospitia divertens accipiaris. Quae si propinquiora portis non elegeris, sed quia tibi commodum est, ad negotia tua in urbem internam diverteris, praeteriens vias omnes, convertas oculos in partes omnes, et attollas etiam in fenestras suspiciens praeter multitudinem civium, et perigrinorum, quibus omnes viae frequentantur, quacunquē locorum progrediare, celeberrimae, longas videbis, lataeque vias, ac perpetuas, sumtuosis, et magnificis aedificiis continuatas. Atque illa sunt ex lapide, vel ex latere mirabili, multa turribus altissimis, omnia fenestris pulcerrimis ornata: quae dignitatem habeant, et amplitudinem maximam, aut propter ornatum ex ligno politissimo, aut propter cerata lintea, aut propter aditus hinc, illincque superiores, et inferiores fenestellis conclusos, aut apertos, eisdem patefactis atque patetibus. Adde clathros ligneos, aut ferreos, et bitumine vario oblitos, aut auro multo obductos. Meniana longissima, et latissima ab uno in alterum usque cornu patentia, et columellis sustentata suis, partim quadrato opere, vel fornicato, multa pyramidum specie praecellenti vi-

fenda, summas locupletum, ac principum hominum aedes exornant. Valvae vero ipsae majestatem addunt singularem imaginibus, et stemmatibus generis ac familiae, distinctae superbissimis. Cum vicos hos proximos et vicinos, medios, et ultimos transieris, videbis eosdem purgatos, sine rudibus, sine sordibus, nunquam coeno, vel luto male olentes, propter diligentiam purgandae totius urbis adhibitam a moderatoribus: quibus iubentibus et imperatibus carri sunt amplius sexdecim, et numerus jumentorum maximus praefinita mercede conductus ad fordes colligendas, et sentinam omnem, et coenum foras extra urbem portandum constitutus ac designatus. Quacunquē vero locorum transieris sacras aedes plurimas, multa coenobia omnis ordinis et familiae religioforum, et omnia digna, quibus dicata sunt, sanctorum amplitudine. Quod si plateam aliquam progrediens transieris, non illius amplitudo, non longitudo, non fontes aqua perenni profluentes, non aedes senatorum aedificatae, non palatia regii ordinis, non tot officinae scribarum, ac procuratorum, tabernae rerum venalium patentes tuis oculis objicietur? quid si per forum fructibus omnis generis refertissimum contenderis? Si perrexeris per vias, in quibus institoriae tabernae apertae sunt, oculis proponentur tot merces, tam variae multiplicesque sericorum, in quibus negotiatorum, et mercatorum concursu perstruuntur omnia? Quid cum incidas in viros nobiles et illustres, in multos Alcatares, in multos Divi Ioannis, Divi Iacobi, et reliquorum ordinum Cruciferos? ex comitatu familiarum, ex habitu, ex dignitate, singulorum genus hominum internoises. Cum in Dynastas multos, Marchiones, et Duces equitantes, et obeutes vias incideris, quia tempus est, et Sol se praecipitavit, et illi pergunt ad aliquem celebriorem locum, quem mos est propter solennes ferias, aut propter cursus equitum futuros frequentari, quoniam sese ostentare volunt, quoniam concursus aliquot facere, vel spectare concursus equitum aliorum, quam in veste splendida, quam in ornatu visendo progredi-

tes videbis, equorū viis omnibus sonitu perstreptibus? Atque etiā mulieres pedestres, et foeminas honestissimas, matronas amplissimas divitiis, honore, genere clarissimas, lecticis, et essedis strepitu non minore rhedarum, et ipsarum fragore lecticarum, eadem loca concrepantia praeterire perspicies. De reliquo genere mortalium longum esset dicere. In neminem fere incurres, quem non urbano vestitu videbis, et ut mos fert oppidanorum, usitato splendore civitatis. Injicitur tibi cupiditas, ea, quae sequitur, dic, cum ex itinere defessus ac quieveris, totam lustrandi civitatem, et quae transiens vidisti, accuratius, et multo studio susintuēdi, socio comiteque viarum, et locorū omnium adjuēto; qui te deducat per celebriores vias, qua volueris comiterur monstrans et indicans omnia loca, personasque ipsas singulares, ac principes civitatis, flōrem omnē, et decus saeculi, vel ecclesiae, quaeque sunt ordinis utriusque constituta monumenta singularia; ut quae visenda sunt, eorū nihil non invisas, quam audisti descriptionem urbis, a majoribus sapientissime cōstitutam semper admirās.

HISPALIS SPECIATIM describitur.



Rbe descripta nullo speciatim nomine praefcripto, nunc Hispalēsis urbis descriptione nostram fidem liberemus. Hispalēsis urbs Hispaniae civitatum potentissima, de conditoribus imprimis gloriari potest: illam enim Hercules condidit, Iulius Caesar instauravit, captā a Mauris Rex Ferdināsus in Christianorum imperium, ditionemque rededit. Quem illa situm, quam praeclarum ad aspectum, quā naturam docui, caelique salutarē, et maxime vitalem sortita est? muros ita latos habet, ut defensores armati obviam facti sine offensione praeteriant, tam altos, ut scalis ad motis hostes ascendere non facile queant, calce, structuraque itā firmatos, ut tor-

tormentorū, machinationūque vi ac violentia nulla, sive illarū, quarū impulsu muri prosterntur, sive illarum, quib⁹ suffodiuntur, ac subruuntur, non cedant. Fossa fere multis ex partibus muniti sunt, turribusque sublati aliquot intervalis. Sic autē foras projectae sunt turre, ut in muros invadētes hostes de turribus a dextra, sinistraque lateribus apertis, telis appetantur: quae a muris tanto spatio productae sunt protentaeque, quanto telum adjici potest; ut ex quacunque parte oppugnentur, sagittis, telis, et omni genere tormentorū hostes repellantur. Atque ex turribus aliae rotundae sunt, aliae quadratae, quae non facile machinationibus impactis in ullam partem propter fortitudinem dissipabuntur. Nunquā Hispali hyeme tāta frigora fuerūt, ut ad vim, et ad magnitudinem frigoris depellendam accensis ignibus opus valde fuerit. Aestivis temporibus, tum cū maximi calores sunt, ortam caniculam flatu maritimo, qui per hosce dies lenissime flare solet, velis etiam obtentis, quibus aedes fere omnes, et multae viae umbrosiores fiunt, mirum in modum tēperatā sentiemus. Feracior et uberior locus in Baeticae solo null⁹ est. Est enim optima et fertilis, et ubertate agrorū, et abundantia olei, et varietate fructuum, et magnitudine pastionis, et multitudine earū rerū, quarū cōportatio, et exportatio fieri solet, facile omnibus civitatibus antecellit. Ipsius vero urbis viae latae, perpetuaeque, ductae ac directae, partim aediū sacrarū, et profanarū, partim publicorū operum magnificentia pulcherrimae, et ornatissimae. Plateae cū multae, et illarū duae longissimae, et latissimae sint, platea scilicet ducis Metimnae Sidoniae, et platea Divi Frāncisci, tū ex omni parte patētes, et apertae sunt: in quib⁹ fōres multis fistulis aqua perlucida profluit. Cū aedes profanae locupletū mercatorū, et nobiliū vinorū amplae, pulchraeque, tū Comitū, et Marchionū, et multorum Ducum clarissimorum, qui sedē et domicilium in hac civitate habēt praeclarae vidētur, et plenae dignitatis. Praeter fontes autem supra dictos, sunt innumerabiles alii, singu-

lis fere in aedibus amplioribus hominum locupletum, et in viis aliis perennibus aquis manantes; qui aquationem Hispalensibus praebent deductam per subterraneos aquaeductus: qui derivantur ex ipsis aquaeductibus Carmonensibus. Templum multa sunt communia, sed tria celebriora commemorantur, templum recens monialium Divo Clementi sacrum, et templum professorum Societatis Iesu, non abhinc multos annos perfectum, et ipsum templum maximum cum antiquis Romanorum operibus comparandum. Cives elegantia cultus, et omni humanitate politici, qui concordissime vivunt, partim negotiationibus suis, et mercaturis faciendis occupati, partim, (ut plebem infimam relinquam, suis operis praestadis intentam,) equitando, venando, nobilium, mores et studia confectantur. Quamobrem civitatis hujusce concursus maximus est, et frequentissima celebritas propter mercaturam quaestuosam, et rerum omnis generis negotiationem, quarum causa mercatores ex Italia, Gallia, Flandria, ex omnibus terrarum partibus disjunctissimis Hispalim tanquam in emporium omnis mercaturae quaestuosissimae, terra, marique conveniunt. Unde factum est, ut Hispalenses locupletes sint et copiosi, maxime propter duas classes, quae quosannis mercibus onustae in Indiam utramque solvunt, et totidem auro, et argento, et aliis mercibus oneratae revertuntur. Quibus rebus expediendis cum Domus monetae praestituta sit, et Basilica Indici commercii, an magnam partem negotiorum suorum agere mercatores aliquos in Telonio non aspicimus, maximam, in gradibus repli maximi, navando operam et diligentiam omnem, credendo, contrahendo, multa gerendo, et omnes obeundo partes mercatorum. Veram imaginem et formam Hispali Republicae bene constitutae licet oculis nostris intueri. Non enim solum praetor est cum suis omnibus ministris, et ministrorum satellitibus plurimis, sed etiam consilium regium auctorum numero praefinito aequitatis, et justitiae servandae causa, in hac civitate, regali cum imperio, potestateque con-

stituta-

stitutum. Ad religionem vero, et ad placita fidei tuenda quaestitorum haereticae pravitate ordo sanctissimus quatenus splendens Ecclesiae confessus illustratur plurimum conventu portionariorum, et canonicorum illustrissimo, religiosissimoque, qui summa dignitate praeditus suam auget amplitudinem cum aliis temporibus, maiestate Archiepiscopi celsissima, tum maxime nostra memoria, accessione pilei, et galeri ad pontificiam dignitatem: quae sunt insignia patrum purpuratorum, honore, et dignitate secundum Romanum Pontificem totae terrarum orbe praecellentium. Cum his praesidiis munita sit civitas, domibus ipsis, atque adeo intra parietes domesticos viridariis jucundissimis, et amoenissimis delectationes maxime capiuntur, ut nihil opus sit, homines rusticari, non in hortos aliquos, aut in agros ab urbe disjunctos longius concedere. Populetum etiam urbanum omni anni tempore frequentatione virorum, et mulierum celebratum quantam habet delectationem? Ad magnificentiam urbis Hispalensis addam, quod una die viderunt, et sparserunt in vulgus, qui praesentes fuere magnates nonnulli. Cum officii causa se ipsas mulieres, ut viri se quoque aliquando, vicissim inviserunt, Marchionissam Belloniam sex aliae sui status et fortunae florentissimae inviserunt Marchionissae, ut uno vespere septem tanta nobilitate, ditioneque marchionatus praeditae in uno palatio convenerint: quod in aula regia evenire magnum satis, et amplum ducerent mortales. Floret studio rei litterariae propter academias duas, quas habet, unam magistri Roderici, alteram beati Thomae, praeter Collegium Sociorum Iesu, officinam virtutis, ac litterarum necessariis ad liberales artes, et ad disciplinas maximas colendas tabernaculis instructam, et namque. Et quamquam artes mercaturae, ac studiorum tantopere in Hispalensi civitate vigent, flos nobilitatis, decus principum se jactat et ostendat nimio opere, laudem tamen militari multum valere Hispalenses. Hinc strenui milites, duces invicti prodierunt, quorum fortitudinem, et res praecclare ge-

G g 3. itas,

stas monumenta majorum, quae pro forib⁹ aedium plurimarum incisa visuntur, et stemmata gloriosa nunquam ex hominum mentibus effluere patiétur. Sed recens memoria nobilis Pétri Póccii de familia Ducis Archorum, praefecti exercitus maximi Hispalensium, et ducis fortissimi, satis effret ad gloriam istius civitatis; qui in bello Granatensi defectione Agarenorum excitato, multitudine circumventus inimicorum fortiter, et vehementer pro religione Christiana dimicás occubuit. Si spectamus rusticationes, habet illas plurimas, et plenas jucunditatis, plenas voluptatis propter fluvium Baetim, quem ponte sublicio transibimus; sive ripis, hortis, et insulis, quas fluvius ipse multis in locis effecit, perfrui voluerimus; sive fluvio navigiis, cimbis, et navibus plenissimo, ad verso, et secúndo commearé libet; sive vineta, oliveta, fata, optima praedia, planiciem apertá, et patentem, vel ad Divi Hieronimi, vel ad sanctarum Iustae, ac Ruffinae campos, vel ad nosodochium sanguinis spectantem adeamus. Ut auté nullo non rerum genere celebris haberetur urbs, dignitate patronorum, quos adoptatos jactat, quanta sit in gloria, recognoscite. Habet enim Iustas, ac Ruffinas martyres, Laureanos, Servandos, et Germanos, beatum Clementem, cujus sacris feriis Hispalenses a cervicibus Maurorum jugulum servile dejecerunt, Leandros, et Isidoros quondam praefectos hujus Hispalénsis Ecclesiae, denique regem Ermenegildum martyré Christi Iesu invictissimum, cujus sanguine haeresis Arrianorú terrima cum Hispalis, et Baeticae, tum Hispaniarum finibus exterminata funditus interiit. Quorum divorum tutelarium patrocínio semper defensa toti Hispaniae principatum obtinet.

C O R D U B A.

Magnitudo, multitudoque rerum fecit, ut in urbe Hispali describenda longiores fuerimus; brevius ex Baeticae urbibus Cordubensem describamus. Urbem

bem Cordubam (sicuti legitur) Marcellus imperator condidit, humanitate gentis, et nobilitate clarissimarum familiarum illustrem, et sitam in plano, et salubri loco: quam obrem planam Cordubam majores appellaverunt. Urbis hujus situs, non solum salubris est, sed etiam amoenus. Quae enim temperatio caeli? quae salubritas aeris? quae camporum amoenitas longe, lateque patens? quorum plurimos in omnes partes vacare cernimus, alios aratos, et cultos suis temporibus ferre segetes lactas, atque foecundas. Habet jucunditates plurimas hortis amoenissimis, et fluvio Baeti, qui moenia, quibus undique circumdata est, una ex parte, quae ad aedes martyribus sacras spectat sese latissime diffundens alluit. Eadem copia rerum, quas natura suppeditare potest ad usum, et ad delectationem hominum, et ubertate, et varietate omnis generis fructuum, maxime pomorum, quae mala Citrea, mala Medica, aut mala limonia dicuntur, abundat. Cum natura, et descriptione aedificiorum celebris habeatur, tum clara numero, et elegantia sacrarum aedium commemoratur, praesertim amplitudine et magnificentia templi maximi, operis quondam Maurorum; et manibus aedificati. Habet haec urbs latas, et patentes vias; multarum aedium numero continuatas, plateas longissimas, et latissimas, et in eis fontes perennibus et inexhaustis aquis defluentes. Cum cives urbani sint et elegantes, omni humanitate culti, tum plures quam in aliis civitatibus Baeticae provinciae clarae sunt et illustres familiae: quibus fuit illud amplissimum semper, et antiquissimum, magni vetustatem sui generis, et nobilitatem habere, neque sui generis dissimilibus sese admiscere. Cordubenses propter pecuniarum cupiditatem, aut spem consequendae dotis injectam. Floret consilio Quaesitorum sacrae fidei, et aedibus omnis ordinis et instituti religiosarum familiarum, dignitate pontificis unius, et portionariorum, et canonicorum amplitudine praestant. Inter aedificia non est omittendum

equile pulcerrimū equis regiis pascendis aedificatū, et aedibus multorum principum specie et aspectu magnificentius. Tandem ad laudem istius urbis adjungo rusticationes plurimas, et amoenissimas, quarum hae spectant ad fluvium Baetim, quem ponte lapideo transire possumus, aliae ad montes Marianos hortis, et villis frequentioribus amoenissimos, aliae ad duo populeta, quae fluvius Baetis interfluit, reliquae ad latos, et patētes campos, unde sata, vineta, oliveta, praedia optima videri possunt. Denique omnia sunt Cordubae, quae urbium amplissimarum nobilitatem illustant.

GENERATIM OPPIDVM DESCRIBITUR ad vituperationem.

Vurbes multae propter amplitudinem suam, et propter notum, et insigne nomen per omnes gentes, nationesque volitans omni laude sunt, et honore dignissimae, et oppida nonnulla, quod eorum, quae de civitatibus amplissimis praedicantur, praeter nomen, nisi insigniter, et impudenter mentiēdo, valeamus efferre nihil, vix equidem videtur summam hominum vituperationem posse fugere. Quantas enim oppidum istud subeat, et quā maximas vituperationes, caelū ipsum declarat. Illud enim cum hyeme nebulosum semper, et caliginosum sit, tum adeo crassum est, atque concretum, ut aer crassissimus, ac valde pestilens circumfundat terrā, ut homines gravitatem caeli corporibus vix sustineant: incidunt enim in varios morbos. Ad infimam enim paludem sitū est, quae sordibus, et coeno male semper olenti tetras, et pestiferas exhalationes, et vapores excitat, quibus sinō pingue caelum ita fuisset, ac praediximus: quoniam humidum est, morbos graves, et periculosos terra gigneret: ut cum pestilentia fuerit in his regionibus, ab hoc oppido quidem orta permanisse dicatur ad urbes, et populos finitimos. Nam febres assidue,

duae, febresque tertianae, aegrotationes aliae graves, et diuturnae, nunquam non in his videntur esse locis: ut, qui firma sint valetudine, nunquam non aegrotent, si fato suo misero, necessitate compulsi in hunc locum accesserint. Agri calamitosi loco, ac caelo propter solum, quod tam exile et macrum est, tum saxetis asperiorib⁹ frequens: quod aratro perstringi non possit, et cum agricolarum cultus multum elaboraverit, neque fruges multas, neque reliqua; quae terra parit, annis etiā maxime fertilibus gignat. Ita steriles agri sunt, quos incultos magna quidem ex parte vacare necessarium est; cū operam, et tempus perdant arantes terram, et iterantes ad sementem faciendam. Quamobrem foris advehi debent cibaria, quibus se sustentent habitatores huiusce oppidi miserabiles: quae propter inopiam et indigentiam maximam, quoniam nisi vili pretio mercari nequeunt, omnium contemptissima cōportantur. Cum vero aere crasso concretoque sit ejus naturalis loci, quae nam ingenia feret? si vera sit, quae litteris commendantur, ingenia quibusdam in regionibus hebetiora nasci propter pleniorē caeli naturā. Ex hac gravitate caeli, ex positione loci pestilentis, sicut de ingeniis iudicium facimus, et spectare liberum erit istorum hominum iudicia: qui si quid aliquando boni constituerint, iudiciis ubi fuerunt externorum. Sed quanti nobis quisque hominum faciendus sit, vestitus palam profert, et ostentat ab omni politiore elegātia procul abhorrens, os et facies deformis, absōna vox, inconditus sermo, qui non modo loquuntur incōdite semper, sed ita tamen, ut, quae praedixerint, non possint intelligi. Totum autem oppidū qualiter aedificatum est? nulla descriptione viarum, sine modo, sine ordine, sicut aedes nullis fabricae praescriptionibus factae. Videbis vias acclives, et declives, flexuosas atque tortuosas multis in locis, aedes disjunctas, ac veteres fere omnes, et ex humili materia factas, tanquam villulas pastorum, inter quas nihil interesse putes, nisi quod illae paulo magis sublatas domos habent. Sic tamen ad rusticano-

rum modū factae sunt, atque multae humiliores. In illis nulli fontes sunt, sed ex puteis in ingentem altitudinem defossis, aquae magis saluae, quam dulces. omni vi et cōtentione brachiorum hauriuntur. Quae templā, quae plateas, quae necessariae officinas, tabernae institutorias, et reliqua, quae cū oppidis omnib⁹ communia sint, tum necessaria vidētur omnino esse. Pro platea aream habet acclivē, declivemque, multis in locis foveis depressam, et tumulis sublatam interdum. Templā non amplius duo sunt, communi modo templorum villulae cujusdam aedificata non aliquo prius apparentium intervallo, quam in eorum aspectū venias: quia demissa sunt in domorum similitudinem facta. Quibus templis, quos sacerdotes dicas datos fuisse? quae animorū curae, salutique praefectum? non doctissimos theologorum, qui parvo se sustentant ex sacerdotiis minimis, et tenuissimis: quoniam decimas, unde dent oppidani, parum, aut fere nihil ferente tam sterili terra, nulla ratione assequor. Quanta viris religiosi largiretur seges, ac materia vineae tam incultae mortalium colendae? quanta stirpes ignorantiae, quanta superstitionum fibrae penitus in animis inhaerentes evellerentur auditione cōfessionum, et expiatione sacrorum fidei rudimētōrū? in summis erroribus necesse est hos homines, et in maxima sacrarū rerum ignoratione versari: qui mihi videntur stipites atque trunci, in quorum aures verbum divinum nunquam influxisse videatur. Barbari sunt, semperque habitū, quasi nullam habere videantur certam, et necessariam rerum divinarum cognitionē. Quorum si tāta stupiditas est, si nullae litterae, nulli homines litterati, quae potest esse pietas? quae sanctitas? quae religio? haec enim omnia pure, et caste nos Deum colere docent, atque suspicere: eadem faciunt, ut cultū, honorē, praesae adhibeant summa cum religione mortales: quib⁹ sublati in specie Christiani nominis sicut neque aliae virtutes, ita neque pietas inesse visa est. Hoc cū stupore simul et sanctitate, et religione abesse necessariū est, qua absente perturba-

tio vitae sequitur, et magna confusio. Atque haud scio, quem sensum humanitatis de his hominibus testemur, quos nihil ingenium, nihil moderatum, nihil honestum praeseferre videor: sed ritū brutorum animantium videre, nihil in posterū sibi providentes: qui nihil agunt, nihil moliuntur, ab omni curatione, et administratione vacant. Nam qui desidia et languore non hebescant, qui neque terras, quas colant, habent, neque mercaturam exercent, neque communem humanitatem ad agendum, neque per quos ad cultum aliquem civilem informantur, agnoverunt? qui non langueant, qui neque litteras noverunt, et timidi sunt, et imbelles ad arma capiendā, ita postremo vivunt, ut in hominum specie atque figura tarditatem, et stupiditatem languidarum pecudum inspiciam⁹? hos capere poteris universos, constringere cum velis, et tanquam clitellaria jumenta capistro ad pastus capeffendos agere in pascua brutorum communia, aut stratos, et fraenatos ad onera comportanda compellere. Nihil vos impedit, dantur liberi semper introitus in oppidum: neque portas habet, neque moenibus circumdatum est, patet injuriis, et incursionibus inimicorum. Quis igitur conditor hujusce miserimi oppidi? arbitror, notus aliquis, et insignis latro, qui quo non auditum propter gravitatem caeli quisquam mortalium habebat, ea se grassatores isti viarum tanquam in latebras occultissimas dare consueverant.

ALTERIVS INFIMI OPPIDI

descriptio.

Quoturbes laudavim⁹, totidē oppida duplici descriptione vituperem⁹. haecidit in vituperationē maximā, quā erugere nullo modo possit oppidū tuum, cū perfectum propter incōlas vituperabile. Cujus, si quas enumerare possē, notasitūpitudinis, et infamiae collegero, nunquā de patria hujusmodi gloriaaberis. Nā ambo, qui habet conditorē, ne-

si que n tu scis? neque enim necesse est a me sceleratum hominem nominari ex caede, et sanguine viventem olim: mortalibus, quos interfecit, poenarum ille plusquā optarent, nefarius latro dedit: cum ex insidiis in apertum latrocinium coniecit ab illis, quos interficere fuerat aggressus, mille plagis ac vulneribus cōfectus occubuit. Latro igitur ille fuit, vita infamis, latrocinii, atque omni dedecore coopertus; qui non oppidū tectis, domiciliis, moenibus, legibus, ac jure munitum, sed praedonum refugium, praedarum receptaculum, homicidarum Asylum, et subsidium omnis generis sceleratorum aedificavit: quo ille, qui ex latronibus principatū habebat, cum his, quos undique sicarios, homicidas, spirantes caedes, et sanguine mortaliū imbutos aggregaverat, ad partendas praedas se reciperet. Ut jam si principiis reliqua consensissent, nihil tua patria perditū, nihil turpius reperiri posset, neque nominari: quā majores tuorum oppidanorum in perpetuum infamē suis latrocinii, et homicidiis fecerunt. Et antiquitatem suam oppidum istud iactabit ab infami latronum principatu natam, et accessione scelerum et flagitiorū non minus turpem et ignominiosam. Sed de his postea, nunc ad formam oppidi accedamus. In quo quid est, quod te delectare possit, percontor? an situs oppidi? aedium elegantia? tēplorum magnificentia? fabrica multorum operum? amplitudo sua, et pulcritudo? publica, et privata ad caelū exstructa aedificia? urbs ipsa in edito loco posita? coenaculis sublata, atque suspensa? descripti vicorū ordinēs? viae amplae, perpetuaeque? forum refertum, ac variū? et in aliquot oppidi locis fontes ad aquationem perennes? horti pensiles, et amoeni? viridaria diligenti arte, et solertia confita? denique totius oppidi designatio mirabilis, et apparatus, ut orbis terrarum descriptio videatur, et summa quaedam omnia suo complexu coercens et continens? nihil horum. Nam situs minime salubris est, et propter statum aëris pestilentē. saepius in hoc oppido pestilentia solet esse, quam in aliis finitimis, aut distā-

ti-

ribus. Atque hinc profecta, longius progrediens, atque manans viciniores gentes contagione sua contaminat; et cum nulla suspitio pestilentiae; neque metus est, hinc serpere sensim visa est, et latius sese diffundens civium strages facit innumerabiles. Causa autem pestilentiae, morborumque omnis generis infestissimorum hic potius, quā alibi passim grassantium sunt coenosi lacus, paludes plurimae, omni anni tempore sordēs accumulatae cōgestaeque de cunctis aedib⁹ noctes, diesque disiectae: unde vapores crassissimi, qui morbos gignunt, et aegrotationes mortiferas. Hinc intelliges viarū munditiam, et odorem, qui e vicinia communiter afflatur. Quod si oppidani divites essent, purgandas vias, et sentinam tantam ex oppido foras ejiendam curarent. Cum angustissima sit habitatio propter aedium angustias, quae praeter paucas aliquorum hominum capere nō possint nisi difficultatibus maximis familiam universam, et hanc constrictā atque compressam: una communis fere domorum omniū humilitas ac demissio humilem et abjectam villulam cōstituet. Conferamus igitur hic hortos, ubi neque locus est habitandi commodus. Vnus est dumtaxat fons, et is longinquus, qui multis anni tēporibus duabus fistulis profluit. Quae so paulisper dum oppidum mentis oculis peragro, mecum commemoramini: nam ab una oppidi porta (tres enim sunt, et nihil de illis, quae oppidū habuerit describēdi causa detraham, quin timeo, ne quid affingam boni, quod ab illis prorsus ab sit) ab hac inquā porta cupidus oppidi totius in visendi, universum lustrare videor. Circūspicio, tollō oculos. O bone Deus, quae portae haec in porta oppidi, quae istemmatib⁹ oppidanorum non adornatur? sed qui nam exornari posset, cum ex vetustissima materia collabensensim videatur, et tota romam, minitari? vetusta nimium est. Nihil istemmata, nihil ornatum curor. Progredior igitur per agrū vias luto plenas, video aedēs humiles atque demissas, hoc in vicis paucas domos, in altero pauciores, et has disjunctas, et distans. Pro miraculo habe-

Hh 3. ri

ri potest, si quam paulo altius ab aliis sublata, et ad speciem aliquam formamque meliorem aedificatam aspexero. Per ventum ad plateam est, in qua, quae domus senatorum, curia, tribunalia iudicum, et praefecti urbis, et tantisper oculos in omnes partes convertam. O praecleara platea, forique descriptionem. Timeo si caute pedem non posuero, ne passim offendam, et corruam: nam cum multis in locis propter aedes productas a fronte multo magis in plateam, platea lateat et occultetur penitus, area tota quid non habet offensionis? quid non eminens? quid non lacunosum? Hanc aedes circumdant vetustae, atque demissae, domus senatoria nihilo pluris habenda, quam quaevis alia privata. Scilicet propter copiam, et ubertatem expetenda magis, quam propter speciem, et apparitionem artificiosam esto. Tam bene constituta sit civitas, ut luxuriam oderit, publicam utilitatem diligat. Quamquam in his, quae dixi, si pro necessario semper habeatur, quod permagni refert ad usus communes, sine quibus nullum simulachrum, neque vestigium civitatis apparet, quae tanta potest rerum ubertas existeret? quae tanta ciborum copia suppetere, cum id vivere non possint mortales, nisi necessaria comportentur alicunde cibaria: quibus oppidum egere magnam partem anni necessarium est? quae igitur abundantia tanta, cum non expediatur omnia tanti, quanti venditores vellent, quia caro si fructus addicantur, pauci propter inopum multitudinem ement? Ad quascunque res hoc oppidum parum finitimi uti possunt, quia nihil ex se potest efferi, quia nihil apud illos nasci visum est, fructuosum nihil esse: nisi quod domibus conditum relinquatur. Quando oppidum istud ad necessarios usus frumetur, dedit? quando id, quod opus esse putabimus, commodare poterit? quando aliquo suo sumtu viciniore, iuvit coriis, tunicis, linteis, rebulque aliis suppeditatis? huc excurrunt finitimi, hic mercatores negotia sua agunt, emendis, vendendis, que mercibus aliqui contrahunt, et negotiantur, civitas secedes visa est infelicitatis, maculis omnibus turpitudinis insigniter

niter aspersa. Nam si decoros cives, si pueros pulchros, ac venustos cupias aspicere, ora vultusque mortalium praeter modum deformes aspectu fugeres, ac detestareris. Quibus id mali restabat ad aerumnas et miseras suas, ut vectigales essent atque tributarii. Neque quisquam fere agit inter illos paulo honoratior, qui testimonium suae non cogatur immunitatis dare. Sic omnes pendunt tributum, et tolerant aequabiliter. Quae caritas, et benevolentia civium erit, cum in hoc oppido gens maxime vitiosa sit, ut largitione multorum interposita, virtutis, et dignitatis omnes obliviscantur, quos vel uno nummulo facile subornes atque corrupas ad maleficium? multi sunt apud quos nihil leges valent, jacent mandata Dei, cultus omnis occidit, et sanctimonia religionis. Quot audaces, et mali, et perniciosi, quia pro nihilo honorem, et aestimationem ducunt? quam multi parati videntur ad seditiones concitandas? quam levibus de causis inimicitias exercent, et quaestiones habent gravissimas, et bonos, et claros viros, et bene de finitimis oppidis meritos in magnam invidiam adducunt? horum si quis sceleratos impetus, et conatus reprimat, et auctoritate, vel magnitudine animi se ipsum interposuerit, acriter ac vehementer illorum nefariis injuriis resistens vitam in periculum maximum vocabit. Cum muros, quibus septum fuisse videtur oppidum, ruinosos, et collabentes multis in partibus aspiciam? in aliis solum penitus adaequatos, non in paucis perforatos parietes, parietinas plurimas, et cumtilos pulveris, et glebarum, et saxorum, tum muros eo redactos infirmitatis, ut capi nullo negotio oppidum possit, et oppidani in servitutem adducantur: causas equidem plurimas, et justissimas istius oppidi vituperandi cognoscem?

OPPIDVLM RVSTICANVM.

Burbibus ad oppidula veniam? Tale est oppidulum istud, qualia sunt rusticanorum, qui in aperto patentiq; campo humile villam aedificarunt ardoribus Solis, et frigoribus hyemis expositam, nulla

descriptione, neque designatione domorum. Quippe quod domos humiles atque demissas admodum, una ad summum contignatione aedificatas incolunt in vicis, nullo ordine descriptis, et angustis: per quos domos adibimus sparsas atque dissipatas, et ab aliis alias longo intervallo disjunctas. Harum parietes ex limo sunt, et ex saxis rudibus aedificati, tecta stramentis, vel arundinibus, aut scandulis aliquot. Ad illas per acclivia, atque declivia loca perveniunt, et paene per foveas plurimas, quibus infestae solent esse viae oppidorum hujusmodi. Habitatores expertes omnino sunt humanitatis, rudes et inconditi, agrestes et rustici, corporis amictu, lingua, sermonibus, convictu, congressu tanquam in India vasta cum immani, et intoleranda barbaria educati. Totum oppidum sine muro, sine portis, omni ex parte patens et apertum est, domus tanquam tuguriola sunt pastorum, caesaeque villarum ex oblata passim in agris materia negligenter factae.

SACRA AEDES PRIMARIA

Hispalensis.



Remanentem descriptionem sequuntur aedificia. Haec quoniam sacra sunt, et profana, de sacris sequens exercitatio suscipiatur. Inter quae templum maximum est apud Hispalenses opere magnificentissimo factum, sanctum et religiosum admodum, Virgini Mariae in caelum sublatae consecratum. Harum aedium sacrarum quae pulcritudo, quae magnificentia, templum pulcherrimum est specie, et aspectu suo, et longum, et valde altum, et satis amplum. Totum ex lapide factum, columnis undique circumdatum, et striatis, ornatum in circuitu facellis plurimis, maxime duobus Virgini Mariae consecratis. In medio autem templo odeum est ipsum (qui chorus dicitur,) et illi adversum facellum maximum. Spatium, quod inter utrumque interjectum est, capit multitudinem virorum,

rorum, et mulierum innumerabilem. Pavimentum totum est lapidibus stratum, quorum plurimi politissima arte laborati, cum ex marmore sint, albenti nive candidiores, omnium ferre, qui in templo maximo sepulti fuerunt, ornant sepulturas, litteris aliquot, aut carminibus incisus, ad portionariorum, aut canonicorum, qui sepulturis eisdem mandati sunt, notitiam habendam, et ad memoriam honoris, virtutum, litterarum, dignitatis, et ornamentorum posteritati tradendam. Ab illis locis, per quae datur ingressus in templum, sublatae, et valvis obiectae pilae aquae lustralis, columellis sustentatae ex marmore mirabili, cum suis crucibus ex eodem marmore incisus, ingredientium oculis obversantur: ut in illas, templum ingredienti primum recta contendant aqua lustralis, et frontem aspersuri, deinde ad aram maximam, aut in Virginis facellam in genua procubentes preces adhibaturi. Parietes fortitudine sunt incredibili propter crassitudinem suam, quam homines cum eximia pulcritudine conjunctam, et opere vario diversarum imaginum, picturarum illustrium, et fenestrarum specularium ornatam intuentes magnopere mirantur: ut neque diuturnitas ulla temporum propter firmitatem et stabilitatem suam templo sinem afferre, neque in tanta templi amplitudine pulchrior, aut magis excellens species spectari posse videretur. Quae enim pulcritudo imaginis Divi Sebastiani, quem ingredienti portionarii, et canonici prono corpore, demisso capite venerabundi colunt: nec quenquam illorum gradum ullum progredi mos est, et inveterata religio, cum in hujus imaginis conspectum venerunt, nisi precibus usitatis martyrem insignem oraverint et obsecraverint. Quae illa, et quam prae reliquis apparet visenda, quam mortalium oculi fugere non possunt propter magnitudinem corporis, et prodigiosam membrorum molem, imago Divi Christophori puerum Iesum suis humeris sustinet. Non illa quidem minore studio, et religione colitur. Quae sublimis et excelsa visitur a tergo arae maximae Mariae Vir-

ginis effigies, quamquam lapidea, sed auro caelata, tantā habet pulcritudinē, ut in excelso loco posita, ad se rapiat et tollat oculos, oraque praetereuntium. Quot aliae sunt, quā multae, quam pulchrae, quam venustae diverforum imagines sanctorum, atque divarum, partim ex lapide, partim ex ligno factaepolitissimo, plurimaeque deauratae? quot tabulae nitidae et illustres eximio splendore auri, et picturae venustate mirabiles, pro facellis, pro columnis, in circuitu Ecclesiae, celebriorib⁹ in locis cernuntur, et pietatis, et religionis plenissimae? Tectum omne concameratum est, et multis in locis laqueatum, et inauratum, ex omni parte tectū multorum quodcunque facellorum. Templū quā longū, et quā amplū est circuire possumus per ambulacra opere facta vermiculato, in omnes partes templi spectantia, aut pavimentū inambulantes. Ad hāc enim formam aedificatum est, ut cum in medio fere templo, odeum, et facellū maximū longo intervallo mediā arcem inter utrunque interjectam occupent; circum odeum, circumque facellum maximum, huc, et illuc ora convertentes templum omne lustrare valeamus. In qua lustratione quocūque nos oculis converterimus, facella plurima, et aliud alio magnificentius, et ornatus cum a dextra, tum a sinistra, sumtibus, et opere multo facta, et aras plurimas, atque visendas, et in odeo adverso a tergo, et a lateribus, singulas suis divis cōsecratas aspiciemus. Sed inter facella, Regii, et Virgini Mariae sacri admirari magis licet splendorem, pulcritudinemque praestantem. De quibus in alio loco, qui proprius est facellorum, fusius infra dicemus. Templum est clarum, et multa luce diu circūfusum, propter valvarum aditus spectantes in quattuor mundi regiones; quae cum a fronte, a tergo, et a lateribus sint, et multae sibi ipsis adversae et obiectae, illae quidem apertae lucē afferunt plurimam; tum omnis aditus e saxo varie sculptus, picturis plurimis ornat⁹, atque distinctus in singulis valvis egregiā quādam habet dignitatē, et amplitudinem: quia cum amplae sint, tum laminis, et clavis plurimis stratae, nonnullae

nullae ferro penitus obductae, ut arcis, quae propugnaculum est civitatis, portae obstructae, ferrataeque videantur. Cumque luce maxima propter valvarum numerum, et amplitudinem templum omne perfruatur, tum collucet fenestris specularib⁹ varie pictis, ornatu nitido, atque venusto, nitore auri, et argenti facellorum omnium, et ipsorum lychnorū pensilium diu, noctuque suis ellychniis multis in facellis plurimo fulgore collucentium. Atque ille splendor facelli maximi, quod totum auro splendet obductū, illa suggesta, e quibus epistola, et sacrum evangelium cōcinuntur, inaurata, ipsi etiam clathri totius odei, et ejusdem facelli, qui sunt omnino deaurati, quam afferunt lucem, et quam illustrem Ecclesiae toti⁹ amplitudini? Collustrem⁹ oculis aras omnes ad illarum ornatum aspiciendum, et cum singulas, tum maximam mentis oculis cernamus. Est ne aliquis alius, aliquis ne cogitari potest ad usum accommodatior, ad venustatem illustrior ornatus pro feriis sacris, solennibusque sanctorū anni totius decursu redeuntibus immutatus? qui feriis virginum candor illustrior? qui candor etiam celebritate doctorum praestantior? qui diebus martyrum gloriosis rubor, et purpurae color magis perfectus proferri potest? Serica non magni habentur, Damascena communia sunt in hoc templo, e tela argētea, vel aurea, atque specioso illa filo contexta decora sunt, et ornamenta fere omnia pretiosissima hujusce templi. Tanti quidem sunt, ut plaris esse non possint, neque majoris venustatis, neque dignitatis. Quid albētes tunicae? quid sacrae vestes? vestitus sacerdotis, idest casulae, qua pulcritudine? quo pretio? qua existimatione sunt? Commemorari nō possunt, quae ornamenta in sacro apodyterio continentur asservata, multa, et lauta supellex, vestis splendens, et pretiosa nō minus omnis generis sericorū, quā ex aureo, argenteoque filo telae speciosissimae, cādelabra argentea, et aurea, peristromata similiter ex auro, et argēteo filo intertexta, ad tāti tēpli magnificū ornatū, ad res divinas adhiberi solita. Quis enumeret plentū

artis argentum, calices, phialas, scyphos, pateras, thuribula, et id genus vasa, cum sigyllis, et emblematis multo auro, multisque gemmis distincta, eo splendore, atque opere, ut ars certare videatur cum materia. Denique reliquum omne sacrum instrumentum, varium et multiplex, genere ipso singulare, venustate visendum, opere magnificum, sumtibus amplum, et ad regia facella, ad Cardinalium, et ad Romanorum Pontificum aram appositum, quis enumerabit? Templum cum semper, tum magis splendet atque nitet, cum dies festi celebriores instaurantur, et recoluntur. Dies alios relinquamus, summamus diem unum natalitium Christi Iesu, vel Virgini in caelum sublatae sacrum: qui dies omnium maxime in Hispania Ecclesia celebrantur, recolunturque. Cum in hac aede sacra amplissima, pulcherrima, locupletissima, in qua videntur orbis gentium omnium sacrarum aedium divitiae opesque congestae, nihil, quod ad institutum celebritatis pertineat, in opulentissimo apodyterio sacro conditum non relinquatur: nihil auri, vel ad usum, aut vestis ad cultum, aut utriusque ad venustatem, et magnificentiam, quod non in oculis omnium, et clarissima luce ponatur, et ordine mirabili, et apparatu magnifico: age si ve altaris ornatum, si ve splendorem rem divinam facientium, si ve ministrantium munditiam, et elegantiam, si ve in oedeo respondentium cantus et harmonias caelestes atque divinas, si ve totum apparatus, ornatum, et magnificentiam, ritus et caerimonias, sanctimoniam et religionem, ardorem et pietatem spectatorum contemplemur, non proponemus nobis facellum maximum, et aram ejusdem adeo insigniter ornatum, ut nihil supra? non mentis oculis statuemus abacos excitatos, ex ordine dispositos et collocatis omnis generis vasis Ecclesiae eximio, et illustri fulgore collucentibus? Quid habet splendoris illa ternarum in altaris utroque cornu lucernarum illustri ardore micantium flamma multiplex accensa? Quid lucis afferunt candelabra ex auro, vel argento purissimo, quae ante aram statuuntur, et dum res divina ce-

lebra-


lebratur, multo majore flammarum ardore deflagrat? Quid aspectus puerorum in vestitu pulcherrimo apparatus, et administratorum in purpura, et in alba veste astantium ad operas suas, et ad munia praestanda religionis habet? Quid puerorum Archiepiscopi ad cantus sacri evangelii, et ad Agnum Christum Iesum, dum populo adorandus effertur in sublime, cohonestandum uno tempore, pari numero, per duas fores cum funalibus accensis procedentium species visenda clirritaris affert? Quid tibi arum cantus? quid organorum modulationis? quid nolarum sonus incitatus multarum una personarum? quid vocum suavissimus cantus coeina varietate sonorum concentus et harmonias efficiens mirabilis, religionis excitat? quid hoc sacrum, solenneque sacrificium rei divinae ipsum facere Archiepiscopum? et quoniam ille non raro patrum purpuratorum dignitatem habet, Cardinalis, hunc suis insignibus ornatum solenni ritu sacrificare, astare plurimos linteatos ministraturos, et in sacris tiaris, et ornatu pontificio quicumque dignitates habent Ecclesiae, hos circumstiteri a lateribus, et a tergo, illi mitram ut de capite suis statim temporibus detrahant, alii, ut libri Missalis folia versent, reliqui, ut operas alias de instituto sacri, solennisque sacrificii praestent, et omnes, ut cohonestent atque decorent dignitatem, et majestatem ritu pontificio sacrificium rei divinae facientis Archiepiscopi? quantum haec majestatis, quantum sanctitatis praefere videntur? O rem non modo visu dignam, sed etiam omni honore, et admiratione prosequendam. Quando vero in supplicatione decreta procedunt omnes, ut sanctorum celebritas religiosa postulat, omnes portionarii, canonici, archidiaconi, decani, qui reliquas habent dignitates in Ecclesia, omnes, qui sunt minimum nonaginta, in albis, in rubris vestibus, et in pallarum diversi generis, uniusque coloris sericarum amictu procedunt, et in duos ordines distribuiti longo agmine, magnifica pompa circumveant Ecclesiam universam: an utud spectaculum ulla Christianae gentis ecclesiarum

prae-

præbere potuisset magnificentius, et magis visendum? fabrica facit, ut hoc fieri queat, Hispalensis Ecclesiae magnificentissima, ad cuius sumtus multa millia quotannis in redit^o cadunt aureorum. Facit hoc amplitudo sacerdotiorum annuis reditibus locupletissimorum, quae multis annis ad tria millia aureorum perveniunt. In hoc autem confessu sunt, et fuerunt semper viri litteris, et sanctitate cōspicui, nobilitate generis, et honoribus illustres, et omnibus maximis gloriae, et honoris ornamentis redundantes. Quorum cum viderimus in vultu, et in fronte auctoritatem, in sermone gravitatem, in incessu, statu, sessione, motu corporis dignitatem, in cultu, et in victu quotidiano statum et fortunam florentem, Pontificem nos aliquem diceremus intueri. Ita nati ad honores Ecclesiae, ad celsissimas Pontificum sedes obtinendas videtur esse. Atque ut in eo, unde exorsi fuimus, partem hanc cōcludamus, ad istud templum per gradus, qui praepositi sunt, ingrediamur ascendentes in arcam; in qua consistentes parumper aspiciamus picturas nitidas et illustres, porticum nascentis Pueri Iesu insigniter expressam, atque politā, et aliis imaginibus illustratam, maxime Divi Petri, et Beati Pauli, illius cum clavibus Ecclesiae, alterius cum districto gladio depicti simulachris admirabilibus. Ab hac area conjiciamus nos statim in porticum excelsis sustentatam columnis: in primo statim aditu a sinistra sacrarium est, templum augustum, et religiosum, cuius porticu ornatur impluvium, laterib⁹ stratū, et multis cōsitum malis Medicis, quas fons in medio impluvio aquarū vi multa promanans irrigat, et arbores facit nūquam non virentes suo tempore fructus ferre suavissimos. Ad hoc impluvium per tres valvas datur ingressus, et ab eo per totidem alias valvas magnificentissimas, quae semper patent in tēplum, quod descripsimus, amplissimū, et religiosissimū. Ab hoc ipso impluvio sculptas imagines, et incisa in parietibus emblemata, tantā amplitudinem, tantā maiestatem tēpli licet admirari, et inter omnia maxime pulcritudinē, et altitu-

tudinē turris celsissimae, quae cū altissima sit, tum fenestris plurimis, et imaginibus patrōnōrū huiusce civitatis ornata eminent. Adeo pulcra est, adeo venusta, ut cū firma nimii sit et stabilis, tum semper speciem videatur habere recentiorē, et nunc quasi primum absolutae turris: propterea quod cū ex laterib⁹ facta sit, illi purissimo bitumine lateres oblitū abhinc prope sexcentos annos sic modo nitent suis operibus distincti, ut opus nunc absolutum videri possit atque confectum. Hanc autem turrim non per scalas, aut cochlydes ascendim⁹, sed per areas planas admodū aliquot in locis, in aliis non nihil acclives, ut per eas non homines solum, sed iumenta, si tētaretur factū aliquādo, conscenderent. Sunt enim areae opere signino factae, quae aspectu suo praebent specie vivi lapidis, ac saxi durissimi. Turris est tota circumdata multitudine cymbalōrū parvulōrū, mediocriū, et maximōrū, quorum acuto, medio, gravique sono cōcentus efficiūtur mirabiles, nō multū a varietate vocū humanarū distantes: cū cūnes mirificae varietates illorum pulsu, sonoque contentae nostris auribus percipiantur. Eadem paulatim a medio contracta terminatur in tenuiorem, et angustiore formā adducta: in fummo habet indicem ventōrū, quamquā admirandae magnitudinis, tamen agilitate tanta, ut ad quoscunque flatus ventōrū indicandos quocūque flatu protinus incredibili celeritate convertatur: et unde flat ventus, hanc indicans atque designans regionē, eo spectans cernatur. In tantam autem altitudinem ascendit, ut longo intervallo celsissima, et quasi ad caelū sublata superbissima exstruktionē videatur. Atque hāc totam fasciis aureis, aut ubi illae non sunt, auri multo fulgore nitentem, Solis radii clariorem et illustriorem efficiūtur: quam cum Sol immensa sua claritate collustrat, et radiis omni luce clarioribus ab omni parte perfundit, turris a Sole ipso lustrata collucet et vibrat. De qua non plura, quam quod notissimū est, ut alienigenae de turri longe prospecta, non templi solū, sed urbis magnificentiam facile existimare possint.

BREVIOR TEMPLI MAXIMI HIS-
palensis descriptio.




Reuius describam principem Hispalensis ur-
bis aedem sacram. Templum maximum His-
palense facile suam aspectu solo magnificentiã
ostentat. Antequam in illud ingraediaris per
gradus multos ad aream non tam latam, quam
longam ascensum praebentes, antecedit impluuium, malis
Medicis, et varii generis arboribus constitum. Ad quod per
tres valvas patet ingressus, qua sacrariũ adimus. In ipso prof-
pectu, quae frons dicitur vestibuli, porticu ornatur pueri Ie-
su in praesepio jacētis, et aliis multis simulachris, duob⁹ ma-
xime gemini luminis, et colũnae Christianorũ Petri, et Pau-
li: quorum unus cum clavibus, alter cum districto gladio, ad
gravitatem, et eximiam quãdã amplitudinem compositus as-
picitur. Impluuium habet dignitatem propter porticum ex-
celsis sustentatam columnis. Arbores virere semper cernun-
tur, et suis temporibus propter aquas ex fonte, qui profluit
in medio impluuiio ad humorem hauriendum deductas, frũ-
ctus ferunt opportunos. Totum autem templũ pulcherrimũ
est, et magnificentissimum, et habet amplitudinem, splendo-
rem, et maiestatem maximam. Illud triplici navi contractũ
est longissima, et amplissima, et omnes sunt ex lapide factae
mirabili. Harum duae parietibus, et columnis sustinetur for-
tissimis, et altissimis; media columnis suffulta celsissimis est,
atque striatis. Haec tanta est amplitudine, et longitudine, ut
facellum maximum, locũ illum, (qui chorus dicitur) et spa-
tium, quod inter utrunque interjectũ est, quod capit incre-
dibilem multitudinem virorum, ac mulierum concionibus,
sacro, precibus diuinis interfuturã, et quod est a tergo, post
facellum maximum, et odeum praedictum cum accessione
facelli regii, quod post facellum est maximum, intervallo in-
ter

teruallo inter utrunque interjecto non minore, sua longitu-
dine, et latitudine capacissima contineat, atque complectã-
tur. Quae sunt a lateribus duae naues, illae facellis undique
circũdatae sunt pulcherrimis et venustissimis, et maxime duo-
bus Virgini Mariae consecratis, quibus templum istud praec-
ipue ornatur. In hoc templo apodyterium sacrum est (vul-
go sacristia) vestibus, et ornamenti asservandis et custodiẽ-
dis accommodatum, et ad templi tanti amplitudinem, et ma-
iestatem admirabile. Sed odeum auersum a lateribus, et
a tergo, aris plurimis, et venustissimis praecclare per se ni-
ret atque splendet. Cum vero multa luce circumfusum clare-
at et semper illustretur, propter aditus valvarũ, quas habet
in quacunque partem spectantes; quae binae sibi ipsis obje-
ctae sunt et aduersae, tum nitere nunquã definit neque splẽ-
dere specularium claritate fenestrarum, et facellorum omniũ
ornatu nitido et illustri, nitore auri, atque argenti, quo mul-
tis in partibus distinctum est, et ornatum. Nam praeter fa-
cella plurima, quae auro nitent obducta plurimo, facellũ ma-
ximum, et clathri eiusdem, et odei parietes multis fasciis de-
auratis, et duo suggesta ad epistolam, et sacrum evangelium
concinendum facta, quanto, quamque eximio auri fulgore
collucent; atque inter alia non est omittenda exedra (vulgo
capitulũ appellatur) quae extra tẽplũ in aditu, qui ad valvas
ad arcem regiam deducẽtes spectat, aedificata cernitur, to-
ta ex vivo lapide, pulcherrimo venustissimoque marmore, la-
pidibus incisis ex iaspide pretiosissimis facta, et picturis ad-
mirabilibus, et speciosissimis ornata, rotũda tota in ovi spe-
ciem atque similitudinem, et deaurata admirabiliter. In quã
ingredientes prae maiestate, prae nitore, prae splendore sum-
mo elegantiam, et magnificentiam admirandi vix facere fi-
nem possunt. Atque turris quantam afferat pulchritudine, et
splendore suo, maiestatem templo maximo, nemo non videt.
Altitudine sua uniuersae civitatis aedificiis eminet prospe-
ctus in omnes vicos urbanos, in plateas, in Baetim, in rustica-

tionem in campos patentes et apertos habens. Numero cymbalorum circumdata est: permulto; sonorum varietates omnes; et vocum humanarum concentus, pulsu gravi, medio, et acuto persequentiu. Sed quid plura persequamur? nihil nunc est necesse, cum praecipue brevitatem sequi studeamus. Tantum illud addere collibuit ad Hispalensis templi magnificentiam: quod cum illud ad omnes partes aditus habeat apertos atque patentes, vere quacunque ingrediare, stare videtur aura suavissima, quae aetivos calores fedat, et reficit in templum ingredienti ad preces divinas audiendas.

SACELLVM VIRGINIS MARIAE


vulgo de la Antigua appellatum.

 Templis ad sacella veniamus. Quorum quoniam praestantissimum proponi debet exemplar, a templo maximo Hispalensi duplex petamus; et praestabimus fidem, quam dedimus de sacello regio, Virginique sacro, et a vetustate nominato, si non pro regia maiestate sacellorum, saltem pro duplici, quod eloquentiae studiosos ad imitandum habere volumus, exemplari Latine in hac materia, institutaque sacellorum ratione loquendi. Atque imprimis quanta est venustas istius sacelli Virgini Mariae consecrati? Totum est lapideum, fenestris specularibus ornatum. Ad illud duo patet aditus, suis praestitutis temporibus aperti, et in eo sepulchra cernuntur ex marmore facta politissimo; quibus ossa teguntur virorum, qui in illis jacent, clarissimorum. Illi in eisdem sepulchris ex eodem vivo lapide quam longo erant corpore sculpti, mirabiliterque politi, qua facie, qua dignitate fuerant, visuntur: sunt enim ipsa sepulchra ab uno latere sacelli, intra parietem persosum opere fornicato decorata. Simulachrum Virginis vetustissimum est, et sanctissimum in arae pariete, quae ob oculos ingredientiu posita est, effectum, et caelatam arte mirabili cum.

eum Puero Iesu in sinu complexuque suo acquiescente, atque illud adeo pulchra, spectataque figura, et ad pulchritudinem accedente maiestatis augustissima, celsissimaque praesentia, ut cuius longius sit, quam reliqua; quae Virginis sanctissimae, communia, vel singularia simulachrasumma religione coluntur: nulum tamen neque magis pulchrum, visendumque mortaliu oculis in hac Hispalensi civitate proponatur. Quod admirabilitatem facit, in hac corporis, et omnium pro proportione partium longitudine tantam inesse pulchritudinem oris, tantam corporis, et lineamentorum convenientiam, tam eximia et praeclaram pulchritudinis specie, ut nulla pulchritudinis forma non effingi solum, sed neque cogitari possit illustrior. Tanto etiam effectum est cum splendore, tanta cum claritate regiae, ac divinae maiestatis, ut aspectus ipse, oculi, et conformatio corporis intuitibus maiorem in dies admirationem afferat, et religionem. Quamobrem summo studio, atque sanctitate, summo cultu, religioneque tantum a civibus, et advenis simulachrum Virginis integerrimae colitur. Quod facile perspicere possunt, qui sacrorum numerum, quae in hoc sacello sunt ab libenti caelo in medium usque diem audiverint, et dignitatem rem divinam facientium, qui plerumque canonici sunt, aut ipse non raro praefectus Hispalensis Ecclesiae. Cum tanto concursu celebratur sacellum, ut aliquot diebus, neque pavimentatum solum, quod jaciatur pomum, capere posse videatur; quanta fiet accessio maiestatis frequenti mutatione cultus, et ornamentorum pro celebritate omnis ordinis, dignitatisque sanctorum? latus utrunque parietis, in quo statuitur ante oculos simulachrum, ex auro intertexta aulaea coherent, et triginta lychni ex argenteo facti in sacello pedet, qui diu, noctuque ellychniis flagrantibus collucet, et illorum fulgore totum sacellum collucet, et illustratur. Octavo quoque die, sabbatis ipsis, et praesertim primo cuiuscunque mensis, illa praecatione Ecclesiae communi ad Virginem Mariam adhiberi solita decantari fere jam ad Solis occasum alternis cantorum vocibus.

et suis intervallis, tybiarum, et organorum personante suavitate, hujus etiam modulationis dulcedine perfruendae causa, virorum, atque mulierum multitudinem de templo toto se se festinanter, et alacriter effundere, quantum sacello dignitatis, quantum amplitudinis affert? ne quid ad celebritatem sacelli desit, et ad famam religionis eximiae pervagatam, credas nunquam in hoc templum venire quenquam, quin eide curae sit, Virgini dicatam sedem hanc, et domiciliū in visendi: quod facere nunquam desinunt canonici, cum per forem ad sacellum spectantem ex oedeo multos exeuntes in Virginis imaginem incurrere necessarium sit. Ad hanc religionem, excitant animos, et mentes hominum. voces passim caecorum exaudita, et illorum nonnullae preces pronunciatas quam intentis vocibus, ut ad pietatis singulare studiū in Virginem, et ad memoriam frequenter usurpandam, inter ipsosque recolendam incumbant. Quod si non haec tanta multitudo rerū ex hoc sacello peteretur, tamē propter magnitudinem miraculorum, propter opem toties rebus hominum dubiis allatam, hanc tanti simulachri religionem, atque cultum, et in quo simulachrum constitutum est, sacelli celebritatem descriptu dignissimam judicaremus.

SACELLVM REGIVM.

 B hoc sacello trāseamus ad Regiū, quod multo praestantius est, ac magnificentius. In quodate precor hanc mihi veniam, si non de ornamentis, quae cum aliis sacellis sibi communia sunt, dixero. Pavimentum, parietes, et tectū ex lapide facta sunt insigni adeo, ut praestantia lapidum excellenti, forma, descriptioneque mirabili, reliquis, quae ubique gentium sunt, sacellis antecellat. Novum est sacellum atque recens, proximis annis ante confectum, miro opere perfectum et absolutum, et ad hanc formam atque modum, ut

clathris ligneis opere tornatili factis pracludatur incredibili altitudine surgentibus, dum initiū ferrei, et auro caelandi perficiuntur. Parietes sculpturis plurimis, et imaginibus, et historiis veteris, et novi testamenti sunt exornati. Tectum omne speciem habet et formam testudinis, non minus illustri sculpturarum, et imaginum varietate distinctum. Mediū autem tectum apertum est, et eleganti tholo fenestris specularibus circumdato cōdecoratum, per quem sese claritas caelorum inferens sacellum omne clarissima luce cōplet, a qua illuminatum magis nitet et splendet opere regio, et excelfo. Tantam enim pulcritudinem, distinctionem, varietatem, et splendorem apparatu magnificentissimo, planeque regali, cum proponat in claro lumine visendam diei claritas splendore Solis illustrata, nihil ad speciem magnificentius, nec ad architectandi formam praestabilius videri potest. Tot regū antiquae legis, et novi testamenti historiae, tot sacrorū doctorum imagines, tot formae atque figurae cujuscunque dignitatis, et ordinis factorū, aliae ex aliis nexae, et omnes summa cum admirabilitate progredientes, ac definitae, ipsaque celsitas Sanctissimae Triados in sublimi et praecelso loco, tāquam in regali solio imperans, et caelesti majestate praesidēs, quasi stipata tot Angelorū multitudine in parietib⁹, in tecto oculis obversantiū scalpta, auri que fulgentis nitore caelata, tāta cū proportione, descriptione singulari, vivis lineamētis omni venustate consentientibus, facile majestatem sacelli declarat, atque testatur. In ipso corpore sacelli a dextra, et a sinistra duae sunt arae, supra aras odea excitata duo, unde tota sacelli lustratur amplitudo. Arae dextrae vicinū est apodyterium sacrum (vulgo sacristia) in quo vestitus, et ornat⁹ omnis sacelli asservatur: unde sacerdotes in publicum prodeunt rem divinam facturi. Sepulchra principum, et regum multorum, qui Hispaniae imperarunt, scalpta mirabiliter extrinsecus cernuntur, et illorum infra terram concameratam caelava vera unguentis condita, nonnullorum integra latent, et in

corrupta: reliquorum ossa suis in oculis inclusa. Horum effigies, quo ore, qua forma fuerunt, die sacra Virginis in caelum sublatae, visendae proferuntur in publicum Hispalenses in illorum, qui in Hispania dominatum tenuerunt, et in Regis invictissimi, et sanctissimi Ferdinandi, qui civitatem Mauro-rum servitute in Christianorum imperium, potestatemque reddegit, oculis, et ore acquiescano. Ab his sepulchris, aliquot a terra gradus, ara clathris marmoreis, et auro caelatis praecelsa tollitur, ad quam ab utroque latere per gradus ascendimus, in qua Virginis est effigies admiranda pulchritudinis specie, et majestate regali collocata, splendida nimis atque nitens. Quaecum custos, praefesque sacelli sit, huic Ecclesiae florens praesideat, tum ita frons niteat, oculi splendeant, tanta ex toto ore caelestis atque divina claritas emicet, plane testatur suam in sacello praesentiam, et in Ecclesia regium imperium, et victrorias, quas Reges nostri suo patrocinio, et ope in bellis allata de ferocissimis nostrae religionis hostibus reportarunt. Harum insignia victoriarum ad omnem posteritatem commendata, de tectis ipsis intra sacelli parietes pendentia vexilla regis Hispaniarum stemmatibus distincta visuntur. Cum terminetur tectum specie visenda, tum aspectu venuste admodum elaboratae conchae. Atque haecenus de sacellis; nunc ad sacrarium, et odeum accedamus.

DE APODYTERIO SACRO

vulgo Sacristia.




Apodyterium sacrum Hispalense, quae pars est omnino necessaria vestibus aedium sacrarum, et ornamentis asservandis, ex lapide factum est, multis sculpturis, et imaginibus lapideis ornatum, et distinctum splendore fenestrarum speculorum, quarum lumine clarissimo totum completur, et illustratur. Cum illud quadratum sit, ab utroque latere

arcae

arcae continentur mirae latitudinis, et altitudinis, multis loculis ligneis parvitate superioribus, et inferioribus, quae receptacula sunt sacrarum vestium, et palliarum illustrium, omnis generis ornamentorum, totius suppellectilis, ad usum, et ad ornatum spectantis. Est in angulo quodam a dextra statutum humi praegrande candlabrum, ex acre candenti, opere mirabili perfectum, ad tenebrarum candelas collocandas affabre factum, cuius accommodatae sedes surgunt in hunc modum, ut aliis altae superiores efferantur, suis quasi gradibus in sedem usque lucernae Beatae Virginis omnium celsissimae, in celsiore loco positam, et mediam inter caeteras interjectam. In medio fons est aquae perlucidae, qui per fistulas artificio mirabili apertas, magno crepitu et fragore aquarum profluit, et ad os fistulae praetertim mediae admovendum, et ad exemplendam, depellendamque sitim invitat. Statim ingredientibus oculis objicitur ara foribus adversa, in qua reliquiae, et ossa sanctorum suis in vasis aureis, et pulcherrimis asservantur: sicut et in hoc sacro apodyterio suis in locis alia multa supellex, et instrumenta sacra, reliquaque omnia, quae ad usum, et ad ornatum templi spectant, custodiuntur. Atque haec de sacro vestiario, jam odeum describamus.

ODEVM.



Deum, quod et chorus dicitur Hispalensis aedis sacrae primariae (quemadmodum ex descriptione superiore cognoscere potuistis) occupat partem templi maximam: atque in pavimento ejusdem templi est illud exstructum, et ut aharum Ecclesiarum, (quae vulgo cathedrales dicuntur,) adversum arae maximae. Inter quod, et inter aram ipsam medium spatium est interjectum intervallo valde capaci, ad multitudinem virorum, et mulierum continendam rebus sacris, et concionibus interfuturam. Illud circumdatum

est subsellis superioribus, et inferioribus, et omnibus hemicycli forma factis, quae capiunt amplitudine sua, non sine maiestate visenda, portionariorum, et canonicorum supra magnificentissime confidentium numerum, et cōfessum illustrissimum. Nam sacerdotes, (qui capellani dicuntur,) et ipsi cātōres occupant inferiora subsellia, ut ad canendum, et respondendum opportune concurrant in pluteum in medio prope constitutum ad sacros libros continendos. Cū subsellia sint ex ligno pulcherrime dolato, et sculpturis plurimis ornato, tū multiplici forma figuraque: scalpta leunculorū habent egregiam dignitatem, et amplitudinem maximā, praesertim subsellium Pontificis ad aspectum oculorum amplissimum; factum in speciem tabernaculi magnificentissimi: quod insignia Pontificum galero Cardinalium in scalpto illustrius reddunt, atque magnificentius. Quae cum diebus singulis, stans horis precum divinarum complentur frequentissimo, celeberrimoque patrū Ecclesiae numero, videre est portionarios, et canonicos omnes, et eos qui dignitates habent in Ecclesia, pro antiquitate, et dignitate sua, vel linteatos omnes, si tēpus est Iesu in terrarum sola expectandi, aut, si dies concelebrantur indictae generi Christianorum solennis inediae in vestitu puilo, lacernis atratos longissimis, quas in supplicationibus templum circumuehentes longissime, latissimeque toto pavimento trahunt raptatas, apparentibus dumtaxat oculis, et ore patente singulorum, cucullis caput obvolutos confidere, medium Pontificem interjectum illustriore dignitate, tāquā praesidentem caeteris, cum imperio et maiestate pontificia, tabernaculi amplitudinem, dignitatemque complere. Hoc in loco nolae sunt ad calicis, et hostiae sanctissimae tēpus efferendae, quae suaviter incitata conversione pulsantur: tum supra odeum a dextra, et a sinistra gemina organa fistulis eximio splendore micantibus, et singulis pro iusta, ac legitima longitudine, et magnitudine sua ad sonos edēdos admodum accommodatis, et cunctorum excellentiae, quae sunt in His-

paniae

paniae templis, varietate vocum, et suavitate sonorū praestantibus. Nam cum a tergo follibus vento facto homo moliter flare coepit ac leniter, et apta manus ad sonos organorum eliciendos incitata fertur celeri ad motionem digitorum, complet aures mortalium sonus effectus organorum suavissimus. Atque ipsa organa quam apta sunt ad mutationes et varietates vocum humanarum edendas? quam praeclara ad garritus carduelium, luciniarum, et omnis generis avicularū effingendos? ad perfequendos denique concentus et harmonias, quarum dulcedine perfusae mentes, animique mortaliū tanta interdum voluptate afficiuntur, ut corporibus cum in terra consistant, animis ad supera caelestiaque contemplanda rapiantur? Ad istud odeum per duas fores a dextra, et a sinistra datur ingressus praeter introitū clathris ferreis, et auro obductis, dum res aguntur divinae, semper patentem: per quem ministris omnibus mos est in odeum de sacello veniendi, et ad illud redeundi, cum opus est, in finem usque sacrorum.

MUSICA.



Discederem jam a templo maximo, nisi reprehenderer jure optimo nulla tātae celebrioris Ecclesiae musices mentione facta: nam sacellū in hac Ecclesia aedificatum est, cui phonaescus praestitit musicae tractandae, discēdaeque causa: quare non a templo maximo prius abeamus, quam musicam, qua celebrioribus Hispaniae templis Hispalensis Ecclesia praestat, ostendero. Cum hāc triplicem esse videamus, vel ore, vel manu, vel flatu editam, quam Cicero in Rosciana cantum vocum, nervorum, et tiliarum appellat: non mihi est in animo artem musicae tradere, librosque cātōrum plenissimos praescriptio- num suarum evolvere, sed quae in usu communi posita sunt,

L1 et

et auribus nostris quotidie percipiuntur, exercitatione praefenti proferre. Ad institutum autem nostrum tria spectant potissimum consideratu dignissima in arte musicorum. Primum puncta, et notae, quae ad musicae rationem excogitatae sunt, et inventa, non minori usui sunt canendi cupidissimis, atque viginti litterarum formae legendi, scribendique peritissimis; quarum quemadmodum varietate litterarum, quae volunt, quaeque avertunt scire mortales, litteris mandant, et inter se conferunt: ita ad varietates dissimilitudinesque cujuscunque cantus, quem humana mens cogitare potest, et invenire, veteres sex notas et figuras, scilicet, Vt, Re, Mi, Fa, Sol, La, quas pŭctorŭ nominibus musici nuncupant, reppererunt. Haec cum officii sui consortibus, ex artis praescriptionibus, debita ratione cōjunctae dissimiles sonos, et harmonias efficiunt; ex quibus dulcis concentus elicitur, et suavitas jucundissima. Eisdem notis atque figuris cantus compositus suavitatem, et modulationem suam metitur, sed dispari quidem a Gregoriano ratione contentam: cum in vocum moderatione, praescriptioneque notarum eundem ille modum, atque rationem servet: neque plus temporis uni, quam alteri impertiatur uno tenore (ut ajunt) in concinendo fluens, nihil afferens unquam praeter aequabilitatem, stabilemque constantiam. Quod multo secus est in Gregoriano. In hoc enim cum litterae plus temporis habeant, tum dissimillimo sunt nomine, et figura praeditae, cum maximae, longae, breves, semibreves, minimae, feminimae, fusae, semifusae nŭcupentur: singulae autem non in eundem modum deformantur ad intervalla longitudinis, aut brevitatis internoscenda. Atque harŭ tāta est societas, et agnatio, ut ex aliis aliae nascantur, et speciem habeant ex aliqua parte similem, colorŭ dumtaxat, aut uncorum accessione, vel decessione differentem. Quos cantus efficere possunt istae figurae, ad octo sonorum modulationes illi referuntur, qui sunt fundamenta caeterorum, et quasi primordia, unde reliqui ducantur. Quo vero facilius eos

tenere

tenerē possint artifices canendi, nostra memoria omnes modos, varietatesque sonorum commissuris digitorum sinistrae, quae tyronibus est indicis Alphabetarii loco, notarunt atque designarunt. Sed quia in hoc, qui praedictus est, modo atque ratione, inscripto facile intelligi nō potest, quam quaeque vox sedem et domicilium habeat, provisum artificiose fuit indice seu nota, quae clavis appellatur. Haec triplex est, et quaelibet diverso nomine, atque forma; quibus contentio vocis, et remissio quaecūque dijudicatur, ad cujus rationem, ut quaeque nota altius sublata, aut demissa fuerit, et modi erunt intendendae, remittendaeque vocis. Atque haec harmonia cātus Gregoriani his, quae praedictae sunt, notis terminatur. Nunc de cantorum vocibus agendum est. Varietas autē sonorum, intervalla, distinctio, et vocis genera permulta sunt; sed quattuor potissimū numerantur, quae acuta, gravi, et media, et infima continētur, aut duae duplici primo sono moderatae, qui intervallis conjunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, acuta cum gravibus temperando varios aequabiliter concentus efficit. Quantam autem, ut de prima modulatione dicamus, affert admirationem tanta multitudo, et varietas vocum, quae conjunctae sonos mirifice concinentes edunt: qui in aures influunt tanta cum voluptate precibus divinis astantium hac in Ecclesia Hispanensi tam praeclare constituta, et omnium maxime cantorŭ simphonia suavissima personante? Cum enim cantores ex artis praescriptionibus voces, numerosque moderentur, quid jucundius est, et magis voluptuosum, quam suavitatem quattuor vocum acutae, gravis, mediae, et infimae, ex quibus omnis musicae dulcis cōcētus aptissima ratione devinctus elicitur, auribus percipere? Quis non incredibili afficitur voluptate cum cursus vocum per sonos omnes cantores persequuntur intendendo, remittendoque vocē, media intervalla servādo, et interponēdo puncta suis spatiis appositisissima, mirificeque ex omni parte semper cōformādo; atque

Ll 2 tan-

tanto contentu et harmonia, ut alias aliae modulationes expectent sese inferendo, efferendoque in tempore musicae concinnitate mirabili? Hic equidem sic infima vox mediae opponit sese, ut simul suis spatiis gravibus mirandum in modum acutas, et subtiles harmonias eminere faciat, et ut suavitas et dulcedo media naturalem, et numerosam vocis intetae gravissimae speciem, et elegantiam cum pompa, et illustri splendore prodire foras desinat, ut et clarius percipiatur, et magnificentius sese jactet, et ostendet. Sed ad tertiam jam accedentes partem, quid ex harum quattuor vocum concinnitate varias, et dissimiles modulationes, ex alternis (ut vulgo dicitur) choris conflatas enumeremus, cum binae infimae cum duabus acutis concurrant, binae mediae cum totidem subtili sono praeditis coeant, cum copulentur duae infimae cum duabus mediis, cum duo cantores, nonnunquam tres concertum efficiant, qui cantus nomen accipit a numero, et varietate cantorum, cum tres, aut plures acuto sono, aut mediis intervallis utantur, et saepe sonus acutus cum gravi, et infimo harmoniam efficiat? Quid, cum solent interdum duo, aut tres cantores conjungi cum aliquo, qui canit ad concentum cantus compositi, et is plerumque gravi sono concinit, qui dum gradum puncti persequitur, in eo immoratur et consistit, tres cantores iterando, et ingeminando voces cumulant, et adaugent sonorum varietates, et alia, atque alia puncta citata celeritate percurrunt, et gravitati unius modulationis congruentia, unde dispare, sed suaves, et concinentes inter se modi mirifici oriuntur? Denique eo progrediuntur, et efferuntur saepe in exitu alicujus celebritatis, ut omni sonorum modulatione, tibiis infertis, et organis admixtis, totam sacelli testudinem resonare concinnitate, jucunditateque suavissima quasi gestientem aspiciamus. Quanta vero multitudo, varietasque rerum materiam arti musicorum liberam praebet, lateque dominantem? Earum hae solutam orationem, et psalmos attingunt, atque ipsae plurimum ponderis, et gravitatis habent,

habent, summam etiam speciem, et dignitatem tarditatibus in progressu servatis: ut similes pompae videantur tardatae: diu multumque moratae. Aliae modulationes suaviores sunt, atque dulciores, ut versus aliquot (gradualia, quae vocantur) canticorum loci, vel alii de sacris litteris delecti, qui celerius festinantiisque concini solent citata celeritate, fugasque excipiente plurimas, a qua nomen cantus hujusmodi traxerunt: quod ita musici concinant, ut alios alii fugere videantur, alii fugientes insectari, consequique properent, et de praecedendo certatim inter se contendere, praecedendo, et interfecando puncta nonnulla, quasi compendius ad celeritatem quaeritis, usque eo premere visi sunt et urgere sequendo praecedentes, donec nanciscantur, et in exitum una perveniant modulationibus suavissima concinnitate terminatis. Sunt etiam quaedam cantionum genera, quarum numeri laeti sunt et alacres, et plane gestientes, quae Natalitii Christi Iesu, et aliis sacris, celebrioribusque sanctorum feriis, earum, quas praediximus, fugarum celeritate instructae adornataeque, et aspirationibus multis affectae mollioribus, et suavioribus, et intermissionibus interruptae suis, unius modo, duorum interdum cantorum consequente suavitate, denique alterius percontationibus, et responsionibus auditorum animos reficiunt, demulcentque. Quemadmodum autem facile apparet, tum demum animum suavitate compleri posse, cum musica omnes partes habuerit modo, ordine, atque lege devinctas, et inter se aptissime congruentes: ita quidem si vox una deficiat, et a modulato cantu discrepet, musicae ordinem, et convenientiam pervertet, et totius moderationis harmoniam dissolvat. Atque haec ad cantus Gregoriani concentum spectant. Cantus autem compositus omnium facillimus est, qui sedes etiam est, et fundamentum Gregoriani, hac autem memoria, et aetate nostra communis Ecclesiarum omnium, qui praeter signa, nomina, claves, altitudinem, et gravitatem, et praescriptiones alias, quae pertinent ad illius concentum et harmoniam, eundem tenet:

modum constantem, et aequabilem, nulla mutatione vocum neque varietate. In quo leges tamen quaedam observantur, quibus cantores neque altius unquam intendere, neque demittere vocem submissius praescripto jubentur. Ex hac humanarum vocum concinnitate acerrima mortaliu mens excogitavit mirifica quaedam instrumenta canendi, quibus omnes varietates, concentusque vocum humanarum aemulamur ex cuiusque instrumenti moderatione praescripta: ad organa enim, quae vi et multitudine sonorum abundant, nullos non concetus et harmonias simillimas humanarum modulationum efficere possumus. Quod idem in monachordiis, in clavichordiis fieri posse putatote. In lyra vero, in cithara ad summum duarum, aut trium vocum harmonias persequi poterimus; in tibiis vero, atque fistulis ipsis eadem, quae vocum nostrarum, concinnitas, et elegantia percipietur. Sic autem velim animadvertatis me de musicae concentu egisse, ut in Ecclesiae fere cantu nostra versata fuerit exercitatio: quod hos probatos fuisse cantus voluerim, illudque solum genus musicae mortalibus colendum, quod optimis verbis, et praecclaris sententiis, et certa, ac severa cantus lege, atque ratione conficitur: non vero illud, quod mollibus, et lascivis cantibus constat. Hinc ableganda lasciva carmina, molles in cantu flexiones, falsae vocolae universo Christianorum generi detestandae, quae musicae numeris emissae quasi vibratum telum in animis adhaerent. Sumat citharoedus lyram in manus auro, et ebore distinctam, et temperet fides incontinentas, quia adsunt scientissimi musicae, et musicorum aures vel minima sentiunt: et quam celerrime pulsas aliis, et aliis fidibus harmonias plures efficiat, et omnes admirabiliter congruentes: ut nemo, neque scientior illo in musicis, neque magis praecclare, et suaviter fidibus cecinisse videatur carmina plurima, omnis generis fundendo ad lyram, et mittendo non pleniores voces, sed falsas ad animos auditoru, et sensus omnes incredibili voluptate perfundendos: no quasi venenum inf-

instillare visus fuerit visceribus hominum, quod pestifera tabe perfusum ad venas usque permanat, et ante mentem laetali vulnere conficit, quam illius vis mortifera persentiri videatur: non immerito Plato cu videret mores civitatis immutari cum catibus, se veras musicae leges sanxit, atque prohibuit, ne quis, quos vellet, catu ederet: sed graves, honestos, stabiles, non languidos, molles, et effoeminatos. Itaque illos probavit solum vir ille sapientissimus, quibus vel Dei majestas praedicaretur, vel clarissimorum ducu res praecclare gestae celebrarentur, vel adolentes ad virtute, et bonos mores alacres, et erecti fierent: ut Christianos homines pudeat musicam lascivam, et flagitiosam usurpare castissima, sanctissimaque repudiata, aemula et imitatrice divinarum metium, qua caelesti suavitate concinentes praesentiam divini numinis miris laudibus efferre nunquam sine intermissione desistunt. Illos ego semper cantus vellem, qui modulos reru sacrarum similes imitarentur.

ORGANA PNEVMATICA.



Eneratim de musica scripsimus, instrumenta nunc aliquot Ecclesiae commemoremus, et primum organa, deinde tibiis, et illarum cantus, et harmonias describamus. De quibus priusquam aliquid agamus, ipsa organa, tibiisque describere necessarium est. Quae species et forma organorum, quibus Ecclesiae communiter personare solent celebrioribus sanctorum feriis, et ad majorem sacri faciendi, vespertinarumque precum celebritatem ipsis in feriarum pervigiis sanctissimarum? Cum illa ex ligno politissimo, et arte mirabili dolato facta sint, atque auro obduci soleant ad clariorem aspectum, et venustatem, tum a lateribus acuminata terminantur ad rationem.

fistularum; quae pro ratione tenuitatis, aut crassitudinis, brevitate, et longitudinis suis in sedibus collocantur. Quas videre est ex fulgenti stagno factas, et quo magis ad mediâ partem tendunt, quae caeteris longitudine, et crassitudine sua excellunt, aliis alias longiores, et crassiores apparere, et ab ipsius templi pavimento oculis omnium cerni. Has fistulas audire quantam voluptatem affert, cum follibus inflatis a tergo in arcam anima ministrans canalibus influit, pulsatis aliis, et aliis quam celeri admotione digitorum, acutis, gravibusque concentibus resonare, nostris auribus accipimus, et omnes concentus et harmonias efficere congruentes varietati rerû concinendarum; in quo videre est, ut pullandi scientissimus est artifex inter pullandû quâ apte regulas nunc citatas impellere, nunc reducere ad obturanda foramina, vel aperienda, atque ipsa manubria epistomiorum percurrere ad continendum, aut laxandum spiritum in organis. Multa autem organa ad hanc rationem fabricata sunt, ut sonis suis praebeant speciem vocum humanarum, lucinarû, carduelium, et omnis generis avicularum, quibus aures tenentur incredibiliter, et sensus omnes jucundissima suavitate pascuntur.

TIBIAE.

Non Organa solum, sed tiliarum cantus in Ecclesiis adduntur ad humanas voces. Tibiae autem relictæ, et ex fago factæ, intus concavae, extrinsecus venustissimæ, summæ a foraminibus initium capiunt, et alio rotundo, amplioreque terminantur: extrinsecus parvulis foraminibus tanquam oculis distinctæ sunt, in quibus foramina causa sunt sonorum, qui tibiis modulate sonantibus efficiuntur. Nam videre est, quemadmodum tibicines primam tibiam ori admovent, et inflatis buccis, magna oris adhibita vi, et toto corpore connitendo, et pellendo digitos per oculos toto sparsos corpore tiliarum, et adducendo modo

libo celeriter, modoque reducendo, harmonias plurimas, et jucundissimas, ad humanarum vocum, et organorum concentus accommodatas efficiunt.

CYMBALA:

Tibias Cymbala sequantur, quibus dantur signa rerum divinarum, et plurima musicae modulationes, et varietates edunt, cum una suis statibus temporibus pulsantur. Cymbala magna, mediocria, parvula, longitudine, et crassitudine sua, exiguitate, et tenuitate differre solent, forma vero atque figura plerunque congruunt. Quae ex aere, et plumbo fieri solent in hunc modum atque formâ: ut sub terram defossam exemplaria abditâ et inclusa statuantur, in quae plumbum, et stagnum infusum, et per fistulas patefactas deductum incitato lapsu deveniat, ubi vero appropinquavit, et totum exemplar obduxit, cymbalum formatur ad speciem et similitudinem exemplaris. A summo temperantias habent, ex quibus appedi possint in turribus tintinabulariis, et angusta paulatim dilatantur, et explicantur in orbem, concava longitudine, et altitudine, pro proportione exemplaris, ad cuius modulum formata sunt. Intus a medio bacillus ferreus pro proportione aeris campani pendet, quo cymbala hujusmodi pulsari solent: quorum sonus, quoniam aëra campana in turribus, ac propterea in locis sublimioribus suspensa sunt, quâ maximus est, tota civitate, longissimisque intervallis a civitate distantibus exauditur. Quare videre est turres tintinabularias plurimorum multitudine cymbalorum circumdatas, quorû alia parva, alia mediocria, minora, longiora ve sunt; et pro exiguitate, mediocritate, aut magnitudine sua acutis, mediis, et gravibus intervallis, pro rata proportione sonorû civitatibus, et ipsa solitudine, pulsata exaudiuntur. Tantus autem plerunque cœtus efficitur, et ex dissimilibus cymbalis, ex

omni parte adeo mirifice congruens, ut cū pro celebrioribus sanctorum feriis pulsari soleant, speciem quandam musicae suavissimae dulcissimaeque praebere videantur.

LYRA.

Quamquā superioribus descriptionibus visus fuerim Ecclesiarum musicae satisfacere; tamen quae genus omne artis musicae, varietatemque complectuntur, instrumenta percurram, priusquam ad res alias transeā: quod etsi propria viderentur aliorum haec instrumenta locorum, tamen non ab instituto praesenti musicen accipientibus abhorrere videbuntur. Imprimis igitur de lyra, de cithara, caeterisque musicis instrumentis aliquot exercitationes suscipiamus. Lyra in summo honore apud musicae peritissimos fuit semper, et omnium maxime usitata: quae ex fagi, vel pini tabula tenuissima, dolata admodum, et politissima cōponi solet. Vtraque tabula superior, et inferior planissima, et latissima est, sed ad ovi similitudinem facta; quas tabellae ex ebeneo angustae, et eodem opere factae, a lateribus, et a fronte summam, et infimā glutino cohaerentes sustinent coagmentatione non dissolubili, et tam admirabili, ut quanvis duae tabellae sint ex dissimili materia diversis in locis positae, haec in iugo, altera in fulcro lyrae, sed tanta copulatione coeunt et cohaerent, ut una et eadem non artificio, sed natura cohaerere videantur: et una quasi tabella duplici colore distincta aestimari possit: quae cum brachio, quod initium est, conjungitur. Quod cum longum sit, tenue, et angustum, tum ornatum duplici verticillorum ordine, qui sibi ipsis adversi sunt, et aequabiliter distant: a quibus fides in infimum usque fulcrum deducuntur, et protenduntur, ad ponticulum cum ultima parte lyra conglutinatum alligadae. Cum autem citharoedus illam modulari vult ad adducendas, remittendasque fides ipsas, ut omnes aequae contentae sint, manu versando unum, et alterum verticillum, et ad rectam musicae mo-

moderationem componendo constituit lyram, semel, et iterum, unam, et alias fides pellēdo levi admotione digitorum; donec iusta, ac debita moderatione adhibita, prooemium aliquod affictum praecinendo, colligēdae circumstantium gratiae causa, quam volunt spectatores, cantiunculam instituit fidibus ad quenque tactum ita respondentibus, ut sonos suavissimos, et similes humanarum modulationū edere videantur. Similis mihi lyra visa est hominis a Deo ficti tanto ordine, coagmentationeque membrorum, ut cum caput, et brachia cum toto corpore cohaereāt, tum venae, et arteriae corpus in omne diffundantur; quae quemadmodum moventur, homo febrim habet, aut bene valet, et corpore bene constituto, vel perturbato videtur esse: ita ex incōtentis, vel aequae contentis fidibus constitutionem lyrae totius, sonos congruentes, et discrepantes internoſcim⁹. Atque ita videm⁹ lyras huiusmodi fabricatas ad humanae naturae rationem, ut caput affictū praeponatur brachio, quod claviculi quasi digiti manum consequuntur, brachium cohaeret cum reliqua lyra, quasi cum corpore suo connexum: in quod fides, tanquam venae in corpus omne funduntur, et ponte tanquā pedibus terminantur. Atque si placet plures audire musicis accentuunculis notata carmina cōcinētes, illorū harmonias cū mirabili symphonia sentiem⁹ in aures nostras influere, quae sensus rapiant nostros ad se se, et impotes nostrum ipsorum nos efficiant. Finge pueros cum lyris in manibus, atque hos bene formatos a natura, flavo capillo, laetis oculis, ingenua forma, liberali ore, eleganti statu, et maxime decoro habitu prodire cantatum in mediam coronam: quoniam scientes sunt, quoniam exercitati, et quod concinunt, aliis in locis saepius ingeminarunt, quam varie, ut temporis, et loci ratio postulavit; cantus edent, vocem sensim excitando ad acutum usque, deinde remittendo, quasi colligant ab acuto sono in gravem usque recipiendo sese? quemadmodū autem in ipso processu canendi persequuntur gradus om-

nes, aut aequabilitate, vel inflexione mirifica; nunc diffin-
guendo, nunc continuando, modo tollendo, modo deducen-
do, modo contendendo, modo remittendo, modo tardando,
modo incitando vocem, et semper claram, semperque suavē,
nullis gesticulationibus, nulla cervicū mollitia, nulla distor-
sione, nullo statu, motu, ve deformi. Angelos profus aliquos
diceret ad lyram canere.

CITHARA, VVLGO HARPA.

Cithara ex eodem ligno, quo lyra fieri solet, longissima
est, et a summo lata paulatim angustatur, et ad rationem
litterae ▷ fabricata, vel lectulorum, (quos vulgo tumbas
appellamus) in quibus cadavera nobilem in humeros equi-
tum imposita efferuntur in Ecclesiam. Cum quattuor et vi-
ginti fidibus cōstet, illae hoc ordine dispositae sunt in citha-
ra, ut cum longitudine impares sint, quaeque quanto magis
praecedant, longiores sint, quae consequuntur, quanto infe-
riores, tanto breviores sunt, et minus protrahuntur. Ferreo
instrumento in claviculam intromisso cithara temperari so-
let; quo fides adducuntur, et remittuntur, et ad justam citha-
rae temperationem conformantur. In hac mulieres, virgines
nobiles, et moniales exercentur, et viri, qui sunt ejus scientif-
simi confidentes mediam inter duo crura interjectam, et le-
viter ad motam pectoribus pulsare consueverunt.

TVBAE.

TVba ex aere, vel ferro facta incurva est, qua milites, et
equi ad praeciorum conflictus inflammantur. Buccina
ex cornu fit a summo leviter inflexa. Cornu cursores utun-
tur, quod a summo leviter etiam intortum est. Eo adventus,
et profectio, et in itinere suscepti cursus signū datur ubi-
que notissimum a cursoribus.

LYRA PARVA, VVLGO RABEL.

Minima omnium est haec lyra parvula, quae ex ligno
facta brevis admodum, et angusta est, sed intus, quem-
admodum caeterae lyrae, concava, a versa ab utroque late-
re declivis est, quae ratione declives colles aspiciuntur. Fulcrū
primum tabella tenuissima contrahitur est, reliquum vero
membrana obductū brachiū pro proportione minimi instru-
menti, sed illud suis verticillis compositum, ex quibus fides
in ponticulum usque deducuntur, et protrahuntur. Cum au-
tem intentae sunt fides plectro ex setis, et virgula aliqua ar-
enato opere facto pulsari solent, et ad illam psalmi funduntur,
et carmina quaevis alia concinuntur.

VTRICVLVS, VVLGO GAYTA.

Tibiae utriculares vobis ante oculos statuendae sunt, quas
mentis oculis complectimini: ex tibiis enim, et utriculo
componuntur. Quae tibiae ad aliarum similitudinem perfo-
ratae sunt suis in locis, sed in sublime spectantes ab ea parte,
quae ori ad movenda est, ut utricularius sonum efficiat. Ad
utriculum autem illae adjunguntur; quem utricularius, cum
sonus efficiendus est, inflat flatu uno, et altero, depressum pau-
latim excitando, donec inflatum omnino, et sonis edendis
aptissimum habens tibiis modulate sonantibus, quem vult,
sonum facit jucundissimum celeri admotione digitorum.
Vtricularii hunc suum utriculum versicolore ornatu vifen-
dum, et quam venustissimum proferunt in medium multitu-
dine bullarum ex funiculis sericis a fronte, et ab utroque la-
tere pendentium. Est utriculus jucunditas et voluptas rusti-
canorum suis in nuptiis concelebrandis, cum nova nupta de-
ducitur in Ecclesiam, et idētidem reducitur symphonia, sua-
vitateque tiliarum utricularium, adhibita praesertim ves-


peritino, et nocturno tempore extrema deliciarum omnium comite sociaque saltatione jucundissima.

CROTALA, VVLGO SONAIAS.

Sonalia rotunda sunt in speciem formamque facta spirarum, ex ligno, et aere hac ratione confecta, ut aliquot intervallis transversis laminulis, aut orbiculis ferreis sonu edant jucundissimum: ad quem efficiendum homines eadem versant, et una, vel utraque manu percutiendo, dextra agitando, attollendo, demittendo ve, vel circumferendo. Atque agilitate mirabili, ictu uno, et altero laminis se ferientibus, et collidentibus agitatione, et percussione rapida concitataque, soni efficiuntur celeres et incitati crepitu fragoreque mirando. Eadem ad intervallum aliquod homines sustinet agitando in dextram, et in sinistram, cum volunt finem facere pulsandi sonalia, in sublime id temporis efferendo ad sonos majore cum venustate terminandos.

SONALIA, VVLGO

Cascabeles.

 Sonalia ex aere fulgenti facta habent speciem auri clarissimi; quorum forma atque figura rotunda est: ex una enim parte patent nonnihil, qua sonus inclusi globuli, cum moventur, et agitantur manibus, ad nos in sublime fertur. Ita videas pectoralia equorum, vel jumentorum, quibus agalones nostri temporis utuntur, multitudine sonalium circumdata; quibus loca omnia, per quae itinera faciunt, personant, et illorum adventus ubique locorum, in quae ingrediuntur, explorati notique sunt. Quin et unum, aut alterum sonale ex ligulis coriaceis ad bacillum alligari mos est nostrorum hominum ad demulcendos pueros, et effecto sono exhilarandos.

At-

Atque ad saltationu crepitus, sonitusque communes efficiendos, eosde deligulis appensos coriaceis, vel circulis affutes, tibiisque circudatos adhibet saltatores, sursum, deorsumque sonalibus percrepantes.

CREPITACULA.

Mulieres rusticanae, et ancillae nostrorum hominum crepita culis uti consueverunt, quae quadrata sunt, et conversa, et averta teguntur membrana. In his plurima sonalia, et ea soluta includuntur. Supradictae mulieres, ancillaeque crepitaacula hujusmodi sumunt in manus, et utraque percutiendo manu sonos efficiunt, quibus tota vicina personat. Ad saltationes suas, et choreas communes, et ad Bachanalium dies agendos concedunt in solitudinem praecunte semper muliere, quae sonos efficiat, et canat ad crepitaacula, quam reliquae consequuntur, aut antecedunt, vel circumstant, incredibili venustate mutationes innumerabiles faciendo saltationum.

TYMPANVM.

Tympanum bellicum instrumentum est, et ad delectus habendos, et ad danda signa praeciorum, nec non ad animos militum excitandos, ut acriter, et vehementer congregiantur, factum, et usurpatum. Quod ex tabellis tenuissimis factum, intus concavum est, foris multis funiculis in circuitu sparsum, et fere obductum; quorum propter tenuitatem magna tympani pars cernitur atque patet. Summum autem, et infimum membranis tegitur. Quod tympanista ex humeris dejectu, et ad femur usque demissum loro sustentat, et duplici bacillo per vias publicas, et plateas civitatum, et oppidorum pulsare non desistit, magna puerorum multitudine, quae ad tympani sonitum sese aggregare consuevit, currendo, saliendoque tympanisten antecedente.

TYPANVM PARVVM, TAMBORILLVM

Superioris non dissimile videtur parvum tympanum, sive solū exiguitate differens. Atque illud uno bacillo tympanista pulsare consuevit leniter, aut vehementer, et sinistra fistulam ori pastoritiam admovento sonos efficit rusticanos et agrestes, non tamen absonos et absurdos, et a musicat politionis suavitate discrepantes. Haec ad suptias rusticanorum, et ad dies celebriores in circulis, et cōveticulis usitatis magnum semper usum habuerunt.

TYPANA, ATABALES.

Tympana sunt alia, quibus in lautea doctorum nostrorum, in ludis Trojanis, in agitationibus tabarorum Hispanicommunitate utuntur. Parvula illa sunt; et bina adhibentur semper: ita tamen acuminata sunt in extremitate sua, ut a summitate lata, paulatim contrahantur, et in angustum adducta in similitudinem turbinis terminentur. Cum facta sint ex ligno tenui admodum, atque dotato, qua parte superiore teguntur membrana, bacillis pullantur, ut illorum procul audito sono, doctoris, vel equitum adventus denuncientur.

TEMPLVM PROFESSORVM

Ex praecipuis templis Hispalensibus ad superiora habet adjicere templum professorum nostrae Societatis Iesu, quod totum ex lateribus, et ex lapide aedificatum est, opere singulari factum, una dumtaxat navi, eaque latissima, et longissima. Sacellam maximum amplitudine sua, latius a lateribus protenditur, et explicatur: pavementū lateribus Malacitanis stratum est, et multis in sacello maximo tessellis di-

stinctum, parietes opere vectoris ornate, et in omnino cōca-
mbrata sunt, sed quod regio portens in aram maximam spectat
tem, sicut praeterit, atque laqueatum: Medium autem sacellum la-
terium habet in recto lapideam, et opere antiquo factam, cir-
cundatam fenestris specularibus ad lucem afferendam. Eccle-
siae clariorem: atque ob hanc causam pars haec templi reli-
quo celsior aedificio, eminens altius in oculos, et in ora civium
semper incurrit. Sed ad aram maximam per gradus lapideos
ascendimus, quae praecclusa est bacillis mirifice tornatis. Ad
dexteram, et a sinistra sunt duae arae, una Virgini Mariae, altera
Beato Iosepho sacra, et duae aliae sunt sibi ipsis ad versae, una
Divae Annae, altera dicitur Joanni sacra Evangelistae. Reliquum
corpus Ecclesiae a sacello maximo divisum est clathris
lignis, ordine triplici bacillorum, opere tornati facti. His
proximae sunt et conspectuae arae, quarum una Beatae Mag-
dalenae, altera ipsius, coetum undecim millium virginum,
et harum duci sociatum Virgulae dicata est. Hic locus ter di-
vinae, et conjunctionis audientiarum causa mulieribus attribu-
tus est. Hae sedes et stationes mulierum, et virginum, et ma-
tronaum amplissimarum, ut decorum, quod impudicitia pos-
suum est, et honestate muliebri, servetur, mulieribus a viris se-
paratis atque diffutis. In hoc Ecclesiae corpore ab utroque
latere spectatur oculis omnium cellulae suis inscriptae litte-
ris, et nominibus distinctae sanctorum, quos se intromittant
maiores ad animarum maculas per confessionem eluendas.
In primo statim aditu sublaeum est rodam: Atque ad Eccle-
siam per valvas omnium maximas mulieribus datur ingressus:
nam per alias duas ad aedus amplissimas Joannis Antonii
del Alcazar, et ad impluvium primum domesticum spectan-
tes viri communiter ingrediuntur. Per tres alias fores, quas
habet sacellum maximum, sacerdotēs procedunt in Ecclesiam
factum rem divinam, et per eandem sacrificio facto, ut una-
quaeque ara magis propinqua fuerit, in apodyterium sacrum,
quo venerant, utinere revertuntur. Supra templum subdiales

sunt deambulationes lateritiae sacellulis ex eadem materia circumdatae, in celebriores partes urbis, et in multiplicationes, et in Baetimi spectantes. Illi uris est, in natabularia, et in illa cymbala necessaria ad signa contionum, vesperinarum precum, et recitanda divinae, et ad conclamantium ad funera in templum efferenda. Templum est insigne satis, et memorabile: nam quocumque oculos converteris, videbis amplitudinem, magnificentiam, et splendorem eximium. Aetnae quam ad usum bonae, quam ad aspectum praecellerae, quam his sac pretioso cultu splendent, quanta munditia adornatae sunt, et elegantiae. Ara maxima, et a lateribus duae simul aetnae, et tabulis sanctorum splendent, atque ipsae, lychnis pensilibus, ex argento factis, et semper inflammatis collucet. Templum omne fenestris lucem clarissimam afferentibus clarum est, et nullam non ex parte visendum. Aspectus ipse, munditia, et ornatus religionem ingredientibus, et in eodem nuda quam in obaudiendi sacrum, cupiditatem in iudicium.

TEMPLA COMMUNITIA.



Actenus aliquot singularia templa descripsimus, et opere suo, sumtuque magnificentissima, nunc templa, quae communiter exstrui solent ostendam. Haec autem una, vel triplici navia edificantur. Quae navibus praedictis excitantur, columnis pari intercolumniorum intervallo distantibus, et ad versus sustinentur. Cum habeant tres, aut duas valvas, arae pro magnitudine templorum excitari solent, divisi illis sacrae, quorum illi, qui de paroecia sunt, plerumque magis studiosi putantur esse, quibusque se vident obligatos, et proficuntur alicujus esse beneficij memoriae divinos, sed maxime Reginae caelorum, celissimae. Atque illae a lateribus ferre semper ipsius arae maximae sunt, paulo etiam inferiores, ut a sacello maximo tantum spatii distent, quantum necessarium fuerit, mo facientes sacrum sibi ipsis impedimento sunt, et vocam pau-

illum efferentes perturbent sacerdotem in ara proxima celebrantem: et quonia concursus, maximus celebrantis diversae, multiplicisque, quae decursu anni recolitur, in eo fieri solet, et maximam sacellum quam maxime expediri convenit diebus aliquot celebrioribus, etiam negotiosis propter sacrum viaticum, quod deferendum est ad aegros, et propter alia, quae interveniunt propter incidetes dies festos, et ipsarum sacrarum officia facienda feriarum necessarium est. Omnium autem maxima in sacello maximo excitatur, et in eadem ara in tabernaculo magnificentissimo ex auro politissimo, corpus Affectoris hominum Iesu Christi conditum religiofissime aservatur, velo valde specioso ex tela argentei filii, aut tegumeto serico, et mirifice elaborato propter religionem, et sanctitatem, ad magnificentiam valde spectante, eidem tabernaculo apte nimis, accurateque praeposito: quod explicatum est semper clauso tabernaculo, et elaborata forma calicis, et hostiae supra calicem elatae apparere cohonestatum. Cum vero mitissimus Agnus sub umbella deportatur in vase aureo, quod cruce imposita, et vestitu multis gemmis, auroque collucete distinguitur, et mirum in modum illustratur, velum adductum et contractum facit, ut pateat, et apertum oculis mortalium statuatur, quod tegumeto abscondebatur, et intus abditum latebat. Apodyterium sacrum (vulgo sacristia) in ea parte sacelli maximi plerumque aedificari consuevit, quod finitimum sit altari maximo, ut sacerdotes commode se induere possint, et ad sacrificia rei divinae, et ad usitatas Ecclesiae preces, ne suo defint antiqua officio, suis temporibus prodeant in templum. Quod ad aedificationem spectat, si vis fabricam alicujus templi, cernementis oculis valvas amplissimas clavis, et laminis stratas ferreis: vix ingressus incurres in perirantion, id est pilam aquae lustralis, qua frontem, et ora spargas, antequam proceras adhibiturus genua flectas. Solum lateribus, aut lapideibus stratum videbis, et aliquot in locis praegravibus faxis ex marmore politissimo, quibus sepulturae mulcorum tectae, suis carminibus incisae, quae nomen, ge-

nus, fortunam, vitam, sanctorum testamentum, honorem Ecclesiae tribuunt. Parietum tectoria pulcherrima, nullo sanctorum similitudinibus, et tabulis venustissimis ornata plus habent decoris, et venustatis. Numerus sacellorum, et ararum non excitat assolum, sed etiam vestibulo, et ostio illustrata, simulachris sanctorum auro multo caplatis, multiplici varisque opere, et singulari artificio distinctae quantam habent maiestatem, et dignitatis amplitudinem? Arae stratae mappis albentibus candidioribus, non minore munditia, et elegantia, quam apparatu, et magnificentia propter antependia, decorata, et ornamenta, dejectis, et ornamentorum cum suis, licet ex filo serico, et auro intertextis, vel primi, vel medii, vel extremi, apte concinnis, et cadentes, quoniam ex omni parte mirifice congruunt in stratum usque tapete solum longissime, latissimeque cooperitum, oculos omnis generis rerum pulchritudine, et tanta accuratatione, et concinnitate pascent. Quid amplius volumus? Chorum superiorem, et ad vernos, et ad aestivos calores, referendos inferiorem, ad versus sacello maximo, pilam rotundam, et capacem admodum aquae, ad quam comportantur infantes post natalitia sua, sacro fonte abluendi, turrim etiam eminentem universo templo propter altitudinem suam cum nolis, et cymbalis de eadem pendentibus in circuitu necessariis, videre possumus. Nihil enim horum a communi abesse debet descriptione templorum.

EREMITORIA.

Inter aedes sacras non omitam templa, quae vulgo Eremitoria nuncupantur: nam haec saepe multo magis, quam aliquot templa a Christianis video summo studio, religioneque frequentari: idque accidit propter simulachrum Virginis Mariae, aut alicujus facti vetustissimum, et religiosissimum, in quibus magis, quam in aliis, multitudinem, et magnitudinem miraculorum praesentia divini numinis, et virtus inaudita caelestis vim suam declarare visa fuit. Quod templum cum ad fontem descriptionemque reliquorum directum fuerit, et exstructum, tum animo complectere in aliquo sacello Virginis imaginem in aeta collocatam, in habitum, et quae figuram sedentis in tabernaculo magnificentissimo, et ex auro splendenti fabrica admirabili facta. Ipsa autem Virgo sanctissima in tabernaculo collocata: cum per se forma sit, et nitore venustissimo, tum cultu et ornatu pretiosissimo, clarior et illustrior apparens dignitatem, et maiestatem retinet plane caelestem: quae decor illius divini caelestis semper aliquod, atque divinum beneficium ab eadem matre exorata nostris precibus, et ad filium suum interposita deprecatione miseriarum, et aerumnarum nostrarum, in nos conferendum praese fert, et omnino planum facere visa est. Ita multi sacellum illius adiungunt, idies plurimos vigilias diurnas, atque nocturnas suscipiunt, ut opem sibi suis in malis afferant, morbos aggritudinesque ope sua, precibusque depellant, ut ab imminentibus periculis se, vel alios, quorum res agitur, et in discrimen vitam, vel status adducitur, eripiat, vel si filios a Deo volunt impetrare, consequantur sobolem, et posteritatem ad memoriam generis relinquendam, ne facultates, et opes suae ad alium, qui ex se ipsis parentibus natus non fuerit, perveniant. Denique cuiuscunque mali depicendi causa, vel muneris, aut beneficii, quod filius per illam dare voluerit, accipiendi, in haec Eremitoria se conferunt. Edunt ubi passim et sunt miracula stupenda, plena laudis, plena admirationis, et ante hunc diem praeteritis saeculis, cum memoria recentiore facta, plurima quidem, et gloriosa commemorantur: quae litterarum monumentis consignata, et relictis ad posteritatis memoriam horum beneficiorum signis admirandis nequeunt oblivisci mortales. Ita pro multorum huiusmodi generis gratia miraculorum, pro beneficiorum acceptorum recordatione, pro memoria operum admirabilium, atque stupendorum, quae in sacello ante Vir-

ginitate miraculorum praesentia divini numinis, et virtus inaudita caelestis vim suam declarare visa fuit. Quod templum cum ad fontem descriptionemque reliquorum directum fuerit, et exstructum, tum animo complectere in aliquo sacello Virginis imaginem in aeta collocatam, in habitum, et quae figuram sedentis in tabernaculo magnificentissimo, et ex auro splendenti fabrica admirabili facta. Ipsa autem Virgo sanctissima in tabernaculo collocata: cum per se forma sit, et nitore venustissimo, tum cultu et ornatu pretiosissimo, clarior et illustrior apparens dignitatem, et maiestatem retinet plane caelestem: quae decor illius divini caelestis semper aliquod, atque divinum beneficium ab eadem matre exorata nostris precibus, et ad filium suum interposita deprecatione miseriarum, et aerumnarum nostrarum, in nos conferendum praese fert, et omnino planum facere visa est. Ita multi sacellum illius adiungunt, idies plurimos vigilias diurnas, atque nocturnas suscipiunt, ut opem sibi suis in malis afferant, morbos aggritudinesque ope sua, precibusque depellant, ut ab imminentibus periculis se, vel alios, quorum res agitur, et in discrimen vitam, vel status adducitur, eripiat, vel si filios a Deo volunt impetrare, consequantur sobolem, et posteritatem ad memoriam generis relinquendam, ne facultates, et opes suae ad alium, qui ex se ipsis parentibus natus non fuerit, perveniant. Denique cuiuscunque mali depicendi causa, vel muneris, aut beneficii, quod filius per illam dare voluerit, accipiendi, in haec Eremitoria se conferunt. Edunt ubi passim et sunt miracula stupenda, plena laudis, plena admirationis, et ante hunc diem praeteritis saeculis, cum memoria recentiore facta, plurima quidem, et gloriosa commemorantur: quae litterarum monumentis consignata, et relictis ad posteritatis memoriam horum beneficiorum signis admirandis nequeunt oblivisci mortales. Ita pro multorum huiusmodi generis gratia miraculorum, pro beneficiorum acceptorum recordatione, pro memoria operum admirabilium, atque stupendorum, quae in sacello ante Vir-

ginis simulachrum, in suo conspectu plurima, memorabiliaque extiterunt, ut gratos se homines praebeant, et ipsa beneficia, tanta Virgini referant accepta; videbimus lectos, naviculas, ora, capita, brachia, crura, multas imagines ex cera, vel argento factas, ut viri, vel mulieres gentium diversarum, ac nationum, quae se commendabant Virgini Mariae, et illius opem et auxilium implorabant, morbis, aut periculis liberatae fuerant, pendere de tectis, et ad memoriae opis allatae posteritati nunquam non tradendam, ante Virginis simulachrum exstare suspensas, in facello. Ita facellum illud nunquam vacuum est aut concursu oppidanorum, vel eorum frequentatione, qui vigilias agunt ad imaginem, quibus saepe non exactis alii interveniunt. Ita completur etiam cum adventu multorum, qui pro beneficio consequuto gratias actum conveniunt, tum illorum ingressu, qui sacra facere sacerdotes Virgini pro sua postulatione, pro votis, et optatis; pro religione singulari cui jusserint, rem audiunt divinam, et mansionem mulierum, quae candelas pro Virginis ore conspectuque succensas, dum ardent, et paulatim absumuntur ad extremum usque stantes tenent in manibus. Qui cultus, quae sanctitas, quae religio supplicantium, quam multi praesensu maximo praesertim mulieres natura tenerae, et ad lacrymandum faciles, suspiria, singultus, lacrymas tenere non possunt, dum singulis facellum completur, dum omnia personant vocibus suppliciter missis, et gemitibus multorum crebro supplicantium, crebro pectora percutientium, soni lugubres, ac miserabiles, et ictus vehementes ubique percipiuntur locorum. Cum minus opineris, clamare credas de locis, ubi sunt precantes et supplicantes, viros, aut mulieres, miraculum, miratulum: id temporis, continuo ad voces, et clamores accurrere cunctos, qui sunt in templo videas, et ad volare, clamandi, quae causa fuerit, ut explorent, et editi miraculi virtutem profiteantur, et agnoscant. Cum accedunt, et vident miraculum, et de ratione modoque certa habent omnia, imitari omnes, laus da-

date, maiestatem Dei immortalis, in praesentia simulachri tantopere florentem, et vigentem virtute mirabilis. Puerum, quem oculis, aut membris captum mater attulerat in facellum, atque in sinu complexuque suo iacentem habuerat, licem oculorum, et functionem membrorum, donec hoc munere Virginis accipere vident, et instantur mortales. Atque hoc ita visum, quam dictu inopinatum, atque mirabile. Nam qui ab utero patris caecus exierat, qui que membris omnibus fuerat per omne huius vitae tempus praepeditus, ecce repente, nunc primum hinc oculos aperire, scias communem hanc, qua persequimur omnes, Soli lucem aspiciere, origore festo pedibus consistere, stare, ambulare, prorsus verbum nullum proloqui, (quamquam loqui poterat) sui ipsius inscium, et quasi obstupescitum, et exhorrentem in mirabilem multitudinem, et coetus, quos antea nunquam viderat. Audies parentes remotionem narrare, et in natali die pueri caecitatem, incedendi membris quasi devinctis prorsus ablatam potestatem, nunc tandem post vigilias aliquotiduum, quas egissent ad Virginis simulachrum, cum nondum, quas devoverant, illae fuissent exactae, pueri, parentumque suorum, misertum fuisse benignum, misericordemque Deum precibus, et intercessione Mariae Virginis. Haec quae simulata, et teni, nostraque memoria valde fuisse miracula, si videri que quotidie restantur omnes. Huc aegrotis variis morbis affectis, vehementer confictati, ac paene confecti, medicis diffidentibus, et de aegrotantium valetudine desperantibus, compertantur. Ad hoc simulachrum delati sunt claudicantes, imitiq; paralytici, et aequa quae encure laborantes, si amparum Beati Antonii, et dardastagnanensis, paene excisis aliquotiduum, et in aliorum membro-rum participio, qui pro moribus habitis fuissent, jam jamque omnia, quae ad hunc in finem sunt opus, cum compararentur, et hinc in basilicae A. an. 1601. in. Nat. 1601. hinc quo-

hisque pristinam valetudinem, quae hactenus praepotentis Dominae commendaveram, reddidit, tam ac restitutam, omnia revelabant. Atque mulieres multas constat peperisse foetus, quos jam partu parturiebant, multos partus bonos, et praeteritis meliores fuisse usurpatione, et recondatione istius imaginis, ab ortu abactos, antea cessasse partus, qui ceciderat in puteum, extractos, in flammam, qui se currentes abjecerant, pueros ereptos, alios, cum faucibus premerentur, sustulerent, in illa spinam projecisse foras, multos in portum appulisse salvos, cum pestibus jactatos, non fecisse naufragium. Atque horum, praeter litterarum auctoritatem publicis ob signatam tabellam, et quae signis, tot calices, tot sacrae vestes, tantus cultus et ornatus hominum liberalitate donatus testimoniū dāt amplissimum. Sed pro instituta descriptione satis, pro Virginis dignitate parum, de oratorio praesenti dixisse videor. *sup*

Nstrumentis ad musicum spectantibus, et certis amittentibus absolutis aedificia persequamur, et ab Ecclesiis in nosodochium ingrediamur. Xenodochium istud tale quoddam est, qualia solent esse communia, quod habet Ecclesiam, et in illa sacrum ad condendum, statuentibusque corpus. Afferuntque telia: ut cum necessarium fuerit, sacra Eucharistia deferantur aegrotantibus. In impendio duo loca prius in visam, quam in valetudinariam superiora conscendam, primum cellam penarum refertam omni rerum abundantia, quae sunt ad victum aegrotantium, et convalescentium necessariae, quae haedo, galina, pullis, et aliis avibus appensis, et diem omnium ante jugularis, ut tenerae sint, abundantior. Quae vivae in gallinarum stabulato, longoque multis aceribus, fuscibus, et turticopalaeque tur, et intersperantur, ut opimo sint, et facti semper jecore, cui colla gladium subierint lectoris. Atque haec in interi cubi-

culum cum pernīs vetustissimi petasonis ad jus absolvendum, et perficiendum, ad partem aliquam, cum fuerit opus aegrotis appetentibus, si morbus tulerit, aut plane valentibus post recuperatam valetudinem, torrendam ad ignem, condita asservantur. Nam in cubiculo, quod antecedit, maxima vis est mellis, maximus numerus prunorum, et uvarum passerum. Arcae etiam confertissimae sunt saccharo, avellanis, et amygdalis simplicibus, et saccharo coditis, granis eodem saccharo concinnatis. Armaria praeterea intra parietem perfoesa, hac mulzarum rerum copia, et varietate instructa sunt, et plenissima, ut aegrotantes nullius rei indigere possint, omnibus semper abundare videantur. Haec autem suis in locis conclusa sunt, et ne avidorum oculis exponantur, et rapacioribus manibus tantae suavitates pateant, diligenter asservantur. Deinde paulo inferius, aut superius est pharmacopolium praeclarum et egregium, narthecii undique circumdatum, in quibus medicamenta cujuscunque generis, et diversitatis custoditur ad medicinam necessariam aegrotis omnibus faciendam. Invisamus jam aegrotos sive hyemali, sive aestivo tempore; nam ad utrumque anni tempus, ad illud superiora, ad alterum inferiora sunt valetudinaria comparata, in longitudinem, et in latitudinem pariter: inferius enim aestivum subjectum est superiori, et utrumque ad minimum duplici lectorum ordine instructum, in quibus diligenter stratis jacent pauperes aegrotantes: et in medio ara faciendae rei divinae cernitur excitata. Huic praest moribus, et vita spectata praest, qui procurationem valetudinarii, praeposito fidei oeconomio, et ad munus functionem optimis, et egregie diligentibus ministris, habet. Et quoniam in hac nimis magna procuratione, caput est muneris et officii faciendi curatio aegrotorum: quam adhibere soleant diligentiam administratores nosodochorum, multitudo leviter, aut graviter aegrotantium magno nobis erit argumento: cum non uno duntaxat affecti mor-

bo curentur, sed variis, et gravibus, atque etiam faucii, et a reliquis disjuncti, ex acceptis vulneribus, ex plagis capitis, vel corporis alicui parti paene mortiferis impositis. Cogitemus igitur sumtus, et laborem, et officia caritatis, multitudinem lectorum, numerum maximū aegrotantium, et hos in lectis non jacentes solum, sed etiam graviter laborantes, afflictos, et prostratos, hos assidua febris aestuque jactatos, illos febribus tertianis, aut quartanis laborantes, quarum cum reversione, motuque nihil videatur esse constantius, ubi redierint in diem tertium, vel quia saepe fallaces et fraudulētae in febrim assiduam se converterunt: ut tot homines his morbis oppressi curētur, et aliis pluribus, et gravioribus, qui sunt ex imbecillitate corporum, ex incuria sui ipsius, ex observatione rerum salutarium, et eorum, quae nocere solent, neglecta, neque cogitantibus, neque opinantibus medicis, quia jam multi febricariere, et belle habere videbantur: quot excipiēdi sunt labores? quae molstiae devorandae? sorge pro divitiis, et amplitudine nosodochii locupletis admodum, medicum nobilissimum, atque optimum, curandi scientissimum lectos obeundo singulorum praescribere curationes valetudinis, et postquam a singulis de valetudine percontatus arteriam cōsuluerit, et exploraverit attentissime, cum jam ille naturam, consuetudinem, et causam morborum acceperit, atque ex facultate sua, et ex notitia praesenti jubeat hos in victu abstinere, illorum venam totius corporis aperiri, aut illam, quae tendit ad cor, scindi, alios cōparare corpus, et constituere septenis portionibus ad purgationem, plurimos post epota pocula capere praescriptas purgationes, quia nimium inferti completique sint, et humores crassos, atque concretos stomacho suo collegerunt, tum medicinam fieri nonnullis, qui stomacho erudo sunt, ad illas cruditates depellendas, et ad alias offensiones gravissimas, et cruciatus totius corporis adhiberi remedia necessaria. Ad haec omnia de praescripto medicorum

rum



rum exequenda mandata, dic obsecro, quantum oneris, et laboris dies, noctesque suscipiendum est, cum illa sequi necessario debeat, ut tonsores accersantur, atque chirurgi, illi advenam aperiendam, hi ad vulnera curanda? Non tonsoribus debent adesse ministratores, dum illi venam, quae scindenda est, explorant et observant? dum vitta brachium circumligatum ad venam clarius proferendam patefaciendamque perfricant, et atrectando leviter prolatam jam, et eminentem, solertia maxima, et accuratissime, sine sensu, sine dolore scindunt, sanguine protinus de venis erumpente? ut astrictam vittam laxare tonsores etiā possint, ut vis sese remittat, et impetus cohibeatur belle, et a vide sanguinis subjectam in pateram defluentis? Cum chirurgi vulnera curatum veniant, et homines ministeriis prope similibus utentes non abesse possint, ille terrificus vulnerum aspectus, atrectatio, contractioque chirurgorum, carnificina, quae saepe debet exerceri crudelissima, abscisis et dissectis aliquot corporis partibus sine pietate, sine misericordia, si faucium non vult interire chirurgus, et ut contagio longius serpat atque progrediatur ad necem afferendam, foeditas odoris intoleranda, sanie et tabe non spargente solum, sed pulvinos, et sindones imbunte, cruciatus maximi, dolores intolerabiles, quibus faucii miseri conficiebantur, non ejusmodi suat, ut vires, animum, diligentiam, caritatem, et misericordiam requirant? in hoc maximo curarum, et molestiarum concursu, diurnis, nocturnisque laboribus, illa non parum angere solent, et sollicitos habere ministratores, cum nunciatur aliquis ad moriendum vicinus esse, et adesse debet festinanter sacerdos, qui sacram deferat Eucharistiam: et proculdubio moriturum, ut in corpore jam, et in ore signa videantur mortis manifesta, Oleo sacro perungat. Saepe quidem accidit, ut aegrotantibus occurrendum sit, et animam agenti quenquam adesse necessitas postulet,

O o 2 ubi

ubi autem mortuus est aliquis, et saepe plures, consequitur comparatio necessaria funeris, et sepulturae. Quibus id negotii datum est, ut haec diligenter curent, et exequantur, hi quidem praeclare testabuntur: et in nosodochiis, quanta pietatis materia detur administratoribus, nos optime perspiciemus.

(S)(S)(S)

(S)




TOPOGRAPHIAE

LIBER SEXTVS.

(3.)

ALTIVS REPETITA AEDIFICIORUM exercitatio a suis primis fundamentis.



VM altius aedificiorum materiam repetere constituerimus, ne quid Latine agere cupientibus ulla quidem in parte deesse possit, initio sexti libri primum consideremus, ne quid intactum relinquatur, quod architecti faciunt, antequam illum instituerint aedificium, ut animis prius domos architectemur, quam opus aedificii inchoetur: ne quod multi magnis cum sumptibus fecerunt, facere cogamur, ut ad errores corrigendos, quod exstructum est, id destruamus postea. Quod facillimum erit architectis, si secum exemplar exstructarum aedium commententur, inde cum animis complexi fuerint, carbone, vel atramento delineent, aut rubrica, vel gypso effingant: ut ha-

O o 3. . . beat

beat commoditates omnes, et opportunitates, et insignem spectum, et illustrem pulcritudinis specie aedificium ex omni parte perfectum et absolutum: nihil autem opus sit addere quidquam, vel adimere, vel mutare, quod magna facie operis partem pervertit. Neque pingui solū Minerva lineamenta ducunt ad exemplar deformatum, sed totius operis simulachrum et formam, quasi plasma aliquod effingendum, et fabricandum e ligno architecti curant. In quo licet universum aedificium spectare, et singulas illi^o partes, et earum dimensiones, numerum, ordinem, omniumque rerum, sive ad operis constitutionem, sive ad ornatum spectantium multitudinem, id est parietes, tecta, concla via, columnas, capitula, bases, coronas, fastigia, crustationes in ipso modulo, qui diligenter penditur, recognoscitur, et emendatur, intueri: ut pro simulachri propositi ratione evadat in opportunos usus, et in praestantiam, et magnificentiam illustrem totius operis excellentissima fabricatio. Atque iste modul^o, rudis est, et impositus, non elaboratus manibus, nullo fuce illitus, nullis aspersus coloribus, nullis denique picturis illustratus: ut magis ingenium, quam auctoris manus commendetur: cum illum faber habeat ad partium disquisitionem, quem sequatur, et quo se revocet, si quid aliquando memoria effluxerit, vel si exemplar recordatus fuerit, aut respexerit illud frequenter, erratis omnib^o antevertat. Deformato jam modulo, instituat descriptio totius aedificii. Neque opus est a primis nascentis mundi temporibus aedificiorum initia, progressus, et magnificentiam nostrorum, et veterum hominum commemorari; nobis enim nihil minus propositum est, quam annalium vetustissimorum memoriam repetere, qui non rerum, sed Latine agendi notitiam afferre voluerimus. Quae igitur ad institutum nostrum necessaria sunt, praestitisse videbimur, si memoria repetere iusserimus sermonis Latini studiosos ea, quae sequuntur. Recordentur igitur initio genus hominum dispersum atque dissipatum more brutorum animantium, in silvis

vis, et montibus vagari consueviffe, nullo cultu, nulla humanitate praeditum, paulatim conventus obiri solitos, et ad caeli propulsandas injurias, ad intolerabiles Solis calores vitandos, et ad corpora defendenda contra ventos, nives, pruinas, aquarum vim, et tempestates reliquas, alios e frondibus tuguriola construere coepisse, alios defodisse speluncas, quosdam erectis furcis, virgultis insertis luteos sustulisse parietes hirundinum similitudinem referentes. Quidam ex aridis glebis domunculas extruxerunt materia parietes coagmentantes, arundinibus, arborum foliis, stramentisque tectum induxerunt. Nondum partiti fuerant habitandi sedes, nodum acubationibus epularibus, somno capiundo, neque caeteris familiaribus et domesticis usibus loca notaverat: sed paulatim notabant aliquid, et observabant, quod magis idoneum, et appositum esset ad diversos usus, et opportunitates. Itaque mortales progrediente tempore, crescente magis in dies humanitate civili, ad sacra, profanaque aedificia, ad publica, et privata, ad varias et multiplices utilitates, ad delectationem, et amoenitatem, ad ornatum et splendorem, ad regias arces, ad colossos immodicos, ad pyramides excelsas, ad amphitheatra illustria, ad sepulchra magnifica, ad porticus, thermas, ad reliquam aedificiorum magnificentiam extruendam, tollendamque pervenerunt: sic architectura ab exiguis initiis profecta, magnis accessionibus, et incrementis in tantam aedificiorum magnitudinem, et amplitudinem ascendit. De quibus quondam supra diximus, nunc de partitione aedificiorum pauca dicamus, si volumus materiam aedificandi perfectam absolutamque relinquere.

AREA.

Primum igitur aream consideremus angularem, aut rotundam, rectis lineis, aut flexis, in quibus inest venustas summa, quem-

quemadmodum si affuerint, summa etiã inerit deformitas: et quamquam multa sit varietate, et in angulis, et in singulis partibus; ex parium consensione concinnitas efficitur, et elegantia mirabilis. Possumus autem in areis angulos rectos, vel acutos, cum opus est, aut obtusos, qui decori putantur, et concinni, considerare. Area rotunda multum capacitatis habet: quae habuerit angulos projectos, cù inter se pares, et aequales habeat, necesse erit, ut ad proportionẽ lineae dirigantur, et currant. Area autem vel in plano loco, vel in acclivi, aut in summo jugo montis ponetur. In plano tollendã erit, et podium quasi substrato altius a terra excitanda: habet enim exaggeratio dignitatem, et vim maximam contra fluminũ alluviones, et imbres, qui limum, et rudera cõvehunt in planiciem; unde tumores, seu tumulos paulatim existere, et circũeam carduos, lappas, et alias agrestes, et inutiles herbas nasci videmus. Quoniam vero area plurimũ firmitatis habere debet, fossione una, et altera, intervallo interjecto; densitatem, raritatem, et mollitudinem indagabimus ad explorandã vim, et stabilitatem oneribus aedificiorum sustinendis necessariã. Quamobrem fundamenta jacienda sunt firma, fortia; quae magnitudinem aedificii summa cum firmitate sustineant. In quibus ponendis terrae ratio habenda erit; alia siquidem sabulosa, alia arenosa, alia calculosa, et alia demum diversi generis est. Reperienda semper solida cutis est, atque densa, et usque eo aedificiorum fundamenta fodienda; quoniam illa propter soliditatem portandis aedificiis est omnium maxime idonea: sicut congestitia, aut ruderibus confusa tellũ, omnium minime. Caeterum concreta illa, et solida cutis alicubi tam est dura, ut nec ferro facile cedat. Sic aedificandi sunt parietes crassitudine debita supra terram exstantes. Cum area amurca conspersa fuerit, ut combibat plurimũ, et bene comminuta terra videbitur, et cylindro, aut pavicula cõaequata relinquatur.

PARIETES.



Vim domus ita sit aedificãda, ut partitione facta ratio temporis habeatur, et loci; parietes, qui totum aedificium sustinent, neque tenuiores, neque crassiores erunt, neque desiores, neque sublimes, quam aedificii modus postulat. Decorantur parietes nõ magnis solum, sed exoticis, idest peregrinis, et adventitiis lapidibus, et difficili advectis via. Multis in locis ex marmore sunt puro, cãdido, pellucẽti; ut quamquam clausis foribus, intus inclusa lux videatur. Atque cum illi ratione summa modum, et ordinem teneant, ut pari paribus, dextra sinistris, summa infimis cõsentiant; neque quidquam intermixtũ erit, quo aut res, aut ordo perturbetur, omniaque ad certos angulos paribus lineis aequata: sed parietes ornat crustatio. Et quoniam crustationum aliae sunt inductae, aliae adaectae; inducitur gypsum, aut calx; adigitur lapis, et vitrũ. Hujusmodi prioris generis sunt albaria pura, insignita, pictoria; posterioris, scetilis, tessellulata, vitrea, et quae ex his miscetur. Crustationibus non minus, quã tres tunicae arenationum, siue cutes adigendae. Primarũ officium est parietis superficiem prensare arctissime, reliquasque continere; extremarum vero, expolitionum, colorum, lineamentorum venustatem expromere; mediarum, vitia utrarũque emẽdare, et prohibere. Etenim si ultimae, supremaeque fuerint acres, et mordaces, quales primas esse decet propter acrimoniam, dum siccescunt; crebris rimulis interscindentur: si primae fuerint molliores, quales debent esse ultimae, non comprehensabunt tenaci morso parietem, sed deciscẽt. Paries autem, quo erit recentior, et asperior, eo arenationes densius continebit. Quare si inter austruendum, et dum viret opus, primam quamvis tenuem arenationem induxeris, capus superinducẽdis tenaces praestabit. Post Austros cõmo-

de satis omne crustationis opus inducetur. Per Boream, frigus, et aestum, inducta scabrescent, praesertim cutis ultima. Ut autem diversitatem parietum omittam, directum parietem ad parietem communem adjungere, vel solidum, vel fornicatum, omnibus jus erat. Cum vero rudes sint parietes, tectorum eos inductum decorabit. Quanyis caeteri plurimi venustatem habeant, venustiores tamen plerumque habentur fenestrati: quemadmodum pessimi sunt, et periculosissimi, qui ventrem faciunt, cum medii evadant prominentes, aut turgent extra perpendicularum. Atque in parietibus vel lapidei sunt, vel calcamentitii, et quadrato saxo, aut cubo, et lateribus igne percoltis, vel lateritii exstructi, et rudis lateribus, Sole tantum coctis, atque duratis. Reliqua parietum discrimina suis ex locis potest studiosus adolevens exprimeret, nec detectis agendum est.

TECTA.

TECTA parietibus imponuntur ad nos tuendos, et defendendos ab injuriis caelorum, aëtus tempore, a Solis ardoribus, hyemali vero asperitate, a frigoris magnitudine, a nivibus, pruinis, cunctisque tempestatibus. Tutela jure quidem optimo totius dicuntur aedificii, qua sine putrefacta aëtheris humoribus omnem materiam, labascere parietes, histere latera, sensim distrahi, solvique compositione, et operis coagmentationem tantam sine dubitatione negavit unquam nemo. Id quod ex negligentia habitatorum licet animadvertere. Nam cum aedes conduxerint pigri et negligentes, in refarciendis tectis, aedes comparatas, expolitas, factas probe adamussim, probatas omnibus, et inde petitas, ut exemplar ad aliarum aedium aedificationem, sic parum curant, ut cum tempestas confregerit tegulas, imbricesque, imbre parietes madesiant, ipsa tigna perpluant, putrescat aëre-

materia, neque tecta refarciantur: usque eo relicta ruunt, ut parietes, et totum ad terram trahatur aedificium. Tegulae sunt, vel planae, vel cavae hamatae, quas ita collocant officinatores, ut imbrices duos singulis conjungant. Hinc pugillares, et abaci turrium, et tecta templorum venustate mirabili condecorantur lapidibus assulatim fractis: quae propter latitudinem suam tegulae, latastra nonnullis appellantur. Quod si quaeratur ostentatio major ex lapidum sectiliis crustis, seu bracteis, quarum aliae super alias inhaerent, tecta construuntur ad caudae pavoninae speciem, quae prae se magnificentiam illustrem ostentant, et jactationem habent superbissimam. Haec autem tectorum culmina, pyramides, pinnae, metae ad ventorum flagus indicandos, bracteas, petalia, tritones, vexilla, gallos, semi-lunas, Soles, stellas collocatas habent: quarum circumactu celeri, in quam partem ventus fiat, internoscimus. Denique tecta testudinationes suas, et crustationes habent ad delicias, et venustatem maximam maximis impensis factas, et arte non minorè fabricatas: quae vel elaboratae pictura sunt, vel lapillis pulcherrimis stratae: unde lithostrata dicuntur, sectilibus etiam tessellis, id est parvis crustis, versicoloribus opere musivo, et quadratis gradioribus distinctae.

APERITIONES.

IDEAMUS apertas multarum aedium partes, vel lucis accipiendae, vel domesticarum utilitatum causa, per quas dantur introitus, et exitus ad usus communes. Prima de causa fenestrae aperiuntur, altera, spatia inter columnarum, scalae, putei, cloacae, gula camini, praefurnia, aestuaria. Fenestrae vetis affabuntur salutaribus, et pòdas habebunt humiles, ut cum aperiatur, affletur incolarum corpora. Quae ventis

opponitur nō salubribus, ita sublimiores constituatur, ut interjecto pariete ventus a corporibus prohibeatur. Aestiva conclavia, quae spectant ad Septentrionem, fenestras postulant ampliores, meridiana ora propter Solem angustiores: sed uniuerse, quae lucis gratia fiunt, altiores debet esse: ne lux interuentu mortalium adimatur, et obscurentur media die loca, quae fenestris humilibus praedita fuerint. Ostia quadrangula fere sunt cum arrectario transversario, et intersepto in crucis similitudinem, nonnunquam arcuata cum januis appositis, pro latitudine, altitudineque ostiorum: quae multo fient altiora, quam lata sint, ne demittere caput introeuntes, et exeuntes necessarium sit, et cum non animadverterint, capita laedant humilitatis offensione. Intercolumniorum ratio praecipua sit, ne columnae graciliores sint, aut rariores, quam ut tectum sustinere valeant; neque crassiores, aut frequentiores, quam ut areae spatia ad rerum, et temporum usum expedita relinquantur.

SCALAE.

Restat, ut de scalis, et de camino dicamus. Scalae sic attollendae sunt, ut neque gradus plurimi, neque multum areae occupent, non amplius decem gradus, aut duodecim adigentur. Ad hos accedet areola substructa, qua fessi, et imbecilles intervalla requiescitis habeant. Quod si forte labantur, habeant, ubi sistant, sustineantque sese: ne delabantur in extremas usque scalas. Cum duabus prorsus areolis interceptae fuerint, ita laudabuntur ex hac parte scalae: quae cum luminosae fuerint propter fenestras ad hortos, vel ad impluviū spectantes, tum propter scalarum os, quod impluvio vicinum est, et propter aditum, quo in porticum superiorem ingredimur.



CAMINVS.

DE camino dumtaxat dicam, illū ita tollendum esse, ut gula foci absit a materia longius, quae scintillis dissiptibus, vel concalectis trabibus ignem concipiat: qui flammam arreptas disijcit atque dissipat, maxime veto flante vehementi.

PERPENDICVLI DESCRIPTIO.

SAepe repetivimus aedium partes ad perpendiculum exigendas; quod autem sit instrumentum istiusmodi nō descripsimus. Describam igitur illud ex Vitruvii scriptis. Perpendiculum instrumentum est fabrile, quo exploratur, num ex aliqua parte structura proclinet. Comparatur ita. Per regulae medium, quam longa est, deformatur linea; propendet ex filo glans plumbea a summo ad imum per eandem lineam: haec regula cum admoventur structurae, si recta fuerit, filum, unde plumbum pendet, totam descriptam lineam tanget: sin aliqua inclinatio, filū ipsum a linea discedet. Haec Philander in Vitruvium.

DE COMPARATIONE RERVM

QUONIAM superiora praestari non possunt nisi provisione, comparationeque rerum ad aedificationem necessariarū, cum iam singulis modulorum partibus animadversa, perpenla, perceptaque fuerit tota fabricatio; ut ad eandem rationem architectus aedificium moliat; prima cura sit conquirendi, comparandique lignum, lapides, aes, ferrum, reliqua cumque rerum vim necessariam. Arborea caedendae sunt, quae priusquam securibus sternantur, tendendae sunt, ramis circumquaque amputatis, quod ad siccitatem, et ad operis firmitatem ului semper erit maximo: deinde

de ad mediam usque medullam incidenda est arboris crassitudo, et per aliquod tempus relinquenda, dum per vulnus factum humor, et succus, tanquam sanies defluat, et arbor siccescat: ne propter humores in eis conoretos putrescat, et vana evadat: aer enim exiccitatem astringit, astricta comprimis, compressam in veterem firmitatem restituit. Atque arbores reponendae sunt in eo loco, quia Sole non ferveat, umbriflore scilicet, et ad quem venti molestiores non afflent. Sic firmabuntur et stabilientur, ne super incubentium onerum pressus inflectantur, nec suo podere parietibus periculum creabunt. Omnes autem arbores non ad eosdem usus affectas sunt, sed aliae ad alios usus habiles et idoneae; haec ad laminas, aedificas, sculpturas, intestina opera, aliae ad contignationes, trabecationesque fabricandas; aliae ad ianuas, portasque civitatum, valvasque templorum, ad lectos, ad subsellia plurimum valent; aliae denique ad sanctorum simulachra, signa, tabulas, magnam vim habent.

Non solum ligna, sed lapides comparandi sunt. Et lapideidinis autem, (quas Graeci latomias vocant) lapides caeduntur. Videntur autem lapides albo esse, fuscis, pellucetes, arena inasperos, et foveillis aureis intermicates. Ut quilibet lapis magis purgatus, ac limpidus erit, ita magis perpercusus est, magis autem integer, summas venarum habuerit. Caesos lapides praegrandes traha, vecte, gerulis ad arbitrium agimus; quoniam manibus praemagnitudine movere non possumus: minutos una manu tollimus, et ubi voluerimus, collocabimus.

Non ex lapidibus solum, sed ex lateribus pedes construuntur. Lateritium autem opus est huiusmodi, quod

quod cum initio lapidum inopia fieri coeptum est, paulatim propter usum, elegantiam, et perpetuitatem aedificiorum ex lateribus exaedificatum est. Cum homines experientia cognovissent malum ad lateres firmandos, et densandos ignem valere, testaceo opere (sic enim lateres cocti dicebantur) obmucillata facta sunt, cum crudi dicerentur, qui ad Solem siccabantur. Ducebantur ergo lateres non de luto arenoso, calcuoso, sabuloso, ne gravitatem et pondus injustum habeant, ne cum ab imbribus in pariete maduerint, paulatim dilabantur, ac dissolvantur, ne praeterquam quae ipsi admiscenda sunt, paleae propter asperitatem nequeant conhaerescere. Sic fiebant ex terra albicantibus, cretosa, si ve de rubrica, aut etiam maseculo sabulone. Vora autem, et Autumno ducuntur. Neque statim, ut ducti fuerint, in fornacem immittentur, nisi valde sicci per multum tempus ad umbrosam partem, quam ad Solem, Nolunt autem tangi lateres per solstitium, nam cum summum eorum Sole coequatur acerrime, manebunt in tenores humidi, cum foris praebent speciem aridum, atque illud comaequi necessarium est, ut siccescendo arefacti contrahantur, deinde interrumpantur pleniarum, et ob eam causam infirmiores evadant. Quantum autem roboris habeat siccitas laterum vel ex eo intelligi potest; nam si in structura recentiores collocentur, non aequabiliter cum inducto tectorio non resistent, contractaque refugient, ac retrahentur disjunctione facta; tectorium postea propter suam tenuitatem, cum pensae consistere nequeat, frustulatim decidet, parietesque disjunctione vitium facient. Quamobrem si fuerit necessarium fieri lateres hyemali tempore, quam sicca statim arena cooperiendi sunt; sit tamen aestivo, humectis paleis, ne fundantur, aut tollantur. Quem admodum autem fiunt lateres, satis omnibus constat: cum inferatur in formam materia laterum, subigendoque in longum trahatur, et produatur ad pultam

formae dimensionem: quam cum materia compleverit, superinducto radio coaequatur cum forma, et factus educitur de forma later pro longitudine, brevitatemque ejusdem formae, in quam inclusa materia fuerat.

DE CALCE.

Dvo sunt necessario praeter ligna, lapides, et lateres ad operis coagmentationem comparanda, calx, et arena. Ad calcem efficiendam lapides sumemus aridos, putrescentes, exhaustos: quae de saxo albo, praeduro, admodum spisso, aut silice, valde probatur. Lapides autem ardore flammarum in calcem rediguntur, non minus horis sexaginta. Postquam intra se latentem ignem calx cohibet, aqua superfusa exardescit, qua tamen ignem extinguere cernimus: oleo extinguitur, quod ignem pascit, et auget. Extincta autem calx cum materia ad aptam temperationem confundatur, ut una pars cum tribus arenae fossitiae, et rursus cum duabus fluviatricis, aut marinis permisceatur. Quod si testam tusam, et succretam ex tertia parte utriusque generi arenae adjeceris, ad usum ex temperamento proficiet. Non probatur calx, quae ex fornace appropinquatur glebis non integris, sed resolutis, et valde pulverulentis; neque idonea existimatur ad opera: itaque probatur, quae ignibus purgata, candicans, levis, sonora sit: quaeque, si aspergas aquam, multo crepitu vim acrem vaporis, evomit, et tollit in sublime.

ARENA.


Vltima restat arena, quam video tripartitam fuisse, fossitiam, fluviatricam, marinam. Fossitiae, quae maxime laudatur species sunt, quae sequuntur, nigra, cana, rubra, carbunculus, glareosa. Inter omnes fossitias carbunculus communis datur. Pinguis equidem arena, et optima quidem in suo genere

nere habebitur, quae manibus confricata stridorem edit: item nihil habes asperitatis. Terrosa etiam laudatur, quae projecta in vestes candidas, et inde excussa non foedatas relinquit, neque terram dimittit. Non bona, nec commoda habebitur, quae per se lenis colore, odoreque terram luteam imitabitur: item ea, quae intra aquam exagitata eam valde turbabit, ac limosam reddet: quae quoque in area relicta statim herbescit: quae denique dudum coniecta, diu sub aere ad Solem, ad Lunam, ad pruinas jacuerit, terrosa, et putris evadit. Ex his, quae de calce, deque arena dicta sunt, intelliges quemadmodum arenatum faciendum est, et quae tectoria arenati fundamenta maxime solida sint, et de glareis, deque calce, quemadmodum tectoria tunicae fieri soleant. Ingrediamur jam in aliquot aedium partes, et magis humiles describantur prius, cum his, quae in eisdem continentur.

EQUILIA.

EX locis cujuscuque aedis humilibus, inferiora sunt et humiliora equilia, quae foeda sunt, atque deformia, male semper olentia, et fordidata stercore animalium, fimoque deterrimo: in quibus parietes tostos, ac deformes, et tecta squalida, et araneis multis obducta videbis. Praesepia ex limo, ac lateribus, vel ex tabulis confecta, tantum a terra excitata cernuntur, ut paleas, et hordeum in praesepia coniectum equi, vel jumenta, quibus utimur, sine difficultate capessant. Non ab illis distare solent palearia, ut famuli paleas ad pastus equorum cum hordeo commiscendas cribris pertusis, quae ad hos usus conficiuntur, in promptu habere possint. Atque haec ratio haberi solet equorum domi pascendorum; ut cum servi matutinis, pomeridianis, et nocturnis temporibus pastus equorum partiantur, singulis suis pastibus praestitutos medios hordei compledo: hordeum ab illis purgetur in cribro, et excutiat pulvis, quem idem hordeum in horreo col-

legit, aut in locis, in quibus conditum est, et asservatur: et versando saepe manu, ne lapis aliquis, ne quidquam sordium abditum sit intra grana, vel infra hordeum, quod non auferatur, cum ipsis paleis commisceatur, maiore parte hordei supra paleas sparsa atque diffusa: ut cum illud appareat, et videatur, appetat illud equi protinus, et in hordeum, quod praesens cernunt, ore ferantur inhiante, et non magna etiam dominante fame devorent avidissime. His etiam temporibus bis saltem singulos dies providere jumentis famulos a quatione necessarium est, aut eos pastos, atque repletos agere ad bibendum in puteum, vel in pilas domesticas, aut lebetes ori admovendo plenissimos, sitime quorum explere. Maximae curae servis eisdem debet esse purgandorum identidem equorum, et abradendorum strigilibus, quos illi continuo, cum pulverem excusserunt, linteolis abstergunt tempore suo crassis, quae per totum corpus ducta, reductaque trahunt, et quidquid pulveris apparet, aut insedit, attrectatu, quassuque strigilium colligunt. Lavant etiam servi caudas, et colla, crines non abluunt solum, sed peccunt, poliunt atque perpoliunt, ut longe nitere et splendere videatur: maxime cum inferto ventre opimi sunt, et valentes, atque multos quieverunt dies. Sursum hos, atque deorsum, ita nitidos, ac bene pexos agunt idem famuli per viciniam, et in fluvium extrahunt ablutum, refrigeratumque satis bene mane, aut occidente jam Sole aestus tempore gravissimo. In aequilibus hyeme praesertim propter vim frigorum operimentis laneis obducuntur equi, et ad aequilibus sordes cum jacuerint humi corpore non colligendas. Hic locus erat de equorum ornamentis dicendi, sed prius de araneis in aequilibus ipsis non paucis existentibus agamus; ad equos postea nostra redibit exercitatio, ne ex omni parte infima videatur, et contemnenda aequilibus praeposita descriptio.



A. R. A.

ARANEI.

HOC in loco foetido, atque tam valde tetro licet laborē, et industriam araneorum intueri: qui cum corpore exiguo sint, sed cruribus longissimis, quae triplici nodo interjecto distinguuntur, colore plerumque nigro; tanta vi, et virtute alvi praediti sunt, ut telas singulari artificio texant tenues admodum, et perlucidas, quas a medio instituunt, et persequuntur in orbem circumducendo aequabilitate mirabili, et maculas paribus intervallis, sed paulatim crescentibus, exiguas, et angustas, latiores, et ampliores texendo, nodo indissolubili neccunt atque implicant: tanta plerumque vi, et firmitate incredibili, ut nullo aere effluente huc, et illuc, nullo vento vehementiore, neque immoderata tempestate dirumpi visae fuerint. Sed quam longae saepe textuntur, ut a terra in tectum usque perducantur? quam amplae, ut concamerationes amplissimas tegant, et ab arbore una in alteram explicatae, ductaeque protrahantur? quod si telas casu aliquo scindi contigerit, easdem ipsi aranei politissima arte reficiunt sarciendo sic, et ornate politeque resarciendo: ut nihil pictum, et politum magis, tanque apposite, et tam subtiliter effici potuisse singulari hominum solertia, et arte confirmare valeamus. Haec sunt aequilibus aulaca, his tectorum suorum altitudo, parietesque vestiuntur; quo muscae non audent semper accedere, ne araneorum telis, tanquam laqueis irretitae implicataeque mancant.

EQVVS.

PRAESTABIMUS fidem, quam dedimus, equorum ornamenta commemorandi, cum equum prius bonum praestantemque descriperimus. Quae autem equum equites habituros fuisse putatis, nisi omni praestantia, cunctis sui corporis partibus ex

Qq 2 cellen

cellentem, huius similem, quem a me paucissimis verbis accipietis? hui, quam caput aspectu iucundum est, aures illius breves, oculi ardentes et inflammati, nares apertae, atque patentes, quia compressis spirare non potest, collum incurvum, et ad gallosum similitudinem, quod inflecti queat in omnes partes, pectus latum, et perlucidum. Femora plurimum nervorum habeant, necesse est, latera cum densa sint, tum longa, et propinqua ventri tumentia, alvus autem prominens, genua facilia, et ipsae tibiae flexibiles. Quam coma ad speciem venustissima erit? illius ornatum intuemini. Quam jubae defae, decollo delapsae, ablutae, bene pexae collum cohonestat, et clarum et illustre reddunt? quam altae scapulae? pingues, latique nates? quam cauda apposita satis ad pulcritudinem longitudine sua, et ad usum muscarum abigendarum habilis, ad intorquendam et inflectendam cum voluerit, ad protrahendam, et contrahendam accommodata? Quacunque praeterit, progreditur crepitu et unguium multo fragore suorum ubique personantium, perstrepsens sonis, quos moribus fraenum mandens facit assidue, versans et agitans linguam, atque illas spumas ad ferocem ostentandum spiritum agens, quibus habenae madent, imbutum est lupatum, atque adeo ora redundant. Has foras ille projiciens spargit, sternitque vias humore coacto spumarum albenti. Hinnitibus interdum omnia loca complens tanta popa corporis progreditur, ut vix locus ullus, non illum plateae capere posse videantur. Nullus illo melior, nullus elegantior, ex optimorum, et praestantissimorum numero apparet equorum urbanorum. Lactus et alacer ad suscipiendos cursus, et alacritate mirabili conficiendos aspicitur, quem fraeno ad voluntatem suam eques moderatur in omnes partes, dirigendo, versando, flectendo, revocandoque cum opus fuerit. Venustissime consistit, etiam si illum non sustinuerit eques, neque opus est ad equum incitandum jubas arripere, aut loris percutere, aut admoveere calcaria, vel sibilis inflammare. Vide illum stratum, atque

que ornatum fraeno, et bullis ex eo pendentibus, monili elaborato, cum nolis jucundissime personantibus, sella, stapedisque pulcerrimis, caeterisque ephippiis insigniter decoratum. Pexus, atque comtus accuratissime collum inflectit, et exultat saltu plurimo superbiens, et in hanc, et in illam partem leviter se inflectens praebet speciem, et ad pompam, et ad aspectum oculorum clarissimam.

EQUI ORNATI SECUNDA

descriptio.

BREVIVS describetur equus in hunc, qui sequitur, modum. Nitet et splendet mirum in modum equus ille pulcerrime, et magnificentissime stratus. Quem fraenatum videre erat, et stratum, et bullis pretiosissimis, ephippiis sericis, stapedis ex utroque latere pedentibus argenteis ornatum. Atque ipsum ephippium tegumento deaurato elaboratum splendebat, quod cingulis sericis ne deflueret, retinebatur acerrime constrictum: quo cum eodem opere antilena, et postilena politissimae congruebant. Caput autem magnam habet speciem propter fraenum bullis ornatum venustissimis, ex oreis, et aureis simili splendore fulgentibus. Atque ipsum lupatum totum ex argento factum est, quod cum cratibus, echinis, rotulis, annulis, et circulis, morsum multo percrepans, sumatuosum est, et splendidum. Adde phalcras, monilia nolis, et sonalibus argenteis distincta, quae quacunque equus praeteribat levissimo motu, et jactatione crebra corporis pulsa resonabant.

DESCRIPTIO IVMENTI.

IN hoc etiam equile conjiciuntur jumenta, inter quae asinus praetereundus non est, qui ante usum equorum primus hominum viribus subjectus est atque prostratus:

qui facilem, et onerum perferentem se praebuit ab initio, nullum laborem fugiens, nullum devitans onus, neque calcitrando, neque retrocedendo resistit unquam, paleis, et carduis contentissimis contentus. Quod ad caetera spectat tardus equidem est, quae pungendo, et fuste stimulando properare facias. Nam ut se moveat ocyus, et acceleret, pungitur, et stimulatur acriter. Torpore hebescit, et desidia multa, nisi excitetur ad operas. Adeo stupet, ut ad stultitiam, et stuporem fatuorum notandum, nomine asinorum afficiamus genus hominum stultissimorum. Neque asini quam obliviosi sint, dici potest, cum semper pungendi, et excitandi sint ad progrediendum. Vix unius leucae spatia conficiunt, cum fessi ex itinere consisterent, nisi plagis, et fuste multarentur ad iter reliquum persequendum: sunt enim imbecilli natura, viribus infirmis. Quos vides quotidie acuto capite, longis auribus, quas modo erigunt, et singulis intervallis movent, fusco, aut nigro colore, hispidos, et vilis tactos. Illi clitellas perferunt cingulis sparteis praecincti, et interdum in morem equorum strati cum sella, et fraeno vehunt homines fessione quamvis molestissima; quia illos semper agere, et stimulare opus est: cum fessi in medio itinere deficere soleant. Illud autem boni portant, quod minime periculosi sunt; cum enim plerumque parvo corpore sint, et pacati valde, non deturbant hominem de sella: et si ceciderit, quoniam minime de loco alto cecidit, nullam corporis partem offendet. Cum rudere frequenter soleant, molestissimi sunt vicinia; cum illis, qui sunt generis sui, correspondent illico, et non in exiguum tempus: maxime cum conficiant alterum sui simile animal, ad quod ire continuo avent: et si soluti sunt, rudentes semper accelerant festinantque currendo. Cum carduos silvestres, et tribulos pascant, infesti sunt passeribus, qui nidos construunt in his herbis: illis enim rudentibus, et quassu corporis, et avium motu, agitando, et jactando huc, et illuc herbas, pullos decidere de nido, destrui nidum, et everti, atque ova frangi necessarium est.

Quam

Quamobrem matres quamvis minimae in faciem, et in oculos involant asinorum: et quomodo possunt, rostro impetunt, et cum vulnus aliquod factum intuentur, pungendo, et acriter fodiendo saevum amplificat vulneris dolorem: ita urgent, et premunt asinos, ut a nido discedant, ut contra morsus avium istarum vix tantum animal se tueatur atque defendat.

COQUINA.

T apparet ex fumo, qui decamino foras erumpit, hoc in loco coquina videtur esse: nec multa fuerat opus divinatione, cum extent ante aditum vestigia rem coquinariam agentis. Ipsa autem non nitet equidem, sed nigri sunt parietes, tosti etiam multis in partibus, aspersi fuligine; et tota pisces, et escas redolet, et quamquam quotidie verratur, nunquam tamen purgata sic erit, ut non inquinetur mane, vespereque: quod totos dies, et magnam partem noctis coquinariam facere cogantur istius facultatis artifices. Quo tamen facilius apparentur omnia, suis in locis vasa coquinaria disposita sunt, et apte collocata; partim ea pendent de clavis, vel transversa ponuntur ab uno in alterum clavum, ut verua propter longitudinem. Videamus igitur armaria coquinaria, in quibus scutellae sunt, et scurellulae, aliae aliis impositae pronae, quae concavae sunt, rotundae ad jus deportandum, et ministrandum factae. Cum illae rotundae sint concavitate plerumque, non raro cum ansis ab utraque parte sunt, quae plenae juris, et in patellis ad majorem urbanitatem collocatae ministrantur: ut si quid de jure deciderit, in patellam potius subjectam, quam in pavementum, vel in ministratoris vestes delabatur. In aliis sunt lanceae, patinae,

patellae, catini, paropsides, et alia vasa escalia, quae partim plana sunt, et ex omni parte acquabilia, partim in medio concava, omnia vero crepidinem suam habent in circuitu, pro cuiusque proportione vasis. Ollae sive aeneae, sive fictiles in armariis etiam collocantur, quacunque forma sint. Cum a summo contrahantur, et in fundo, promineant autem, et turgescant in medio, duab' fere sepe sunt ansis, ut utraque comprehendantur manu, nec tam facile elabi possint, et ad sublevandas, sustinendas, movendasque de loco suo facilius, completas praesertim carnibus: quod non raro fieri solet ardore flammaram ebulliente jure, donec sedatum compressumque resederit, ut iterum in suum ollae focum restituatur. Cum ollis una sunt cooperacula majora, vel minora, pro ollarum, quae regendae sunt, ratione. Inter ollas numerantur tripodes, et chrytopodes, quibus ad ignem applicatae ollae sustentantur in coctilia opera, quae fusili sterno incrustatae sunt ad aeris obliterandum saporem, eadem sunt forma cum superioribus. Auxillae parvulae sunt ex argilla, vel aere factae, summae rotundatae, extremae acuminatae sunt, leviter a medio tumet. Vitis etiam coquinae inserviunt sartagine minores, aut majores, magis, aut minus concavae ad frigendos pisces, torredas ve carnes: de clavis appesae sunt ab extremo manubrio perforato. Verua, et verucula longiora sunt, et acuminata figendis carnibus, et assandis facta, et propter illa cratenterium, in quo verua vertebantur inter assandum, cum rudi quondam saeculo, et ubi desunt istiusmodi fulcra aetate nostra lapidibus non nihil excavatis verua imponentur. Alia multa instrumenta coquinaria numerari possunt, sed jam coquum contemplerur operas rei coquinariae varias dantem, et a primo dileculo, tum quidem cum ignem facturus est. Ad hunc ille excitandum fomitem habet, et sulphuratum, ut simulatque scintilla ex caelo silice in fomitem insilierit, sulphuratis admotis ignis ex flamma sublata concipiatur, et congestis lignis aridis, et ad ignem concipiendum facillimis incipiat com-

pa-

parare prandium. In quo comparado quam occupat' est? admove-re ollas plenas aqua, carnibus complere, follibus ignem excitare, assulis, et alia materia alere, fovere, in pilam injicere aromata, pistillo contundere, saepe, et saepius revisere ollam, curare quam recte concoquendas carnes, et ad vescendum suo tempore afficere, de fumario, quae pendebant, et erant satis infumatae, carnes aliquot tollere miscendas, conjiciendasque cum aliis in ollas, interea dum fervendi tempus accedebat ollae, res alias agere, et comites jubere per se comparare, veribus affigere, et ad ignem admove-re, versare in orbem, torre-re non comburendo. Videas hunc purgare quidquam, alium fricare, alium abstergere vasa necessaria, recurrere non raro ad res ad ignem appositae, ipsamque revisere saepius ollam, batillo prunas tollere, transferre alio, modo admove-re propius, forcipibus prehendere, tudiculis cochlearibus spumam deducere, quae coquantur agitare, spumam ipsam interciperere cochlearibus perforatis, unde, quantum acceptum fuerit juris, refluat in ollam spuma sola intus concreta manente, quae projiciatur in vasculum proxime admotum, tanquam fex ollae deterrima. Debet coquus suis temporibus delibare jus, si bene sit affectum, experiri, spargere ollam sale necessario, si paene perfectum probaverit, injicere herbas, cicera, petasem ad jus absolvendum perficiendumque, denique creagris seu fusciculis extrahere carnes ad explorandum, quantum coctae sint, satis ne, vel non admodum, vel profus sane: ut si paululum ad ignem relinquerentur, metus esset, et periculum, ne destruerentur, discerperentur ve, vel dilaberentur partes aliquot, nec quemadmodum mos est in mensam inferretur integrae. Quamobrem datur opera, cum bene coctae sint carnes, ut separantur paululum a foco, ne jus exhauriatur fervoribus, aut carnes siccatae adhaereant interiori testae. Quoniam vero nihil tam necessarium est ad culinae res agendas, quam aqua sive frigida, sive calida, de climactere lebetes, et athena suspenduntur ad aquam calefaciendam. Et quoniam non saepe ca-

R r lida

lida requiritur, sed tepida, aut contra fervens, deflagransque, in orbem usque necessarios tolluntur, aut deprimuntur uncino, unde suspensa manent semper aliena. Frigida ad usus necessarios, ad lavandas carnes, ad abstergendū aliquid, ad purgandas herbas, et alias res diversi generis per siphunculōs epistomio versato, quo obturabantur, aut patebant, erumpit. Haec quoniam quotidiana sunt minus habent laboris; nam assarum, coctarumque carniū ferculis duobus cōtenti sunt plarimi. Cum autem convivium parandum est magnificum, ut omittam primas, et secundas mensas, in mediis ferculis instruēdis quam desudat coquus, et laborat, et angitur cum coadjutoribus? Carniū enim quot differentiae sibi sunt instruendae? quot assae? quot elixae? quot coctae? quot concinnatae suavissimis aromatibus? In tanta saepe ciborum multitudine, et varietate versatur, ut multi coadjutores comparandis, instruendisque dapibus non sufficiant: corrogādi sint foris plures coqui, qui comparent una dapes varias, et multiplices. Itaque videas a media nocte in meridiem usque, quod tempus est prandendi, in harum epularum apparatione totos occupatos esse coquos, focum stridere flammā per caminum in sublime ascendentium crepitu plurimo, percrepare totam culinam strepitu tumultuque coquorum, personare vocibus petentium, et jubentium res ad officium spectantes, pistillorum incitato, frequentique sono totam contundi viciniam, pilis, et mortariolis videri coquinam redundare, ictus ubique locorum carnibus inflictos exaudiri. Postquam de uncis carniū frustra, quae confixerant, ac prehenderant coqui, et lanii, sublata sunt, coadjutores incipiunt, et idem coqui gladiis partes maximas praestare, hi secare medias, alii dividere in frustula, concidere easdem minutatim: ut ex his carniibus suo modo conditis, pilulas, vel artocreas, vel quadras aliquot, aut orbem conficere, aut aves inferere aliquot, aut sine aliarum admixtione carniū conditiones aliquot, et varietates

tates ferculorum mittere valeant in mensam. Quid cum Anglice, cum Germanice, cum Italice quidquam instruendum est, et concinnandum? cum aves vitulina carne coquendae, et cum petasone mixto faciendum, ut jus ipsum sapiat, et ejusmodi sit, quod aspectu suo, quoniam herbis, ovis, croco, pipere conditum est, et avium bonitate praestanti, ad absorbendum invitet, et haustum mortuos (quod dici solet) ad hanc vitam reducat? Cum multum pullorum, cum multum cuniculorum dandum sit? cum comparandi pavones regii, cum Hispanae, cum Anglicae artocreae conficiendae sint, et earum mille differentiae? cum denique leucophagum efficiendum, quod nullis unquam mediocribus conviviis defuit, et splendor jam et ornatus prandiorum propter illius ministrandi quasi necessitatem convivis allatam usurpatur multa celebratione mortalium? Atque cum haec, et alia multa, quae secundis in mensis numerantur, et ex quibus ferculorum tot varietates differentiaeque conficiuntur, laborem ad suam absolutionem afferant, ultimas considerate mensas, quae non parum difficultatis habent: cum illae ad tragemata, ad striblitas, ad artolagana conferantur. Difficile laboriosum, sollicitum, et anxium ministerium jure quidem consummabimus esse coquorum: quibus nec in communi quiete noctis liceat requiescere, et media nocte soleant de lecto surgere; atque ita magnam nocturni temporis partem somnum oculis nequeant videre. Quid quod semper inter ollas, et sartagine, inter titiones fumigantes, et torres ardentes versari compellantur collacrymantibus semper oculis propter acrimoniam fumi, tota ad verso saepe flatu culina fumigante? illis nihil foedius, nihil deformius videri potest. Hominum infimi, sordidissimi, spurcorum spurcissimi, inquinatissimi: qui capillis longioribus, foedato vultu, sordidatis manibus, et sordibus, et illuvie manante multa corpore, fuligine aspersi, quo

cunq̄ue contendant, ubicunq̄ue sint, carnes crudas, et escas redolentes aspicientur. Si novas aliquot induerint vestes, continuo manuum atrectatu inquinant sordium plenas relinquentes. Quidquid atrectaverint nō solum, sed manibus attigerint, sordidatum et inquinatum prorsus reddunt, ut ad manus abstergendas lintea separatim appendantur, et praepositum illi pectoribus, et corpori nunquam nō mantile gerant. Quid plura? maculas inustas ac penitus inhaerentes in corpore videbimus tanquam adipe multo vestibus incrustatis. Cum autem haec tam toleratu difficilia sint, quid affert angoris ad dominorū libidinē paratissimos esse coquos: illorum dissidentem tantopere explere gustatū, ut cum bene coquus officium suum facere modis omnibus studuerit, tū non desint fastidiosissimi domini, qui fastidiant et respuant dapes summa concinnitate comparatas, accuratas adeo, adeo delicatas, et summorum principum mensa fortasse dignas? Cum appetitio, et declinatio naturalis sit in cunctis animantibus, quae appetit herus hic, alter declinat: quae laudat unus, vituperat alius: habent enim omnes suos appetitus, et varios quidē multūque dissimiles. Cōferunt heri, cōvivaeque diversos de dapibus inter vescendum sermones, hoc parū, illud nimium salitum esse: istud vix, illud plus nimio conditum: in alio nimium est piperis, in alio nihil croci: hic cibus male affectus ad constituendum stomachū haerebit in stomacho, nec potionibus medicorum omnium avelletur: huic saccharum deest, aut mel, quo concinnari deberet, illud plus iusto mellis affert, illud saporis prorsus experts: cibus hic acrioribus limoniis condiendum erat, alterius acerbitas mellis admixtione temperanda: denique hoc male assum, illud combustum: aliud aridū, vel denique perditum fuisse dicūt. Hanc saepe boni coqui laborum mercedem suorum referūt, ut illos his modis indignissimis tractatos hic labor postprandia, post coenas maneat, ut verrant culinam, fricent coquinaria vasa, abluant, et abstergant, componant instrumenta tam diversa, beneque

niten-

nitentia suas in sedes restituant, unde ad coenas comparandas recipiant. Vix hora praeteriit a prandio, cū miseri coqui repetere continuo laborem coguntur, redintegrare pēsa quotidiana, quae confectu sunt opus ad coenam, omnia comparare; siue carniū, siue piscium diebus lavare carnes, gallinas ad mortē dare, deglabrare easdem; exeterare lepores, tot genera carniū assare, elixare, tot jura, tot fercula demum instruere, tot formarū pemmata frigere, desquamare et exdorsuare pisces, ad haec afferre assulas, segmenta, sarmenta, Vulcanum construere, ad alendum ignem suggerere ligna, follem arripere, et vento facto sustentare, continenter stare ad ignē, sudare semper, faciem carbone deformiorem nō reddere solum totam fuligine aspersam, et inquinatam, sed flammarum ardore torrere, oculos laedere scintillarū assultu, ore suo illo foetido et sordido deglutire semper multum cineris. Atque has semper habet coqui paratas delicias, et quietem: ut videatis, homines miseri quantis in laboribus, quibus in miseris versentur.

CELLA PENARIA.



Roximae sunt culiniae cellae penariae, quae excellentum omne continent, quod ad annum victū necessariū est semper. Illae refertae sunt cafeo, melle, fructibus aridis, et rebus diversis generis omnibus, quibus vescuntur mortales per anni curriculum. Semper fit accessio plurimarū rerum, ut est anni tempus, cum emendae sint: nam virides fructus, cōemuntur, comedi solent, et in singulos dies emi necessarium est hos fructus, recentiores, et bene maturos ad prandia, et ad coenas, ut praestantioribus domini locupletiores, et qui vescendo sibi solent indulgere, fructibus vescantur. Sic autem cellae penariae suis promptuariis distinctae sunt, ut in singulas condantur, reponanturque separatim, quae cuiusque gene-

Rr 3. ris,

ris, et diversitatis res fuerint. In his reponuntur amygdalae, uvae passae, avellanae, fructus dulces, res melle, aut saccharo conditae, cadi, diversi generis conditionibus repleti, doliola melle multo completa in summū usque, Cydoniaque, Cotonatus, et cucurbitae conditae, conditionum reliquarum variū ac multiplex genus: denique quidquid conditanci fuerit, quod condendum sit, et suo tempore promendum, id est salgamorum quaecunque varietas et differentia. Huc conferuntur pernae petasonis, quae asservantur per omne tempus anni comedendae, butyrum testis suis contentum, cupediae diversae multiplicisque, multa vis et copia sacchari in maetae formam redacti, uvae, pruna passa corbulis asservata, confutis: res denique multitudine innumerabiles, varietate dissimiles, et omnis generis bonitate praestantes. Ita cellas penarias redolere necessarium est multitudinem, varietateque rerum, quae in illis continetur, quae in oculis positae sunt de clavis pedetes, quae in promtuariis collocatae, vel abditae suis in armariis, coelataeque, aut in pavimēto statuta, suo sequuntur ordine, in doliolis, aut in vasis aliis cōtetae. Quaedam semper in propatulo sunt, quoniam ea sunt natura, ut nisi afflentur ab aere, corrumpantur, et perdantur facile. Aliae suis in cistellis, vel arculis cōditae foras dantur quotidie stantis prandiorum, aut coenarum temporibus. Cellarii claves habent, quibus obliterata cuncta servantur, nec aditum furunculi habeant, et auferant aliquid, simulatque tempus aucupati fuerint.

CELLAE VINARIAE.

Nunquam locupletes admodum viri res escarias cum vinariis commiscunt atque confundunt, sed habent separata vina condita suis in cellis vinariis, partim utriculis aliquot, partim doliis, partim cupis in hanc rationem et modum: ut doliis, vel cupae ordine suo sequantur, unde vinum hauritur ad coenas, et ad prandia: atque ut vinū quodque suavissimū est, et veterrimū, ita majoris pretii et aestimationis, et

et istud primum absumitur, postea ad reliquum pervenitur. Cupae hanc formā atque figurā habēt, ut cū ex ligno factae sint tū in circuitu arenti multo circulo vimineo lingulatae, quo veluti ligulis quibusdam constrictae constringuntur, cōprimunturque arctius, ne cuparum coagmentatio dissolvatur commissuris facile decedentibus: per quas si vinum effunderet sese, natarent pavimenta vino, et iactura multa fieret non contemnēda. Ipsae cupae nō ex omni parte aequabiles sunt, sed cum a medio turgescant, et efferantur, ab utraque parte primae deprimuntur aliquantulum, et per epistomium, quo cuparum ora obstruuntur, facili conversione vinū foras datur. Dolia vero fictilia sunt vino servando idonea, ab orificio in medium usque gracili forma, media vero tument, et foris prominent, acuminata extrema, cum plano tamē fundo, quo apte statuta relinquuntur humi. Horum similia, sed multo minora sunt doliola. His doliis vinum conditum est, ex quibus in amphoras, vel cados postea infundatur. Sed cellae vinariae factae sunt, ad cubiculorū similitudinem, vel quadratae, vel rotundae, vel cum in longitudinem multam protrahantur, in latitudinem non multam pateant. Quamquam multae sunt ita latae, ut tectum parietibus ab utroque latere, medium arcu longiore pilis sustentato firmum sit et stabile. Infra terram etiam concamerationes quaedam sunt opere valde forti, et ad multum tempus duraturo: in illis conclusa continetur vasa vinaria in circuitu. Quae longae, lataeque sūt cellae vinariae doliis, vel cupis referissimae, et in cupas alias aliae saepe sunt impositae, et inter binas interjectae singulae, ut ad tectum usque, quod non nimis altum est, perveniant, epistomio semper passam in bono lumine apparēte, ut eo versato, cum opus fuerit, vinum promatur.

FREQUENTATTO, ET QVAST SVMMA
corum, quae antecesserunt equile, culinam, cellam
penariam, et vinariam.



Ore rhetorum, eorum, quae antecesserunt, fiet frequentatio, et quasi summa quaedam. Area deligitur ad aedificationem aedium, et antequam fundamenta ponantur, ligna caeduntur in silva, saxa exciduntur, decoquantur lateres, arena, gypsum, et calx comportantur. Ibi magna vis, et necessaria cujuscunque materiae congesta, et comparata est, instituitur opus magni laboris, et impensae multae, et non paucorum dierum, conducuntur operae latomorum, et lapidicidarum, fabrorum lignariorum ad suum tempus, pictorum, et aliorum artificum, qui opere picto, et caelato multa confecturi sunt. Sed primum multitudo ingens operariorum certa mercede conductorum fodit fundamenta, praestatque operas jaciendis fundamentis necessarias, atque diversas. Alii defodiunt terram, alii aggerant acervos, et complent sportulas, alii in humeros imponunt onera, vel utraque manu comportant. Denique pro latitudine, et altitudine jaciendorum fundamentorum terra defoditur in illum usque locum, in quo saxa reperta sunt, aut terra solida est atque firma, vel acies ligonum, et ferramentorum omnium potuit defodere: latomi incipiunt praestare suas operas, et jacere fundamenta quam fortissima, saxa magni ponderis, reliquos lapides, medios lateres gypso, et calce devinciunt, et ut nullo interjecto spatio inani non cohaerescant inter se, constringunt, atque complanant, vacua et inania loca materia necessaria inferiendo complendoque, et adaequare complanatorio ex sua arte contendendo. Videas eo tempore operarios gypsum malleis ligneis affligere, et conterere, et maceratum, atque contritum in aliquem locum coacervare, aquam alios infundere, comparare ad opus, permiscere cum calce confusa, atque ita quidem, ne in illa calculi sint aliquot abditae atque latentes. Videas etiam alios pilas in ingentem altitudinem excitare, agitare, versare materiam omnem, quoad apte commixtum, et affectum sit utrunque ad opus faciendum, atque conflandum. In quo temperando,

mol-

molliendo, agitando, versando, et afficiendo ad operis coagmentationem, aliis deportatibus aliqui semper occupantur. Itaque illi calcem agitant, et afficiunt ad opus, alii ministrant, et deferunt, alii suppeditant lapides, et necessarias res: latomus cum ferro accipit cochleario, profundit illico, et inferens calcem inferta materia partes inanes explet, ut omnes cohaereant, et coagmententur; ad extremum complanat et adaequat, nequid lacunosum, aut eminent relinquantur: ad quod perficiendum utitur instrumento, quod illi complanatorium appellant. Atque idem habet proximum sibi malleum, si quando opus fuerit, lapidem, vel partem aliquam frangere, crassiorrem, aut majorem, quam pars, quae explenda sit, postulaverit. Iactis fundamentis excitantur parietes, vel lapidei, vel lateritii. Datur autem opera, ut lateres sint firmi, tersi, et perpolitum longi, aut crassi, et lati, non crudi, sed cocti, tum ad usum accommodati, et ad aspectum venusti, ad diurnitatem firmi et stabiles. Lapides, et marmora, quae caeduntur, poluntur, et suis in sedibus apte politeque collocata, admirabili convenientia, opportunitateque, serie, et venustate ad perpendicularium rubrica continuata cohaerent. Postquam vero parietes aedificati sunt, faber lignarius ad armandas moles, et impedimenta, quibus tectum parietibus imponendum nitatur, ad operis usque coagmentationem accersitur. Tectum magnificentum, politum, et laqueatum erit, et tota domus porticu magnificentissima altissimis sustentata columnis cingitur. Quae in hanc rationem eriguntur, ut fabri in basi columnam statuunt, supra columnam capitulum collocent. Denique sublatis impedimentis, et cubiculis omnibus aedificatis pavimenta lapidea, vel lateritia, vel marmorea, aut tessellata fiunt tectorio parietibus inducitur prius; et domus plena dignitatis incolitur, cujus fenestras, scalas, palatia, et reliqua necessaria ad usum, et ad delicias in aedium inferioribus locis describemus.

ADITVS AD INFERIORA.

S:

SV-

Superioribus praepositis rebus ad aedium descriptionem faciliorem, partes reliquas sigillatim attingamus: deinde quod expectabunt omnes, aedes amplissimas describemus. Finge igitur omnē jam coactā materiā, et ad aedificandū paratissimam esse, ad manus admo vendas operi, prorsus ut restet nihil. Peristylum autem primum praeponomus: nam fundamenta, vestibula, et aditum omnem ex aedium descriptione satis erit assumi.

PERISTYLIVM.

Peristylum istud longum satis est, atque latum, totum ex omni parte quadratum cum suis porticibus magnificentissimis, et cellissimis: quippe quae sustentantur columnis plurimis, et ex lapide mirabili factis. Quae cum suis in basibus collocatae sint, tum scapus ex omni parte politus, et rotundatus cernitur non admodum grandi crassitudine, sed qua opus sit, pro proportione columnarum: terminatur autem capitulo ad aedificii magnificentiam ornandam, et ad stabilitatem tectorum perpetuandam in omne tempus. Cum porticus sint laterib⁹, aut lapidibus stratae, tum ornantur in circuitu cubiculorum numero necessario: quae hibernis, et aestivis temporibus ad vim magnitudinemque frigoris, et caloris perfereendam incoluntur.

VERNA CUBICVLA, ET conclavia.

Inferiora cubicula sunt, et conclavia in circuitu cujuscunque porticus: quae propter calores maximos incoluntur veris et aestus tempore. Cum illa sint in inferioribus locis, et rigentur quotidie, suisque temporibus conclusae fenestrae sint, maxima ex parte magnitudinem caloris temperant: cum praesertim cubicula longa sint, et lata satis, tecta plerunque alta pro maximarū aediu amplitudine. Haec ex ligno politis-

simo.

simo, varietque picto saepe tegitur, laquearib⁹ nonnūquā obducta deauratis, et proceribus ad speciem magnificentissimis summos in circuitu parietes exornatibus illustrata, cōvestita peristromatib⁹ ex serico, vel aureo filo intertextis magnū addunt cubiculis ornatum, et splendorem. His in cubiculis amplioribus videre est sellas parietibus admotas, et dispositas quam maximo ordine, ad domesticorum, et externorum sessiones honorificentissimas, et ad omnis generis, et ordinis illustriū virorū adventus honorifice excipiendos. Istorum fenestras cubiculorum vel in peristylia, vel in hortos urbanos, vel in vias celebriores spectant.

PVTEVS.

In medio autē peristylio puteus est altissimus, et aquis manans perēnibus, quae ex venis terrae in illū profluunt. Ad aquas de puteo hoc hauriendas machinationes supra puteale ab uno, et ab altero latere productas videbimus: a quo medio ciconiae, vel telones, vel tympana pēdēt, quorū ope cū fune ductario ex illis suspenso demittimus lebetē sensim, aut impetu praecipitē dejicimus, et aqua plenū efferimus: nisi a puteali lebetē vel situlā demittam⁹, cuj⁹ crepidinē excavatā, et ad eam usu cōtinuo hauriēdae aquae notis, et vestigiis istius funis nō leviter expressis aspiciuntur. Quāquā aquae puteorū minus salubres sint, quam fontiu, quoniā multae salsae sunt, et satis magno intervallo ab aëris statu distant, atque cōclusae profluere non possunt, neque aura ulla commovetur: tamen istius putei, et dulces, et salubres, et frigidae adeo sunt, ut per totū vernum, et aestivū tēpus ad aquas ex hoc fonte hauriēdas vicinia tota cōcurrat: quemadmodū ad anthliā, ubi fuerit. Tympanū enim modiolis annexis circū datū haurit aquam, quibus quantum infundit in stagnum, tantū dem circumactu defundit.

(S)

FONS.

IN his peristyliis nonnunquam fontes sunt. Hic autem fons est aquae dulcis aeneo cratere circumdatus, et in crateris circuitu fistulae plurimae, per quas aqua murmure jucundissimo defluit in lacum ex lapide factum politissimo. A medio cratere fistula quaedam recta deducitur, per quam aqua in sublime fertur, atque recta confurgit ulnam unam, aut duas; postea se inflectit mirabili venustate in speciem conipraecelsi, et a summo leviter inflexi, erumpēs haec vis aquae de media fistula, et sursum versus elata, cōtra vim, naturamque suam contendens: quae tanta profluit crassitudine aliquorum plane digitorum, ut mala Medica sustineat ad multum tempus, et suis guttis aëra medium, circumstantesque respergat.

SCALAE.

A Peristylio ascendimus per scalas in superiores aedes, quae multis gradibus constant: singuli autem cum ex lapidibus, aut ex lateribus facti sint, tum longi, latique, pro proportione aedium exstructarum. In medio scalarum area plerunque aedificatur lōge, lateque patens, in qua defessi homines jam ascendendo requiescunt aliquantulum, et recipiunt spiritum ad reliquos scalarum gradus. Ne tamen decendant ascendentes ab uno, et altero latere nituntur suis spōdis duplici fulcro a superiore, et inferiore parte sustentatis, et lucem accipiūt necessariam per fenestras patentes allatā, et ne similiter prolabantur offendentes pedem in uno, aut altero gradu per caeca et obscura loca conscendendo.

PORTICVS SUPERIORES.

Porticus superiores tectae sunt, et ab una parte cubiculorum ordine, et parietū oppositu munitae, ab altera patent

cent semper, sed cancellorū humilitate constructae in hūc modum: ut cum illa pars tecti, quae obvallatur cancellulis, superior sit, et columellis sustentetur, de ipsis intercolumniis in peristylium proferre caput et observare possint habitatores, res in peristylium ingredientem quencunque, domo ve exeuntem.

CVBICVLA SVPERIORA.

Cvbicula superiora silentio praeteriri possent, quoniam ad inferiorum rationem aedificata sunt: sed ingrediamur aliquot, ac primum illud, quod dominarum est familiae, et ad matronas sui generis, ac fortunae honorifice excipiendas adornatum. Ut parietum vestitus ornatumus, in pavimētum defigamus oculos, cum medium stratum sit tapete lōge, lateque explicato, quoniam locus est anaclinterii, totum illud nitet ac splēdet pulvinis sericis exornatum: illi bini mirabili ordine collocati sunt, et alii aliis impositi ad sessions harum mulierum locupletissimarum. Propter illas lectulus est argenteus, miro opere factus, cui innituntur cubito matronae ipsae, et cū collibitum est, si quid scribi necessarium fuerit, allatis thecis pēnariis cum atramēto, scribendi peritae litteras exarant. In his anaclinteriis resident in strato summo cum splēdore, dum domi sunt, et expectant adventus aliarum sui similiarum matronarum comitatae ancillis, ac una maxime venerabili ad aspectum linteis valis longioribus ad pectus usque prolapsis: quas adēuntes famuli, ancillaeque statim post aditum januae primum leviter genua flectentes, deinde in medio cubiculo, ad extremū in genua procumbentes mandata dant, vel accipiunt. Sic resident recto corpore, tāta cum dignitate, nullam in partem convertentes oculorum aspectum, ut statuas marmoreas, et simulachra quaedam in uno semper statuta loco te diceres intueri.

CONCLAVE ALIQVOD.

ALIA sunt adeunda cubicula, si quid domesticarum opū, et amplitudinis alicujus honestissimae familiae videnti cupidi fuerimus: nam cubiculum destinatum ad dormiendum quis desinet invisere, cum hyeme quo sit a frigoribus tutius tapetis praestantissimis conuestitum sit, et in lectus cubicularius pulcherrimus, suis spondis constructus, et columellis ad tornū rotundatis, et saepe striatis, fulcris, quae columellarum quasi bases et firmamenta sunt totius machinationis, sustentatur. Ille culcitris lana mollissima infertis sternitur, sindonib⁹ ex lino tenuissimo, lodicibus, et stragula veste pretiosa, et pulvinis refertis cum pulvinulis acupictis, et elaboratis decoratur. Adde peripetasmata, et cortinas pretiosissimas, quas vel adducere cum velis, vel remittere facillimum est; nisi conopaeo totus obducatur lectus cōcavitate sua capiēte ex omni parte, cū explicatur, lecti longitudinem, et latitudinē omnē. Cōpactio lecti tota clavi cōstituitur una, qua non minus facile exarmatur, et dissolvitur toti⁹ machinationis opus, quam armatum, et cōstructum fuerat. Lecti dicuntur hi campestres, quod latius pateant, et ad capiūdos viros latiores sint, quam illi, quibus vulgō famuli, reliquique nō amplae fortunae mortales somnum capiunt.

RELIQVA CVBICVLA.

Reliqua cubicula, cōclaviaque cursim perstringam⁹; quibus supellex reliqua, vestisque multa continetur, aut arcibus asservatur suis, vel in aliquem cumulum cōgesta coacervataque conjicitur. Quidquid panni, quidquid linteī, quidquid reliqui generis, quidquid omnis instrumenti, vel supellectilis domesticae ad cōmoditates, et ad usus familiares coactum, et conditum fuerit: id totum locis suis in bene constituta familia compositū, et asservatum reperietur. Atque ut quaeque res diversi generis fuerint, et usibus variis destina-

na-

natae, non commixtae, non confusae, sed disjunctae separataeque, ut nihil non internosci possit in suo genere praestās, vel mediocre in cubiculis, in armariis, in thecis, in arcibus, in loculis, suis in locis statis, praefinitisque cōspicientur: ut quae ferrea fuerint, aut aerea, ad ferrum, et aes, quae lineae vel lintea, ad linteum; quae denique cujuscunque generis fuerint, in sui generis, et ordinis sedes, et domicilia conjiciantur: ut adsit cunctis rebus modus, et ordo, qui maxime bene moratam familiam commendat.

PAVIMENTA SVBDIALIA.

Restant subdiales ambulationes, ad quas per scalas, et per aedium partes aliquot praecipuas perventum est saepe: quae in sublimioribus aedium locis altissimae celsissimaeque tolluntur. Cum lateribus stratae plerūque sint, tum cancellulis lateritiis, vel lapideis undique circumdatae subditi sunt: quo flatus aëris, quicumque fuerit, aspiet, ut auram matutinam, temperationem caeli, salubritatem temporis, veris odores captemus, et prospectus habeamus de cancellulis jucundissimos in celeberrima civitatis loca, rusticationesque capitorū: qua fluvium, quae agros, qua nemora, qua denique cūctas amoenitates, egressum, reditumque civium, advetum, discessumque peregrinorum, omnis generis rerum cōportationem, et exportationem oculis collustraverimus.

DE CLOACIS SVBDIALIBVS.

Non abeamus ab aedificiis; priusquam cloacas subdiales ostendamus aqualiculos quosdam esse, quibus aquarū domesticae lordes cōcipiuntur: cū infra terrā cōcava altitudine defossae sint, et per foramā defluant in interiorē

concauitatem sordes aquarum, et non alio evomantur, sed quasi terrae alveo inhaustae sidendo conficiantur, et absumantur. Quemadmodum enim urbanae publicaeque, ita etiam domesticae munitiae causa repertae sunt cloacae subdiales. Differunt tamen ipsa specie et forma: nam urbanae, quae diffusoriae dicuntur, multis in urbis partibus ad salubritatem aëris, ad viarum munditiam publicarum per medias vias ducuntur parietibus in modum aquaeductus aliquot in civitatibus, et alienarum provinciarum oppidis munitae: per quas aquae pluviae extra urbem in fluvium dilabentes urbis sordes secum rapiunt, et in fluentum, et in lacum aliquem devehunt. Substratae autem sunt declives, pronae, qua sordes libero, citatoque cursu defluunt, et a fluvio sublatae, ne alluvionibus compleantur, aut limo obstruantur. Atque cum haec sint cloacae civitatum purganda causa, et priores ab aedibus sordium ejiciendarum, parum urbanus videbor, si quae ventris exonerandi causa factae sunt, illae describerentur a nobis: quod homines honesti modo sint, occulte corporis necessitatibus pareant, et vix huiusmodi fellas familiaritas actionibus sordidioribus destinatas nominare audeant, iusta solum ac debita naturae persolutum se ire submisse non minus, quam verecunde nimis dicentes. Similiter cloacas urinarias praeteribo, quae procul a parietibus abesse debent, ne Solis ardoribus exhalent acres nimis, et tetros odores, quibus loca finitima contaminentur, et inficiantur omnes.

AEDES MARCHIONIS

Bellonii.



Tempus jam est aedificia profana describendi, et praesertim aedificiorum huiusmodi fundamentis superioribus speciatim. Atque ab aedibus inscriptis exercitationem suscipiamus. Domus haec praecelara, et plena dignita-

tis

tis est, et ut apparet ex insignibus Enriquirum, et Riberrum, ea videtur Marchionis Bellonii esse, ornata fenestris plurimis in longam, atque latam plateam spectantibus: quas exornat menianum tectum, et ex vivo lapide factum, suis columellis marmoreis sustentatum. A vestibulo capacissimorum equorum, essedorum, rhedarum, atque lecticarum, datur ingressus in peristylum amplissimum quattuor circumdatum porticibus: quas columnae sustentant altissimae, quarum opus non solum, quae columnarum propria sunt, habet; ut pedum sint in altitudine plurimorum, ut a basi sua statim scapus attollatur, atque ille mirabili epistylio, tanquam speciosa corona decoretur: sed cum e marmore factae sint politae, rectae nimis, et e regione collocatae, ad perpendicularitatem rectae, earum epistylia magnificentissima majorem obtinent elegantiam, et amplitudinem caryathidum, et atlantidum aspectu speciosissimo molem aedificii totam suis humeris sustentantium. Sed nimio opere aedificii amplitudo in porticus usque superiores a capitulis columnarum arcuato opere conscendit arcibus ab utraque parte firmitate cuneorum eminentibus per totum ambitum, et circuitum peristylii ab eisdem epistylia, quibus Zophori proximi sunt metopis, et figuris altissimis admirabiles. Quae volutae circuli tortilis admodum, aut cincinni crispatis qui toruli, id est columnarum crassiores torques, et teretiores qui astragali baccis plerumque scalptis quae cymatia, undae species et expressa similitudo, quae imposita coronae videntur in praecipua quasi ruiturae. Qui pulvini quam speciosi, quam pulcri illi inter abacum, et echinum interjecti, unde volutae miranda vestitate pendent ad coronicem usque, fastigium et culmen ultimum, et celsissimum Regiarum aedium, pro proportione sua, descriptione non minus legitima, quam eleganti consequuntur. Sed porticus inferiores istius peristylii scalpturis plurimis, et magnificentissimis ornatur maxime per circumstantibus Romanorum veterum, et oratorum eloquentissimis.

T t simo.

simorū, et Imperatorū fortissimorum, qui victricia Romana Imperii signa, nationibus ferocissimis bello domitis, in Occidētis orbis gētes et nationes invexerūt. Has Marchio praecellētissimus Bellonis, Prorex Neapolitanus tota Italia cōparandas curavit, et asportādas magnis sumptibus in orā usque Baeticāe provinciae, atque adeo in urbē Hispalim advectas suis aedibus collocandas imperavit ad aedium illustriorē speciē, et magnificentiā. Videre enim est Ciceronem principē eloquētiāe, quasi pro rostris ad populum in Catilinā, in Antonium, in alios turbines, ac procellas reipublicae Romanae spissis, et horribilibus verborum fulminib⁹ quasi tonantē, Marcellum etiā primum in Italia furētes Annibalis impetus sustinentē, atque propellentē, Scipiones duo fulmina reip. Carthaginis, atque Numātiāe trophaeis exornatos, Caesare, tanquā alterū Alexandrum orbis terrarum imperio potitū, denique Ducum aliorum, et fortissimorum Imperatorum statuas, quo ore, qua facie, quib⁹ lineamētis fuerūt, arte mirabili factas, et ordine singulari statutas, et ad quatuor angulos extra porticum e regione cōstituta suis in basibus marmorea simulachra amplitudine quadā, et altitudine mirāda loricata, scutataque cum gladiis, aut telis in habitum atque figurā praeliātium. In medio peristylio fons est ex lapide marmoreo factus cum duplici cratere inferiore, et superiore, et utroque rotundo, sed columella tollitur sustentatus ille superior, fistulis aereis circumdatus, per quas in cratere inferiorem aqua ex fistula, de medio fonte deducta, recta atque directa magno crepitu atque fragore profluit in reliquas fistulas per circuitum crystallo clarior sese diffundens. Tēpus esse videbatur a peristylio discedendi, sed facerē injuriā tot palatiis, tot cubiculis, quae in porticibus aedificata per valvas amplissimas aditum suum et ingressum habēt: quorum illa, quae a dextra sunt exstructa, nō aulacorum ornatu, nō cōchylatis peristromatibus, nō apparatu Regum, et Principum potentissimorum ad suum splendorem,

et magnificentiam indigent: quippe quae aut fulgore colorum lucētia micant et splendent clarissime. Pavimentum tessellatum, parietes, fenestrae, tectum auro nitet obductum purissimo. Quae sunt e regione vestibuli, quaeque aestivo tēpore incoluntur, quamquā habent egregiā per se maiestatem, et amplitudinē, sed eam lautissima, pulcherrimaque supellectile ampliorem, et illustriorem fieri necessarium est, dignam celsitate Principum, qui elegantes, et regias aedes incolant. Nā cum palatia sint amplissima, et longissima, parietes magna ex parte pavimento propinquiores tessellarum nitore distinguantur, tecta ex ligno politissimo facta sunt afferibus, et trabibus mirifice dolatis, et auro multo caelatis, ex uno in alterum parietem de columbariis suis projectis, transversis, atque rectis, ordine longo procerum, qui in summitate prominent, et ad ornatum egregia venustate foras projecti videntur. Projecturas autem tignorum triglyphi vestiunt insigniter ad speciem et ornatum, suis constantes sulcis, et triglyphis guttae subditae ad inversi turbine similitudinē decori sunt et ornamēto maximo. Atque metopae, id est, intertignia, cum aliquando pura videantur, tunc ornantur lancibus sculptis, cornibus taurorum, capitibus, vittis revinctis, et lemniscis. Parietes ornati sunt aulacis praeciosissimis, et telis ex auro filo intertextis. Sellae venustissimae longo ordine dispositae, et alias aliae consequentes cernuntur parietibus admotae: sed una visitur praecipue princeps reliquarum, dum abest illustrissimus Marchio ad parietem conversa, et infra caelum peristromatis pretiosissimi insignibus familiae vetustissimae, et illustrissimae Riberarum, et Enriquiorum distincta: in qua tantus, tamque potens Marchio multis aliis heroibus, et primariis civitatis equitibus circumventus, quae dignitate suam decet, visenda maiestate considerat. Ab hoc palatio recta nos inferemus in cubiculum lecto pulcherrimo, et magni

ficentissimo ornatum, qui latissimus est, molliter admodum stratus, culcitrae sunt pluma mollissima, quasi Melitensi rosa infertae, sindones albeni nive candidiores ex tenuissimo linteo, pulvini acupicti, et plurimis modis elaborati, lodices ex filo aureo, peristromata plusquam cochyliaata, et illorum caelum eodem colore specieque conspicua magnopere spectandum. Per istud cubiculum conclavia patebunt, cum arcibus plurimis ad continendas vestes praestituta: unde veste pretiosa, lauta supellectile, omni genere ornamentorum ad usum, et magnificentiam abundans copia suppeditari potest. Huiusce porticus palatia, et cubicula, tanto ornatu, magnificentissimoque apparatu instructa plurimum condecoratur celebritate equitum plurimorum, quorum alios venire, alios exire videas, plurimos, ut officii communis, et elegantiae causa Marchionem clarissimum et comitentur, et deducant quo voluerit exire, multam diei partem adesse, praestolarique scimus. Dum tantus iste Marchio se comparat ad exeundum, sternere equos famuli, pueri omnes, omnes administratores, omnes equites, qui comitatum venerunt se comparare, expectare tempus exeundi, ut praecant, et bini comitentur paribus progredientes intervalli. Interea hinnire equi, crepitu tumultuque multitudinis tota domus commoveri, clamoribus atria personare, et impluvia. Dum est domi, dum exit clarissimus iste Marchio, in aula te dicas Regia versari, et Principis plane potentissimi splendorem, et maiestatem intueri clarissimam. Ab hoc peristylio ascendem in aedes superiores per scalas longissimas, et latissimas, multorum graduum, quarum tectum est aedificatum in specie medii mali Medici, opere sectili secernatoque, multis in locis latiore, pinniculis laqueis, floribus, et aliis operibus vermiculatis, auro multo caelatum, et penitus obductum, ne quidquam operis ex ligno sculpro partibus relinquatur. Cum autem multi sint gradus scalarum, ne egre sese, sive autianhelantes ascendamus, scalae duas habent areas, easque latissimas, et clarissimas

simas, cum suis fenestris ad hortos spectantibus: in quibus requiescere possumus, aut recipere spiritum ad reliquos gradus scalarum. Atque ut alias porticus omittamus, superiores vellem duas recordemur propter praestantiam, et amplitudinem suam; quarum haec ad dexteram, aliae ad sinistram sunt. Illarum palatia mensibus totius anni decursu, et ordine suo redeuntibus, pictura admodum illustri decorantur: in his lapides, et marmor adeo perlucidum spectabitur, ut in parietibus tanquam in speculis clarissimis vultus, et ora nostra possimus intueri. Vix autem pro foribus cubiculorum stabimus, cum praeclaram totius oris conformationem prospiciemus. Quid cum avidi tantum splendorem intueri propius accesserimus? Quavis etiam aedes sint in civitate, tamen amoenae sunt, atque jucundae propter hortos quosdam amoenissimos, et jucundissimos, quos habent: quarum amoenitates, et iucunditates capiemus de fenestris prolatis capitibus in hortos, aut si in eos descenderimus, et in ambulantes viriditates omnes, et voluptates hortorum oculis lustraverimus. Quid quod habitatores illarum habent opportunitates, et commoditates religionis, et pietatis colendae plurimas, et in eisdem aedibus Deo se multum dedendi et vacandi multas horas meditationi rerum caelestium? Illa communia sunt, ut illi rebus divinis interesse possint, sacrisque coniugibus per totius anni decursum, nunquam e limine pedem efferentes; nam fenestrae sunt ad Divi Stephani apertae; quarum gratia commoditates aedium tantarum emolumentis omnibus homines studiosi religionis, et amantes divitiarum caelestium anteponendas merito quidem optimo iudicarent. Quamobrem si ve prospectum aedium, si ve pulcra vestibula, et aditus ad peristylum illustres, si ve ipsum peristylum ex omni parte quadratum, et signa pulcerrima, quae in iure ad porticus, et ad peristylum stant, quae annos ante multos ad opera Romanorum praeclara steterunt, consideremus, si ve spectemus cubicula, et hycemali, et aestivo tē-

porè incolenda, eaque praecineta quattuor porticibus excellis, siue totidem porticus, et palatia inferioribus imposita, siue scalarum amplitudinem tanto auro, tam multiplici opere splendentem, siue sculpta, vermiculataque opera, siue lispidis splendorem, hortorum amoenitatè, sacrum Divo Stephano templum his aedib⁹ adjunctum, siue denique totam regiarum aedium elegantiam, et magnificentiam, tot commoditates, tot delicias, et ornamenta mentis oculis completamur, nullas quidem aedes, vel ad usum accommodatiores, vel ad Principis dignitatem illustriores reperiemus.

BREVIOR AEDIVM DESCRIPTIO.

Aedes hae clarissimae sunt, et amplissimae, et ut apparet, ex insignibus, illae videntur esse Ducis excellentissimi. Ex lapide sunt factae mirabili, et ex lateribus exquisitis, et omnibus fere Malacitanis. Ornatae sunt fenestris plurimis in plateam longissimam, et latissimam spectantibus, quas mentianum exornat interjectum inter plurimas, politissimasque fenestras, ex lapide factum pulcherrimo, columellis ornatum marmoreis mirabili candore praeditis. Huic subiectus est praecipuus aedium aditus et introitus distinctus stemmatibus Ducum, qui sunt illius generis et familiae clarissimae. A quo per vestibulum pervenitur in peristylum, quod longe, lateque patet, totum opere quadrato factum, et porticu circumdatum est amplissima, columnis in circuitu fortissimis, et altissimis suffulta. Tota domus superior, et inferior habet palatia, cubicula, conclavia, culinam, penum, equile, et reliqua id generis ad commoditates aestivi, et hybernati temporis domesticae. Ab scalis ascensus est in superiores aedes, et in turres suas cellissimas, quae ab utroque aedium cornu sublatae sunt longo intervallo supra tecta domus cellissimae. Quavis illae sint in media civitate aedificatae, habet tamen propter hortos amoenissimos delectationes maximas, quas

quas ex fenestris, quae ad hortos spectant, aut in illas descendendo, et ambulando inter amoenitates capere poterimus.

DOMVS VETVSTISSIMA.

ARecentioribus, et amplissimis transitus datur ad vetustissimas aedes. Est autem domus haec, vetus admodum, atque deformis, parietes costi, atque etiam deformes, et multis in locis rimas agentes, partim etiam ruinam minitantes, atque ex illis multi, ne corruat, tibi cinibus suffulti. Vide impluvium sine porticu, sine tecto, sine columnis, plenissimum ruderum, et omnis generis fordiū. Parietes cum aperti sint multis in locis, et propter foramina plurima patentes ad vias publicas, tum in aliis exesi sunt, et pulvere, terraque loca vicina spargentes semper, atque saepe cooperientes. Numquam non labuntur parietum aliquot partes, atque glebae etiam, saepe partes integrae magno cum strepitu corruunt. Idem parietes omnibus fere in locis tectorio, quod vetustate, atque periculam ruinam celare possent, et fucata quasi specie fallere spectatores, omnino nudati cernuntur. Periculum magnum est in superiores aedes ascendere propter scalas, quarum gradus nonnulli fere destructi, alii sublati, multi male cohaerentes, omnes fere fracti sunt. Fores, et fenestrac dirutae, et evervae hurae iacent, fractae, aut semifractae, et quae relictae sunt, vetustissimae, plenissimae rimarum, haec, atque illae patentes, millies fartae atque refartae: quas, in cubicula (si cubicula dicenda sunt, ac non sterquilinia) quingrediuntur, quonia humiles, et admodum demissae sunt, ut illas homines, non erecto corpore praetergrediatur, et infestissimae clavis, qui se propter rubiginem, quam contraxerunt, oculos celare possent, cum demittentes se ipsos, tum caventes etiam vestibulum, ne in clavos incurrant, et discindatur, transire debeant. Solum omnium cubiculorum ruinosum, et fere destructum est, sicut parietes, sicut tectum. In solo passim pedes offentes propter lacunulas, et foveas multas, quibus depressa est in his locis, in aliis e-

minés, in plurimis pulverulētū, ac terra sublata planedissipatū, laterib⁹, glebis evullis infensū. Simul ingressi quacunquē gradū faciēt, nisi pedē caute posuerint, offensionē suscipiunt maximā. Deniquē tectū male materiātū, multis in partib⁹ apertū est; per quod caelū patēs diu, noctuq̄ videri potest. Illud aestivo tēpore sepe habet in comoditates multas propter calores maximos, et Solis ardores, hyemali; propterea quas plurimas stillicidiis redundare necessarium est. Denique domus haec nocturnorum lemorum sedes videtur esse, et refugium illorū, qui inopia tecti subdio pernoctant: quoniam illam incolēbant, habitatores contemptissimi jam diu temporis, et caeli injuriarum perferentes, relinquendam dēcreverunt. Ea nunc videtur sterquilinum odoris foeditate incredibili, quam perferre nemo queat.

INCENDIVM.



Um aliis rebus, et aedificiis maxime urbanis contraria sunt, et infesta valde incēdia, ob hāc causam videtur aedibus merito subjienda. Verū est igitur illud, quod vulgo dicitur, quod parva scintilla magnum saepe solere incendium excitari. Nam cum famulus quidam in palearium cum accensa lucerna fuisset ingressus ad cribrum paleis cōplendū in pastus equorum nocturnos, parvula scintilla desiliēte de lucerna non animadvertente famulo sic paleas sensim universas incendit, ut cum materiam accensu facilem nacta fuisset, paleari jam universo deflagrante, flammae in parietes, et in tecta involaverint. Parietes jam vicini deflagrare coeperant magis ac magis invalescente flamma, quae huc, et illuc vento flante pellebatur, cum unus flammis longe, lateque volantes prospiciens in aedem ardentem advolavit, ille caedere januam, excitare dormientes, clamare de via totam domū ardere, usque co. perstare, quoad excitavit omnes,

nes, et flammis insipientes famuli, herique ipsi, totaque vicinitas jam clamoribus excitata accūrit ad incendium restinguendum. Cum illi non sufficerent, noto civitati aeris cāpani signo dato cives plurimi cōcurrere, et advolare. Ignis autē crescebat, et vento flante vehementi huc, et illuc in omnes partes ferebatur, et longe, lateque grassabatur progrediēs ad vicinos parietes, et ipsas jam cōtignationes multas perrūpens flāma insolita magnitudine in sublime sese magis ac magis tollente, et depopulante latissime quaecunquē sibi occurrebāt, et obvia dabantur, absumente. Cum jam tota vicinia deflagrare videretur, pro se quisque dabat operā, ut omnis illa vis, et flamma opprimeretur: alii aquarū plenos cantharos, lebetes plurimos, et omnia, quae dabātur in manum, vasa comportare, alii scalas ad movere, alii tecta conscendere, disturbare tegulas, tectum evertere, dejicere parietes, et trabes, et lignorum materiam omnem praecidere, atque illam praecipue, quae ignem cōciperet facilius, omnem efferre supellectilem, dejicere de fenestris, vicini, ne flamma longius ferretur, et suas aedes, quibus volitantes ignium ardores deflagrationē minitabantur, incenderet, magis ac magis succurrere, et flammis crescētibus, et appropinquantibus occurrere properabant. Quantavis fumi, quantaevē tenebrae, et similes Aetnaearum ex illis erumpebant, quae crassitudine sua, et caligine flammis obscurabant, et aedes vicinas circumfundebāt, aliquot in locis nec videre se ipsos mortales poterant. Dum autem unius loci restinguendū ignem homines curarent, fiebat, ut tunc cum nihil periculi videbatur, in aliā partem ignis invaderet una cum altera se commiscens cōfundensque flamma: e quibus quemadmodum homines se eriperent, non videbāt, nisi in alteram incidentes flammam, aut se ex loco praecipitantes, unde cum cecidissent, minimū malum esset, crus, aut brachium frangi. Confusio erat sane magna, perturbatio tanta multitudinis; ut aliquot homines combusti, fumo alii suffocati, multi dum de fenestris, de locis

cis flammarum ardore conflagrantibus se dant praecipites,
 pedes, et crura fregerunt miserabiliter. Ille scalarum auxilio,
 quae parietibus admotae fuerunt, vim flammaram effugit,
 ali⁹ singulari dono Dei immortalis brachio arrept⁹, vel ma-
 nuporrecta evadit incolumis, non pauci tecta praetergressi,
 atque se de uno in alterum locum praecipites deturbantes, in
 vicinas domos recipiuntur. Hae partes ruere, illae accensae
 dejici et inflammatae, aliae dilabi decidereque ambustae,
 multae tostae, et semiuultatae, ligna, trabes, tabulae ex re-
 centi deflagratione restinctae fumigare, donec ignem latif-
 sime grassantem, pervadentemque omnia, praecisis lignis,
 omnique materia discissa, disturbataque praeciderunt, ne lo-
 gius pervolaret ignium licentia ad viciniam universam in-
 flammadam comburendamque, proculdubio deflagraturam,
 nisi ventis reflantibus alio flammae rejicerentur. Nam ubi
 naetae fuerant opportunitate pabuli longe, lateque diffusae
 multum in singula momenta crescentes, neque praecidi, neque
 cohiberi poterant.

BALNEARIA.

Quonia balneae aedificatae sunt, in quas deducuntur
 homines, ut valetudinis, aut abstergendarum sordium
 causa lavetur, eas inter aedificia ponam. Atque Granatensia
 balnearia describam antiqua missa faciens, quibus de eum agunt
 alii, cupiunt veterum annales evolvere: mihi nostris de rebus
 omnium maxime propositum est Rhetoricae studiosos docere
 Latine agere. Ad haec balnearia per populetum amoenum, et ju-
 cundum, multitudine omnis generis arborum consitum pervenient:
 quod populetum torrens quidam cum claris et sellucetibus, tum ci-
 tatis aquis, crepitu fragoreque gratissimo saxa praeterlaben-
 tibus alluit. Balnearia in hunc modum aedificata sunt, ut ad bal-
 neas per portam ingrediamur. Tecta supra balneas singulas o-
 pere concamerato constructa sunt. Piscinae tres fuerunt sum-
 mae, mediae, et infimae. Prolabuntur autem aquae ex concavo

fa-

saxo crassitudine unius femoris ad summum: quae calidae
 exeunt, cum in primum lacum prolabantur, unde redundantes
 in secundum, et a secundo in tertium fundunt sese: donec la-
 cum unumquemque compleverunt. Aquae vero cum calidae
 sint, tum quae propinquiores lacui sunt, plus calent. Quilibet
 autem lacus gradibus circumdatus est, ut pro voluntate
 corpus quisque lavare queat, et ad morbum depellendum,
 et ad recuperandam valetudinem: ut quemadmodum affectis
 aquis indigeant homines, ita magis, aut minus calidis reme-
 dium sibi coparent. Itaque stantes lavari possunt, vel residen-
 tes in gradibus, ut aquis exstare voluerint medio corpore, vel
 humeris, aut collo. Quin caloris si magis participes esse vo-
 luerint, propter aquarum impetum lavabuntur, aquarum vim
 omnem toto corpore calidarum excipiendo, quoad lauti ad-
 modum ad voluntatem, et ad debitum modum, quem in bal-
 neis medici praescriperunt, et balneis exierint. Tantum autem
 balneae lucis accipiunt, quantum per fenestram, et por-
 tam sese potest inferre: quod non parum est, cum balneae ne-
 cessaria claritate circumfundantur. Cum bene lauti sunt et bal-
 neis exeuntes sese recipiunt in cubacula, quae pretio, quod
 pacti fuerant, conducuntur: quae comparata cum suis lectis
 stratis, et ad sudandum affecta sunt. Cum in cubacula sese in-
 tulerunt, et conclusis ostiis omnibus, fenestrisque ad majorem
 applicationem in lectis cubantes cooperiunt corpora lodicum,
 quas perferre possint, aliquo numero, consequitur statim su-
 dor, quo toto corpore manente crassi concretique humores
 depelluntur. Quo propius est cubiculum balneis, illud pretio ca-
 riore conducitur: est enim balneator qui conducit, et ex balne-
 arum conductione lucrum non mediocre facit. Sed haec naturales
 sunt, nunc de balneis artificiosis, quae in eadem urbe Granata
 sunt.

ARTIFICIOSAE BALNEAE.

Naturales balneas artificiosae consequuntur, quae eisdem de-
 causis, quibus superiores factae sunt, et suis instructae vase-

V y z

riis

riis ad lavanda corpora, cellulis ad sudandum, et ad cruditates omnes depellendas. In balneas autem has ingredimur transitu duplici, foribus utroque concluso; quo magis apricae sint, magisque ab aëris flatu quocumque deflatae. Ab hoc aditu duplici in balneariam cellam ingredimur, quae lavandi, sudandique causa facta est, aut calidis aquis, aut fornice tantum igne calefacto, qui caleferi solet ex cella infra superiorem aedificata eodem opere concamerato, succensis ignibus in sublimis volantibus, et totam superiorem testudinem penetrantibus: donec pavimento, et fornix superior calefactus relinquatur, et affectus idem probe satis ad sudorem, quem ex caloris magnitudine conclusi contentique consequi necessarium est, et toto manare corpore, deinde perfricari linteis corporis partes, et abstergi sordes expressas, profluentesque. Quemadmodum inclusus calor retineatur, mirari desinet omnes, qui consideraverint concameratum esse laconicum in speciem orbiculatam; et tubulis quasi quibusdam ab inferiore fornice subministrari calorem, et alii magis in singula momenta fornacatore servo: cujus partes sunt ignem succendere, et pilis, aut glomis pice illitis per intervalla injiciendis nutrire, materiam necessariam suppeditantis, quo in vaporario perfundantur homines, cum ipse vapor diffundatur, et vagetur tota cella vaporaria. Sed iam in huiusmodi balneis quemadmodum hypocaustum, id est structura caminata, seu fornacula erat, in qua ignis ad aquam calefaciendam, et ad laconicum fervefaciendum succendebatur, ita labra erant longiora, latioraque, et aquarum plenissima sive tepentium, sive bullientium ad lavanda corpora, et frigidarum etiam, quibus calor temperetur ad lationis debitam justamque necessitatem, sive se cum frigida velint lavare dumtaxat homines. Ecce igitur homo, qui se lavare vult, in apodyterium spoliatorium, exuendi se vestibus, et earundem deponendarum causa contendit: quas ubi deposuit, apud capsarium, (si quis est, qui mercede servandas vestes susceperit) nudus venit in laco-

laconicum, atque aquam urna de labris haurit, et corpus totum perfundit ad animi voluntatem. Labra sunt ipsis in parietibus mediis interjecta, aut adnota solum, quae ignis ad ipsa usque sublatus calefacit, et afficit praclare satis. Atque haec de nostris balneis. Antiquas omitto, quas qui videre voluerit, antiquiores auctores adeat, et ex recentioribus Pontanum patrem nostrae Societatis annalium veterum scientificum.

VIAE VRBANAЕ.

CVM descriptis aedificiis loca nobis demonstranda sint aedificiorum, prosequentes sextum librum vias, plateas, vicosque tabernis diversi generis nominatos ostendamus. Et imprimis ad Topographiam accedat urbanae viae, plateaeque civitatum, ad quas accuratius describendas, cogita te Hispali esse, quia non potes non fuisse, si mercator es, et quae est obedi causa civitates adis, et emporia terrarum celebriora. Vis plateam adire Divi Francisci confertuum iter a platea Ducis Sydonii; in qua cum fueris spectabis exitum rectum, et e regione positum in viam armorum: unde recta institues iter ad trivium a tergo relictum. In quo ne haereas, ne te revoces, flectes ad dexteram, inde perges in illum usque locum, ubi bivium est, quod omittens, nam unum ad viciniam fabrorum ferrariorum deducit, alterum ad Beatae Magdalenae flectet, rectam viam petere contendes. Neque vias in quascunque transversas deflectes unquam, sed recta in publicam custodiam pervenies, quae te deducet in plateam: paulo enim ante carcer aedificatus est. Illico in plateam ingredieris per viam, quae serpentis dicitur, quae longe, lateque patet, inde in bibliopolarum viam, in cujus exitum antequam perveneris, templum aderit maximum altitudine sua eminens et excelsum maxime.



VIA ARMORVM.

Via, quae armorum dicitur, speciatim describatur, quae lata, et perpetua est, longior caeteris, quae in urbe sunt, aedibus amplissimis continuata, strata lapidibus, a platea Ducis Sydonii in portam usque regiam ducta et directa: quae quam longa, lataque est, ab introitu in exitum usque suum tota patet, et oculis oppidanorum prospicitur. Poteris transversis aliquot viis, in plures declinare vicos civitatis, et ad dexteram, et ad sinistram. A platea Ducis Sydonii recta via hac armorum contendimus in rusticationem, quae ad fluvium Baetim pertinet. Quod si viam flectere volueris in primam viam transversam, ea te deducet in populetum, et ex illo quanvis decesseris plurimis viis, quibus cives in viam armorum ire solent, in plateam non multis circuitibus redire poteris. Colitur haec pars civitatis et habitatur frequentissime propter clara et illustria domicilia, in quibus divites habitare laxè, et magnifice possint: et aliorum habitatores vicorum, domos viae armorum magis, quam alias conducere soliti sunt; neque in viciniam aliam quibuscunque millibus nummorum habitent, demigrare solent.

PLATEA .S. FRANCISCI.

Vis aliquot peragratis ingredi in plateam, quae longe, lateque patet, quae cum aditus, et exitus habeat plurimos in diversas vias spectantes, tum ex omni parte prospicitur: illam solum excipio, quae proxima Franciscanorum aedibus abdita latet, propter lenatorias aedes magis productas in plateam. Ea tota domibus circumdata est, quae duobus in locis, porticibus sustentantur ligneis, reliquae patent, et in oculis et ore propositae mortalium nullo negotio visuntur. Quae illustratur praetorio regii consilii, et aedibus senatus Hispan-

palensis, podia infra porticus duas excitata sunt in extremitatibus adversis plateae, de quibus confidentes trium viri civiles de jure respondent. Omnium maxime platea celebratur concursu, frequentationeque omnis generis hominum propter tribunalia praetoris, et propraetorum, et propter auditorum aulas regionum, in quibus incorrupta, iustaque judicia exercentur. In haec duo tribunalia causae controversaeque conferuntur; huc adducitur rei, hic lites intenduntur, et dirimuntur, jus suum unicuique redditur, et constituitur omnis bene gerendae reipublicae administratio. Ita quidem scribas magna ex parte mandata expedire, judiciorum instrumenta conficere, et judicia sua sedulo et diligenter facere singuli satellites et administri iustitiae non intermittunt. Vocibus omnia complentur, et strepitu tumultuque litigantium. Videas scribas cum instrumentis in manibus, procuratores comitatu cursitare litigatorum, hos in tribunalia ingredi, illos exire, adesse multos apparitores cum virgis, et fascibus rectis et praecelsis, patentes et apertas officinas adiri scribarum, nihil agi, nihil jactari nisi de litibus inferendis, de persequendo jure, de compositione, de pacto et conventu inter utranque partem, de negotiis transigendis, definiendisque tandem aliquando, ne litigatores tot annos ancipiti iudicio distraeti temporis, et fortunarum iacturam faciant. Si quid novi fuerit foris delatum, si quid in urbano senatu, in auditorum praetorio decretum; in hac jactatur platea, concelebraturque: unde in urbem exire necessarium est, et ad domos idem deferri pervagata jam per vias omnes, et angulos dissipante fama. Templum Franciscanorum maximam plateae dignitatem affert. Atque utilitates non exiguas aquandi praebet fons in media platea multis fistulis profluens. In qua diversis in partibus multas res venales proponi videbis, et ad victum, et ad cultum corporis necessarias. Cum autem ludii sunt urbani committendi, et spectacula praebenda civitatis, statutus hic est, et praefinitus locus propter longitudinem, et latitudinem suam.

FORVM FRUCTUARIVM.

A Superiore platea forum fructuarium adcamus, et quidem omnium occupatissimum cernitur forum fructuarium: quod totum circumdatum est tabernis fructuariis, in quibus multa, diversaque genera fructuum venire solent. Videas fructus aridos, et recentes, ut anni tempora diversa ferunt, poma, pyra, mala Punica, mala Medica, ficus, nuces, castaneas, uvas pensiles, et poma quaecumque conservari possunt, vere autem pruna, cerasa, Persica duracina, praecocia, vel Armenia, melopepones, et alias varietates omnis generis fructuum, qui venales exponuntur in mensis: in quibus, corbes, cistellae angustiores, vel ampliores, longo ordine collocantur, et omnes fructibus diversi generis completae, palam propositae in oculis et in ore mortalium, ut quos unusquisque velit, et appetat fructus emere, et pretio constituto mercari possit ad voluntatem suam. Cum omnes cistellae plenae sint omnis differentiae varietatisque fructuum, Poma, fructus ve alii quam bene collocati sunt, et alii aliis impositi, in summo tandem fastigiati in pyramidum similitudinem, quae paulatim contrahuntur, et acuminatae terminantur. Quantus nitor inest in pomis? quanta species? quae venustas? quo rubore naturali perfusa cerasa nitent atque splendent? In reliquis fructibus, ut varia specie sunt atque multiplici, ita summa jucunditas est in singulis ad aspectum oculorum: invitant aspectu, nitoreque suo, forma specieque venustissima ad libras aliquot cujuscunque generis emendas, etiam in summa inopia, caritateque pomorum, avidum quaeque fructus recentiores edendi. Vide igitur accedentem famulum emtum libras aliquot diversorum fructuum, quia vernum tempus est, et ad caput, et ad extremas mensas, emere velle pruna, acria cerasa, mala Persica, et pyra, et fructus diversi generis, conjicere oculos in omnes corbes, aspiciere,

respicere, singula genera pomorum, haec gustare, alia attrectare, et aliquot sumere in manus, ut deligat, et in lancem injiciat appendenda pretio constituto, donec expleat numerum ad libras necessarium. Quem cum nimio plus avidum ad fructus, et inhaerentem corbis aspiciat venditor, jubet illum paululum a mensa discedere, contentum simul esse cum optimis, qui deligentur, fructibus, neque caeteros, pro duabus, aut quattuor libris, quas emat, destruere, penitusque perdere: quae attrectata viderit, posthac emtorem neminem, et attrectatu colorem amitti, et omnem pomorum suavitate: itaque plus illum damni facere attrectatu, quam emtione praesenti portare lucri. Quid deinde famulus meliora quaeso verba. Vti accessu dignetur, nullam esse causam irascendi, suum esse, qui veniat emtum, deligere, venditoris appendere, hac conditione se emere, et illum vendere, salvo honore, salvaque existimatione debere loqui, quod neque fures sint, neque furaturos certo credat: pro delibatis pomis, pro dano facto, optet, quod voluerit, pretium, paratum esse, summum, quod postulet, pretium persolvere: ad extremum injicit manum in crumenam, simulat promere se velle pecunias, nec se dare verba venditori velle honoratum, et bonum virum. Cui statim venditor ignoscat, det veniam, orat, non id dixisse, quod quenquam magis fidelem, magis quidem honoratum putet, sed ut poma speciem, et colorem suum retineant, et emtorem alliciant ad se venustatis aspectu: se libenter de pomis in corbes coactis, quod collibitum fuerit, intercepturum esse, et ex omni genere fructuum optimos et praestantissimos appensurum, hoc maxime sibi deberi, qui veniat frequenter emtum in suam tabernam fructuariam, et consueverit librarum numerum maximum coemere, et statim numerato solvens neque quidquam creditum deferat: quamquam propter egregiam suam, et spectatam jamdiu fidem, et propter existimationem pariter conciliatam, ille sibi summum semper habeat, et semper ostenderit animum,

voluntatemque credendi. Ita tempus teritur ultro, citroque responsionibus, et exculationibus: denique fructus appenduntur. Emptorum importunitatē spectate, dum fructus deligunt ad arbitrium voluntatemque suam, venditores pergūt unumquodque fructus pōderare genus, permagnum, praecclarum dicere, florem ipsum pomorum, quasi decerptum ex arbore nunc proxime. Denique cum in lancem unam fructus imponuntur, in alteram pondera, usque eo dum tantū fructuum injicitur, quantum necesse est ad justam ponderū rationem, saepe examē trutinæ exploratur, ne in unam magis, quam in alteram partem propendeat, et inclinetur: quod ubi addendo, vel detrahendo, paribus examinatum pōderibus nullam in partem movetur, justum illud, et legitimum habetur pondus, ad quod aspiciendum, et respiciendum saepe venditor emtorem praemonere solet: nisi nihil opus est admonitione, quoniam emtor duos oculos quam intentos habet in examen trutinæ, ne fraus aliqua sibi fieri possit, earum, quae plurimae solent in ponderum examine cōcipi, cum pōdera aut falsa sunt, aut leviora ad emtores fraudandos in aliqua parte pomorum, quos nec in uno fas erat uvarum acino fraudari.

FORVM PANARIVM.

Non omittam forum panarium, quod praebet panem, communem hominis cibum, et quotidianum, non solum Hispali factum, sed ex oppidis finitimis importatum. Cujus importatio suppeditat, non modo panem abundanter et copiose, sed bonū atque praecclarū, Vtrentensem praefertim, atque Gandulensem, candoris utrunque eximii, amplos scilicet, quadratos, atque rotundos panes, parvulos, mediocres, et majores, liba venustissima, picta niuium, et elaborata, spiras inflexionibus multis intortas, multis funiculis in circuitu emētitis perpolitas, et ex eodem pane lacertos, aqu-

aquilas, et alias aves adumbratas, et effictas, quid plura, imagines et figuras in ipsis panibus mirabiliter expressas omnis generis rerum, quas natura finxit, perpolivitque venustissime. Cum autem panes pulcri sint ad speciem, tum sapore suavissimo, ut regum mensas cohonestare possint, et eorum gustatum expleat.

ALIAE PLATEAE.

Sunt aliae plateae, in quarum una bajuli, et operarii exspectant ab albenti caelo, in aedes, aut in vineam, aut in villam, ad quam pretio conducantur, operas praestitum ire paratissimi. Qui signo dato Salutationis Angelicae opus omittunt, et mercede, quam constituerant, persoluta domos redeunt ad requiescēdū. In altera sunt anteambulones palliis brevioribus, et gladiis, et sicis accincti, bene barbati, ipso vultu et aspectu prae se ferentes officium, ad quod se proponūt, et offerunt comitādi dominos, et praecundi equitatibus, aut pedites subsequendi, si quis est, qui velit eos conducere pactione mercedis facta, quae quattuor plerunque solet esse, cum cibariis illius diei, nummorum merces argēteorum in occidentem usque Solem. Ita in sternendis equis, et omnis generis jumentis, in ornandis comparandisque lecticis, in officiis omnibus, quorum causa conducunt eos domini cujuscunque status, et fortunae, praestandis exercitatissimi sunt, non insolentes inserviendi semper dominis, quos fors tulerit, et fert singulos prope dies, dissimiles, atque diversos. Quos ut expleant, diligentia, studio, labore, assiduitate plurima semper opus est.

ALIUD FORVM INTESTINARIVM.

Est etiā forū, in quo male cocta cum jure deterrimo per mulieres intestinarias spurcissimas, et inquinatissimas

venent: quarum foeditas, et sordes a comedendo quolibet deterrent, atque species, et aspectus ollarum multo magis, quae ventris quidquid vitulini, quidquid intestinorum, unguium, atque pedum, et reliqui generis infartorum sua capiunt latitudine, fundoque vastissimo. Quae dum cochlearibus, uncinisque ferreis commoventur intra ollarum alvū contenta, dum versantur, agitantur, et extrahuntur vendēda, dissecanturque saepissime pro portione vendendorum, halitu foetido tetram popinam spirant: quam perferre potest nemo, nisi non insolēs harum exhalationum. Huc operarii multi, inopes et egentes, contemtissimi homines, huc bajuli, faeces, et sordes populi, huc vagi et errātes, qui neque tectum, neque domum habent ullam, et pernoctāt ubi nox illos oppresserit, in porticib⁹, subdio, saepe in derelictis, ruinosisque locis.

CARNARIUM SIVE MACELLUM.

IN eodem loco ponatur carnarium, quod ad carnes bubulas, arietinas, vitulinas, caprinas, ovillas, haedinas, et suillas appendendas in suas tabernas distribuutum est speciatim cuicumque generi carniū appendēdarum. Praefinitas igitur cuncti deposcunt carnes, et in clamant foris lanionibus, ut appendant sibi, vocibus horrendis, dissonisque clamoribus. Illi videntur astantes intus supra epixenium, cubitum usque brachia nudati, gladiis infligētes ictus acerrimos, dissecare carnes, dividere in multa frusta, partiri pro portione, appēdere quibus collibitum fuerit, sive proximi sint, vel aliquo intervallo remoti. Illi deferre pectora, costas alii, cruraque, alii carnes, aliqui, et magis singulares, pulpamentum nullis permixtis ossibus, non pauci, et indigentes collam, cervices, ossa, derelictum, et contentissimum arietis.

(SSS)

LA-

LANIENA.

ADjungam hic lanienam, quamquam procul a carnario extra civitatem exaedificatam cum porticibus lateritiis contra vim aquarum hyemalium: nam in hac pecudes jugulantur, et pecoris omne genus, et pellibus exuitur, et exenteratur. Pecudes sic nudatae per bajulos in macellū jumentis comportantur appendendae. Quarum vero sunt arietes, in eadem laniena, per eodēdem, capita, tomenta, reliquaque intestina veneunt, et voce publica praedicantur: vel inter partes facta pactione pretii statim persoluti. Huc concurrunt male cocta vendentes mulieres intestinariae, et ita spirantia de ventre extracta mercantur intestina, et ad suum jus, et male cocta intestina, farta, infartaque farcimina concinnanda domum deportant. Ex his lucrū, et quaestus maximus canum, qui sese his tomētis, intestinisque crassissimis complent, et inferciūt. Mugire vituli, grunnire sues, oves dū jugulantur, dum caeduntur, ballare miserabiliter, jugulatae sanguine manare plurimo, quo madent loca proxima, et solum omne lanienae natat lacunulis aliquot in partibus factis crassissimi cruoris ubique profusi, cujus concreti manent ad omne tempus impressa vestigia.

TABERNA SARTORIA.

IN describenda taberna sartoria complebo paginas rerum. Ad officium sartorum spectantium venustate, et quotidiana officii functione, non apparatu sartorum communi: nā quis sartorum viam praeteriens non obversantem suis oculis aspiciet tabulam impositam in fulcra, tam fere longā, quā latam, ex omni parte laevigatam mirifice, et in illa regulā, et forfices collocatas, pro forib⁹ de funiculis transversis pedetes vestes plurimas, diversi coloris, thoraces, tunicas mā-

X 3 ni-

nicatas, pallia, vestitusque reliquos viriles, atque muliebres, et lōgo ordine pro foribus ipsis, aut intra domum, ut a praetereuntibus videantur, hujusce artis operas praestantes diligenter atque sedulo tyrones, vel coadjutores suos annos ante jam aliquot farciendi, sciētissimos, et exercitatissimos adolecentes, ad vestes magistrum excitātem recte, politeque conficiendas: De istorum humeris pendent fila plurima in pectus usque, et a tergo identidem, et aequabiliter rejecta, quae filo uno absoluto ad alium denuo inferendum intercipient. Ita sartor suum officium facere non potest nisi acu, filo, forficibus: adde regulam, atque saponem, et digitale. Cum enim cuiquam opus est vestitu aliquo, et is accersit sartorem ad vestem conficiendam, sive thorax, seu tunica manicata, sive pallium breve fuerit, aut lōgum, : ubi primum sartor divitis domum venit ad metiendum vestitum, pannum in alveo lōge, lateque explicat, et attrectat digitis ad panni praestantiam et bonitatem explorandam, laudat illico, dicit dignum illius familiae praestantia, et principum corpori valde convenientem, congruentemque; quo praestantiorē neque Metina, neque Burgis allatū iri speraret. Idem quaerit de forma, de ratione vestitus, quem confecturus est, et illico metiri vestem laetus, ac liberalis incipit nullam relinquens corporis partem, quam non metiatur. Iubet igitur virū stare recto semper, et excelso corpore, et metitur partem cinguli, pectoris, et tergi longitudinem, et latitudinē, crassitudinem, et longitudinem brachiorum, quantum a media tunica pendere de labique debeant lacinae tunicae: in collo praecipuam adhibet curam metiendo. Atque ille metitur zonula aliqua, ex linteo, vel ex panno, et unamquāque mētionem in zonula saponem primum notat, deinde parvula sectione notatae zonae: atque ut diverso semper modo mētionem internoscit, varietate distinguit. Ita sartor infert forfices in medium pannum, easdem ducendo semper, dirigendoque per notas descriptas, designatasque lineas: sed prius

explorando partes totius panni, et quantum in illo sit ad metiendum, ne quidquam desit, et postea fallatur in progressionē metiēdi. Itaque dissecat atque incidit pro debita, ac legitima corporis proportione, et nunquam a recta linea declinando, atque omnes partes, quae postea acu coire debent, atque conjungi, involvit, et glomerat zonula circumcingens, et nodo laxo, et gemino astrictas puerulo dat deportandas in officinam sartoriam: nisi non adeo sit ille magnus farciēdi artifex, qui nondum ad pueri sumtus ex sua arte luccrum faciat: quamquam nunquam minimis etiam sartoribus desunt filioles, qui fasciculis hisce deportandis inserviāt. Ille igitur sua manu, aut mercenariorum, quos habet domi farciēdi peritos, curat vestem conficiendam in tempus, et in diem praestitutum. In quo sartores aliis vestibus conficiendis occupati non semel solent mentiri, et dominos quoad possunt, producant, et verbis prorogant dies, atque adeo differunt, ut saepe cogantur vestes auferre sartoribus hisce, et aliis conficiendas tradere: quod necesse habent aliquot feriis celebrioribus vestitum induere, et satis honoratus homo putat sibi sartorem dedisse verborum, satis etiam se tēporis expectavisse vestem, neque jam ferri posse moram sartoris, qui multitudinem aliarum vestium conficiendarum causetur, et suam inertiam, et incuriā accuset quotidie mercenariorum inopia: neque se minus videri dignum existimat, et dicit, quā aliū, quē praeposuit sibi, cujusque citius curavit vestes conficiendas. Ille igitur vestem magni pretii et aestimationis in manus accipit farciendam; primum cōfert singulas partes, et accommodat, conjungens connectensque elegātia summa, et accuratione, ut quaeque cōgruūt, et cōvenire debēt, atque primū tunicae pectorale, deinde manicas, postea lacinias, et illas oras extremitatesque ultimas, denique limbos serico filo, et punctis minutis refartos: atque manū illā dexterā farciēdi nō insolētē, celeri brachii cōmotione incitat, movet, atque propellit ad op⁹ far-

ciendum, digitali acum impellens, propellens, et adigens ad pannum trajiciendum, tantaque venustate, tanta celeritate praestat operam necessariam, ut filum unum, et alterum, multaque in acum inferens, venustate, iterum, ac saepius mirabiles in extremam usque manum processus faciat. Is cantu interdum laborem suum aliqua ex parte levat, et facietis politissimis, multis ultro, citroque sermonibus habitis cum comitibus, ac consortibus laboris et operae quotidianae. Nondum confecto vestitu, ut sartor illum conficiat ad voluntatem domini, antequam conficiat, alas, et manicas cum tunicae manicatae corpore, solutas per se manicas, corpus etiam ipsum, domum divitis deportat, ut illum induat dominus, et ipse exploret, aptus ne sit, et ex omni parte congruens vestitus insideat in corpore, ne laxior, aut angustior sit, ne brevior, aut longior corpore, cui conficiendum est: ut si quid detrahendum est, opportune malo medeatur, cum possit, et nullo vestitus incommodo: ne quam denique deformitatem rugarum, aut offensionum quisquam aspiciat praestantia boni sartoris indignam: denique ut vestitus ad rationem corporis, brachiorumque conficiatur, ne comprimat corpus vestis induta, et ad usum accommodata sit, et ad speciem venustatemque mirifica. Vbi confecerit vestem sartor, nihil restabit, nisi ut ferat pretium operae, et laboris, quamque ille constituit mercedem mulieri, quae globulos, et ocellos fecit, ut convenerat, persolvat. Atque ita sartor non parvos ex arte sartoria quaestus facit probatus in posterum nobilibus in vestitu apte, politeque conficiendo. Neque sartoris est hujusce, reficere vestes discissas, quas alii resarciunt centonibus inferis arte politissima, in discissam, discriptamque vestem alias partes, centonetque sufficiendo.

ADOLESCENTVM CULTVS MAIORUM, et aetate nostra.

¶ Ex



X vestibus, quas sartores conficiunt, primum de cultu adolescentum dicendum est. Hos videre est totos nitidos, ac fulgentes, tanquam pupulas quaedam consecratas Veneri, macipatas Cupidini, addictas libidini, capillis intortis et inflexis, et cincinnis a fronte capillorum, faciem nitere quasi unguentis delibutam, collare subuculae aliis, et aliis inflexionibus, multiplicique concavo sinu in aures usque sublatum, et eminens, ut collum commovere non audeant, ne destruantur inflexiones intortae: quod adeo constrictum gerunt, ut quasi tabulis duabus collum interjectum videatur, adductum, atque compressum instar brutorum animalium, quae morbo notissimo laborant. Corpus vero humile scilicet, et contempta veste contentum est, panno fili crassissimi, in quo post exiguum tempus crassitudinem filorum numeremus. Dicent, is est proprius contemptorum, et infimorum hominum, inopum et egentium, rusticorum et agrestium. Demus hoc divitiis suis, demus oppidanorum elegantiae, demus immutatae consuetudini, et ad mores deflectae novos, et inusitados, ut dissimili modo se homines isti copiosi, et bene nummati, quia possunt, quia mos tulit, quia in urbibus versari debent, ut pannus sit tenuissimus, et purissimus, specie, coloreque suavissimo, tanta tenuitate filorum, ut post multos annos, pallio jam attrito fila nequeant internosci, mollissimus, et collucens admodum, ut manibus attrectatus videatur sericum esse rasum, et ob hanc causam ex locis, ubi lanae purissimae, et panni tenuissimi conficiuntur, Segobiae, aut Burgis comportentur, tanti pretii et aestimationis, ut in singulas ulnas sex nummos aureos numerare cogantur. An quidquam magis aestimandum? magis sumptuosum esse potest? Non sunt jam mediocres hominum libidines, non ferenda insolentia corporum ornandorum; pannos Segobienfes, et tenuissimos, mollissimos, instar sericorum rejiciunt: nihil nisi serica, nihil nisi Damascena, nihil nisi bomby-

Y y cina

cina, nihil nisi telas aureo filo intertextas appetunt, omnia nulla putant ad ornatum politissimum, et ad illam speciem, et pompam superbissimam. Corpora igitur ornantur tunica consueta, et filo multo serico, vel aureo, picto, elaboratoque, et multis in locis interciso, aut fenestrato, multis interdum flosculis, aut vario opere distincto, et minime manicato, ad thoracis manicarum ostentationem serici, politissimique. Quorum collaria, quam adducta, et contracta in angustum, et a summo leviter revocata, ut summitas thoracis pateat et aspiciatur? faucibus premuntur, et vix spiritum liberum ducere possunt, ut anginam pati, et faucibus premi videantur. Atque hic videas ad morem usitatum globulos ocellis insertos tunicarum in collum usque summum, ut extremum thoracis serici proferatur in lucē. Crura vero quid habēt ornati? caligas. Et harum genera quam diversa? quam disparia? Aut enim feminicruralia gestāt, vel femoralia cum tibialibus: feminicruralia intersecta sunt, a summo, et acu picta, et elaborata multo opere et artificioso, et intrinsecus serica rafa, vel telae ex aureo filo includuntur: quae ad inanem jactationem proferuntur in publicum. Quae tibialia ex serico filo, acu elaborata, et ad magnam aestimationē perducta? Atque ipsas fascias crurales cum specie et forma eminenti rosarum, longitudinē feminicruralium, quae ad genua usque decidunt delabūturque, quis patiat? nihil reliquum esse videtur nisi ut cycladas mulierum, quae ad talos usque demissae geruntur, quoniam viri sunt, et illas gerere nō possunt, quomodo, qua ratione possunt, e mentiri contentur impudenter: et gladios, et fidas deponant aliquando, ut operas praestent mulierum, colum in sinum inferendo, et altera manu filum ducant, et intorqueant fufum trahendo, et circumferendo ad coli pensa persolvenda. Atque pallia imponunt breviora corporibus; illaque multis fasciis ornata sericis, limbo distincta pretiosissimo, galeros gerunt magis humiles magisque demissos, quam unquam an-

antea, cum pennis verficoloribus, et variis quotidie velis minimis circumdatos, aut tenis diversi generis, atque formae, quotidie magis a superiore distantes, aut vitreis, aut claviculis ferreis, aut pastillis suaviter olentibus ornatos. Mitto chirothecas concisas, et acerrimis odorū conditionibus imbutas, olentes suavissime. Nihil dico de stropholis aquarum suavitate fragrantibus. Praetereō calceos acuminatos, et angustos adeo, constrictosque, ut constringant pedes, vehementerque comprimant. Incedunt homines isti erecto capite, ore nitido, cum fastidio, et arrogantia, numeris in incessu fervatis, specie summa, et illustri pompa corporis, huc, et illuc oculos convertendo, gradum quacunque faciant, et vias publicas, atque plateas peragrando civitatum. Idem quotidie mutant vestitus, et ornatus pretiosiores, et quod ferendum non est, uno die mutationes crebras cultus, ornatusque sui faciunt, ut hos diurnis temporibus, et ad civitatis lustrationem, alios domibus ipsis, et ad vicos perlustrandos (quos illi jam vestitus vicinitatis appellāt) alios noctibus praestitutos habeant. Nunc de Clericorum vestitu communi.

VESTITVS CLERICORVM.



RESBITERI nostrae aetatis, praeterea ritaeque, semper talares induerunt tunicas a fronte in pedes usque conclusas, vel omnino apertas, sed globulis insertis in ocellos ornatas, coeuntesque, quibus propter decus, et honestatem tuendam, ne cura proferantur in publicum, cavere debent diligentissime. Corpus autem, ne tunicati incedant, epitogio ad extremam usque tunicam demissum induere consueverunt, et pileo caput

quattuor habente cornua. Atque pilei huiusmodi humiles sunt, aut altius tolluntur, ut mos fert et consuetudo illius loci, in quo presbyteri versantur. Adde petasos ampliores suis temporibus cum spira, seu funiculo, qui ad fauces extenditur, et offendice sub mento astringitur.

USITATVS HOMINVM CVLTVS.

Cultus hominum honoratissimorum, neque inani specie saeculo huic inservientium communis, est ille, qui sequitur, ut post subuculam thoracem gerant lineum, vel sericum, et tunicam manicatam per breuem globulis, et ocellis ornatam. Corpora palliis brevioribus amictantur. Illi gerunt feminicruralia serica, et tibialia, aut femoralia loco feminicruralium. Atque ipsi tibialia fasciis sericis exornant in illis formas ementiendo rosarum. Calcei politi sunt, et concisi, ligulis constricti sericis, ne decidant, et elabantur de pedibus: neque tamen laxi, neque angusti sunt admodum, sed qui semper acuminati terminentur ad elegantiam, et ornatum aulicorum. Capita galeris ornantur, quos homines gerunt demissos in frontem, vel leviter ad unum, aut ad alterum latus dejectos. Ipsum vero collum miram habet speciem et elegantiam ornatu collaris subuculae, quod nive candidius eminet, variis inflexionibus circumdatum.

ORNATVS MVLIERVVM.

Libet a viris transire ad mulieres, et illarum levitatem, et curam maximam in cultu corporis adhibendo, et in facie mira arte pingenda describere: nam umbris parietum tectae in curandis capillis, et lixivio abluendis, ut flavos reddant, et auri splendore nitidiores, totam hebdomadam absumserunt. Cum illae die Domini, aut aliquot feriis sanctorum celebrioribus prodeant in publicum, ea, quae praecessit

cessit, nocte, antequam cubitum eant, aquis acerrime conditis abluunt sese, certoque unguentorum genere vultum et ora perficiant. Cum ipsae surrexerunt, statuunt ante se arculam, pexunt capillitium rutilum atque splendens, ut auri te dicas fibras intueri splendidas atque collucetes, et calamistro notatis vestigiis dividunt illos aequabiliter, ut in dextram, et sinistram longe, lateque diffundant, atque componant. Ipsae quoque proponunt alabastrum unguentorum, vitrea vascula collocant, et medicamenta proferunt omnia cadoris, atque ruboris, explicant vestes pretiosas, omnia ex auro, et argento, quae habent ornamenta ad corporis cultum et ornatum. Ecce igitur supparos jam indutae pretiosos, cycladas induunt sumtuosas laciniarum longitudine cohonestatas, a fronte multis institis adornatas, et limbo pretiosissimo circumdatis, et pallam injiciunt corpori, media a fronte divisam, multis fibulis aureis, et claviculis collucentibus mirifice splendentes: quam de industria ad ornatum cycladis patefaciendum apertam relinquunt, atque patentem, fibulis, et claviculis pendetibus aureo opere, et tremulo, in motu corporis, in incessu praebentes speciem illustrem et splendidam. Accedunt ipsae ad oris elegantiam, et pulcritudinem, et cadoris, et ruboris fucatis medicamentis faciem illinunt, ut fucata illa, et simulata specie vitia oris tegant, et deformitatem occultant suam; et faciem deformem, et pallidam, horridam, et tristem colorant, fucant, et quantum in se ipsis est, animant. Ita candore primum ora inficiunt, deinde genas, et labia fucato ruboris illinunt, reticula capitibus accommodant aurea, praeposito fronti diademate fulgenti, et aureo splendore bractearum tremularum illuminato. Videbis pendere cylindros ex auribus pulcherrimos, collum torque speciosissimo decorari, de labi de collo in pectus usque multis orbibus constantes muraenulas aureas, ex ultimo pendente emblemate magni pretii et aestimationis, annulos manum utranque gerere suis insertos digitis, gemmarum eximio splendore

collucentes. Sic vestibus pretiosissimis excultae, fragrantibus unguentis delibutae, lautis et urbanis pueris, et omni lepore circumfluentium ancillarum grege comitatae, molli, ac pellucenti velo seu peplo serico, sed aperto capite, ut ab omnibus ita nitentes, atque ornatae videantur, ostentandi se cupidissimae, et hominum, et aulicorum praecipue oculos in se convertendi, aperta lectica vehuntur, aut pedibus, ore impudenti, fragrantia oculorum, cerussatis genis, venustate corporis, et agilitate progrediuntur, magno fastidio, et insolentia, stabello valde elaborato ventum sibi faciētes, et immunditia ementiti coloris honestum virorum, ac mulierū offendentes quodcūque gen^o, omnes blāditias amorū, et venustates animis consecretantes, et faces jactantes, quacunque progrediuntur, et impurissimarum libidinum incendia. Ita quidē mulieres hujusmodi faciūt, ut turpes visu, et auditu sint. In quibus postquam fucō illitus color eluitur, quod indecorum, et deforme erat, apparet; et facies, quae specie splendenti nitebat unguentis, et falsis fucata pigmentis erat, quā fallax et fucosa sit, facile cernitur. Adde sordes, quibus ora inquinantur, et pigmēta omnia, quae sudore defluunt, et toto ore diffunduntur foedissime.

PICTORES.

AD mulierum cultum officina pictoris adjūgatur, quarum fucum, et pigmenta pictores imitantur. Officina pingendi non dissimilis est aliarum, quas caeteri artifices rebus, et instrumentis ad suam artem exercendam ornant, et instruunt. Sed pictorem fere semper stantem videbis supra locum aliquem accōmodatū, tabulam, aut papyrum ad picturam habentem rectam, et adhaerētē parieti, vel in mōsa collocatam, et explicatam, quam rei pingēdae natura fert. Vbi purpureos, virides, croceos, caeruleos, fuscōs, nigros, albos, et caeteros colores pictores emerint, primum macera-

re

se illos, vel tundere debent commiscere, cōfundere, et adhibito iusto temperamēto, singulorum conchas plurimas, atque dissimilium colorum plenas, pro multitudine, diversitateque colorum, quos pictura postulat, ante oculos statuant cum regula, penicillo, artis hujusce consuetis instrumentis. Primum igitur lineas ducere sensim rectas atque directas, ubi locorum tabulae necessitas deposcit, et adumbrare incipiunt; deinde post adumbrationē, imaginem picturae simulatam, et adumbratam suis student formare coloribus; atque proprio penicillo, suis pingendo coloribus, imaginem colorant, animant, suis insignibus illuminant, variāt atque distinguunt luminibus pingendi clarissimis, vel ad exemplar, quod sibi proposuerunt imitādum, et statutū habent ante oculos, ne a recto exemplari vel minimū discrepent. Aliquando habent imaginem animo comprehensam, et in mente insidentem, penitusque defixam, cujus insignē pulcritudinem exprimunt, perpoliunt, atque perficiūt summo opere: donec pictura evasit nitida, et illustris, antiquo opere, summoque artificio collustrata. Quae cum in lumine claro visenda proponitur, insigni suae pulcritudinis specie rapit ad se spectatorum oculos, et partium singularum accurata descriptione, lineamētis, et omni cōformatione, colore suo vivo, et quasi naturali pascit sensus omnes, et animū suspensum tenet. Neque solū oculorū aspectū moratur atque detinet, ut natura minime videretur artificiosius opus efficere posse: sed cum natura manus artificis elegans, et artificiosa certat. Atque picturae praestantiā, et nitore in veterib^o, et in nostris simulachris intuebimur. Alcamenes fecit Vulcanū Athenis, in quo stante, atque vestito leviter apparerebat claudicatio nō deformis. Pugna fingebatur a Virgilio calamitatū Trojanarū, atque illi^o excidii miserissimi in tēplo picta praeclare, quibus ipsi interiores tēpliparietes adornabantur: nihil erat pictura nobilius, nihil Carthagine, quod magis visendum putaretur. Atque in aliis templis Idolorū

multitudine sacris ex veterum annalibus accipere potuerunt homines, cum multi vim tempestatis effugissent, in portuque salvi pervenisset, hos naufragia, tempestatesque reliquise descriptas in tabellis, quod se suorum Deorum ope falso creptos conservatosque fuisse putabant. Apelles, a quo potissimum pingi voluit Alexander, multa suis reliquit expressa simulachra manibus, atque imprimis celebratam Veneris imaginem, adeo nitidam et illustrem, ut nemo pictor fuerit inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquit, absolveret. Oris enim pulchritudo, reliqui corporis imitandi spem auferbat. Ita Apelles caput Veneris, et summa pectoris politissima arte perfecerat. Timantes nunquam usus fuit plusquam quattuor coloribus. Is Iphigeniam aris mactandam expressit, sed decrevit obvolvendum caput Agamemnonis esse: cum summum illum luctum penicillo non posset imitari. Atque nostra memoria multae pinguntur tabulae, multa simulachra sanctorum in linteo, in ligno, in alia materia politissima, quorum picturae subtilitas imitabilis illa quidem non videtur esse existimanti, et nihil experiendi majus. Ita effictas rerum diversarum expressasque imagines videmus, adeo pictas, atque expolitas, ut majori artificio, et expolitione distingui non posse videantur. Sic picturae varietas, et simulachrorum dissimilitudo maxime delectat, cum venustate animos retinet, et ad contemplationem maxime excitat: ut tabulae pictae habeant, quem contendebant, absoluti perfectique operis effectum. Quamobrem diuturnitatem temporis, quod in pingendis tabulis pictores impediunt, dum coloribus ad variandum expositis primum rude quoddam operis simulachrum adumbrant, deinde formant expressa figura, suisque lineamentis effingunt, postremo summa cura expolunt, absolvuntque, minime mirari debemus. Tanta requiritur accuratio, ut imagines formari magna similitudine possint.

ACV-

ACVPICTRICES MULIERES



Pictoribus non multum acupictrices mulieres abesse videntur, nisi quod illi penicillo, hae vero acu summa venustate pingunt. Mulier acupictrix cum linteo tenue, et candidum, et ad pingendum accommodatum nata est, in pulvinulum apposite non minus, quam venuste accommodat, et affigit aciculis necessariis partem, quae prius acu pingenda sit, longe, lateque explicatam relinquens, atque adeo adductam, ut nulla sit rugarum deformitas, nullae offensiones, in quas acus trajiciens linteum possit incurre, caeteris partibus lintei complicatis, et acu comprehensis, ne inquinetur sordibus aliquot, aut pulvere, vel sudore, manuum ve atrectatu inficiantur. Ad similitudinem igitur exemplaris propositi ante oculos, aut in mente defixi instituit mulier linteum acu pingere, et aliis, atque aliis nexibus quam venustissime implicatas multiplices formas effingere, et formarum serie mirabili continuatas: quae praebent speciem arborum, aquilarum, aut aliarum rerum, et serico filo rubri, aut alterius coloris. Ut filum optimum est, et manus venustissimae, ita nitere postea necessarium est pictum, et elaboratum opus. Neque unquam mulieres complicatum linteum explicant, nisi quod prius explicatum fuerat, absolute nec opus deponunt e manibus, nisi tectum alio linteo relinquunt, ne quid sordium incidat. Atque illud mirabile est in picturis mulierum, neque tactu, neque contrectatione opus inquinant. Ita plerumque relinquunt, atque primo candidum acceperunt. Tantam munditiam, et elegantiam adhibent in pingendo. Quae lintea acu pinxerunt, inserunt postea varii generis linteis, pulvinulis, aut ornamentis lectorum, vel aulaeis retio opere confectis ad usum, et venustate domesticam. His operibus reticula texta exornantur adeo

ZZ picta,

picta, adeo elaborata, ut sericorum saepe vincant elegantia, atque splendorem.

CALCEI.

Non tot rerum diversarum exercitationibus sutoriam insereremus, nisi ocrearum, et virilium facta mentione calceorum: quod artem hanc, atque ferrariam nō tam propter humilitatem suam, quam propter sordes relinquendas existimem. Nam quid ego commemorem quae in arte sutoria necessaria sunt ad operas suas praestandas? sutores alii summae sunt artis, alii infimae nuncupantur; omnes autem ita in sua arte praestantes erunt, ut in fuēdo subtilius, et elegantius excelluerint. Relinquamus igitur artis hujusce instrumenta, forfices, scalpella, tabellam, buxum, normam variam, dissimilemque, punctis pluribus, aut paucioribus constantem, subulas, aciculas, setas, claviculos, coriū, pelles, forpices, aquam, glutinum, quibus sutores utuntur ad varias functiones suae artis. Nihil hic dicam de calceorum partibus, qui sex ad summum constant partibus, talone, linguis, seu auriculis, fenestris, obstragulo, denique soleis: his enim conflantur conficiunturque calcei de praescriptionibus suae artis. Taceam quomodo sutores coria, vel pelles maceratas, et tinctas, quo possunt, pretio emendas curant. Praetereamus metiendorum rationem, modumque calceorum ad normae aequabilitatem, quam volunt, proponuntque sibi, aut homines pedibus suis appositam deposcūt, undecim, aut duodecim puncta, plura, pauciora vepatentem in longitudinem. Scimus varios deposcere calceos necessarium esse homines, mulieresque, et viriles, vel muliebres, unius, aut geminae soleae, fenestratos, aut cōclusos, concisos, aut caesim apertos. An vero nos immorabimur in calceorum opere conficiendo persequentes singulas illorum partes, atque adeo tripartito distinguentes, secātesque in talos, in obstragula, in soleas, ut sutorum non dissimiles aggrediamur calceos conficiun-

ficiendos, qui rudi pelle amicti pectora in genua usque prolabente, in buxo, quod super femur alterum ponitur, et ne delabatur corrigia a planta pedis sublata continetur, et cōstrictum compressumque opus conficiendum accommodatur, et subula perforata, pelle, soleaque consuitur, acu perforamina singula setis ex utraque parte insertis transmissisque? Quis molestiae nauseam suscipere desinet recordans sordes, quibus filum comparatū est, et cera, et pice permixta oblitum, atque lebetem aqua plenissimum, quem sibi ipsis sutores laborantes propinquum habent ad soleas madefaciendas, et molliendas, ut cōsuere calceos possint sine maxima contentione brachiorum, et offensione manuum suarum. Minimum est sutores singulas calceorum partes buxo macerare, et pertundere, et multo levius extractas quā primum ex aqua, aut spongia, vel panno aliquo madefacto lenire duritiem et crassitudinē corii. At quis sordes manuum, quis labia cera, et pice oblita perferat? quis aquam solearum sordibus inquinatam perpetiatur, et illarum tetrum, et intolerandum odorem, dum, soleas madefactas, et manātes aqua constrictis dentibus mordent, atque protendunt ad acquādas, conjungendasque faciliore negotio partes, quae consuntur, filoque copulantur inter se? De calceis solum dicam, atque ita dicamus, ut jam vel concisos, vel fenestratos in hominum pedibus consideremus apte appositeque confectos, atque ita polite et ornate perfectos, ut apti videantur et habiles, ad pedē mensi ad praescriptū postulatūque punctorum modulū; neque laxi, neque angusti, neque breviores, neque longiores, ne decidāt et delabātur de pedibus, aut dum cōstringūt cōprimūtque pedes, ex cruciēt et torqueāt digitos extremos: quibus sine summo dolore, et offensione nō possent homines, incedere. Atque ligulis ornātur sericis ad ornatum, et ad pulcritudinē suam, quae coeunt, et devinciuntur venustate nodi astricti, usitato modo, et more hominum politorum, et aulicorum. Adde ocreas itinerarias, quas oblitās multa

cera, et magis ad perferendam vim frigorum, et contra itinerum molestias induit homines corrigiis in ligulas insertis astringentes, ad sustinendas, continendasque easdem. His adijunge magis urbanas, magis politas, magisque visendas, quas, ut tempora ferunt, concisas, et adductas admodum, in genu usque productas, aut multo magis infra genua gerunt rugis plurimis apte, politeque cadentes: hacque in sutrina ocreae hujusmodi, calceique emuntur usitato pretio. Atque ita in illa pueriles, viriles, muliebres caeci, ocreae urbanae, itinerariaeque pendent palam mercari volentibus propositae: atque eae in modulo conclusae continentur cum adminiculo pellem sublevante, atque coxa lignea facta ad conformationem appositam et elegantem calceorum.

OFFICINA FERRARIA.

NON admodum sutoribus fabri ferrarii sunt inferiores: ideo non immerito quidam propter sordium, et artis humilitatem conjungendi. Officina ferraria posita ante oculos est viam praetereuntium suam, quae ab eodem ferro ferraria vocatur. Quae ad suae artis functionem folles habet, quibus faber ferrarius ventum facit ad excitandum ignem injecta jam ante materia carbonis in fornacem ad eundem ignem concipiendum, et alendum. Neque suffitor abesse debet follibus inflandis praepositus, utranque semper vicissim agitando manum. Sequitur statim fornax, quae flatu follium assiduo semper ardet, et quidem stridore favillarum, et scintillarum in sublime volitantium, in quam ferrum accendendum immittitur, et ex illa forpicibus extrahitur, et impositum in incudem ictu multiplici contunditur. vi brachiorum inflicto: atque in unam, et in alteram partem versatur aduersum, et auersum. In quo ferro contundendo mirabile est videre quanto ordine ictus alternos singuli fabri ferrarii.

rarii infigit, ut quanvis officina horrifono strepitu malleorum concrepet, conseruent tamen modum, et ordinem infigendi ictus alternos, nullo unquam damno facto in fronte, vel in capite, tollendo demittendoque malleos ad ferrum contundendum. Fornacem sequitur pila aqua semper completa, et spongas aliquot habens ad imbibendam aquam, ad aspergendam fornacem, ut vis, et ardor ignis remittat, atque frangat se se. In lacu ferrum intingitur fabricandum, atque conficiendum. Infra fornacem carbo est ad ignem necessarius, sine quo ignis permanere non potest, et ut alatur illius pastu, semper in promptu habetur. Postea incus est vicina et propinqua fornaci, in quam, simulatque ferrum extractum est de fornace, contundendum imponitur. Et clavi, vectes, serae pensiles, ferrei clathri, et reliquorum operum formae figuraeque efficiuntur, et singulae suis ferramentis quam venuste, politeque absolvuntur: ut fabri ferrarii clavi non solum habilem ad usum, id est ad claudendum, et aperiendum, sed venustam ad aspectum oculorum, nitidam, et illustrem, ut lima polita, perfecta que praebet speciem argenti, quam appensam de zonula possis absque ullo probro, et dedecore gerere, absolvunt, et expoliunt. Idem faciunt etiam clavos, quae volunt longitudine, et breuitate, tenues, aut crassos, et acutos, ut figi queant, et ut quas res voluerimus appendere, firmitate sua contineant: qui trajiciant ligna, tabulas, trabes, et in parietes, quantum opus fuerit, adigantur. Ita prima pars eorum est capitata, qui a capite crassiores paulatim attenuantur in cuspidem usque, qui acuminati terminantur, et acuti, ad vim omnem, et rerum diversitatem trajiciendam. Inter reliqua fabri ferrarii instrumenta magno usui sunt sphyrae, quae sunt mallei ultima parte acuti, reliqua ampliores, et latiores cum inanubrio ad ferrum secandum factae. Accedunt forpices parvulae ad sublevandum ferrum, si quando de incude delabatur in terram. Fuscinae sunt ad agitandum, et versandum focum ut ardeat, et ad extrahendas ferri faeces;

stylus ad perforandum ferrum calefactū, limae parvae, mediocres, et magnae, ad opera limanda, expoliendaque. Noti sunt torni ferrei ad apprehendendum ferrum, quod abstergitur, et limatur. Reliqua ferramenta, quae vel ad ferrum secandum, vel ad frangendum, et contundendum fabros ferrarios plurimum adjuvant, praeterimus: quod neque passim occurrent, neque nota vulgo sunt. Fabros ferrarios, illorum aedes, et totam viciniam, quoniam vicum unum semper incolunt, mentis oculis cernite. Ante oculos vestros ille verfabitur foedus atque deformis, faciem et ora fuligine aspersus, manus non min⁹ sordidatae, nō dissimilis Vulcani, sordium et squaloris plenissimus, carbone notatus atque inust⁹. Subuculae collare, vestesque carbonis notatas maculis aspicietis, et ipsa fuligine inhaerente parietibus, tostas aedes, deformatas, et horridas, et viciniam paulo minus deformi aspectu, specieque tetra foedatam intuebitur, ut ex aspectu, indicante nemine, officinas in illo vico ferrarias esse facile conjectetis.

OFFICINAE LIGNARIAE.

Illis officinis ferrariis propincae sunt lignariae. In ipsis foribus, et pro aedibus suis incurres in fabros lignarios. Portam aliquam, aut fenestram, scabella, lectos, aut opus aliud faciētes: quamobrem tabulis, trabibus, lignis diversi generis completam reperies officinam. Tabulam igitur, unde sibi faciendum est opus aliquod, statim legitima longitudine, et brevitate, crassitudine, vel tenuitate, reliquaque in hūc modum materiam ad operis fabricationem architectandā, cujus egent, fabri lignarii dolare debent, postea laevigare, et expolire, et ad perpendiculū, lineis rectis atque directis pri⁹: ad quas operas praestandas suis utentur instrumentis. Ad primas utetur dolabra, ad proximas laevigatorio, ad ultimas libella, quae norma est, et regula dirigēdi totū opus ad perpendi-

diculū, ne quidquā sit, quod offendat oculos, aut manus, ad acquabilitatē explorādā, ab homine curioso per portā de industria ductas. Omitto malleū ad ictus infligendos, scalprū ad excavandas partes aliquas ligni, vel tabulae dolandae, ferram dentatam, quae dividere debet tabulas, et materiam omnem ex ligno constantem suas in partes secare, et quae communia sunt, caetera fabrorum lignariorū, et suae exercendae artis instrumenta. Portam ex multis fabri lignarii operibus magnificis, atque praecclaris intueamur, tanquam opus ex omni parte perfectum, aptum, et habile ad usum, et venustum ad aspectum. Portam facile versare debēt in cardine, aperire, et claudere sine stridore, sine molestia famulī ad suam, vel cujuscunque introeuntis arbitrium atque voluntatem. Quae cum primum dolata sit, deinde laevigata, et ad libellam tota ducta directaque, denique summo artificio expolita, ornatur in circuitu arrectariis politis, et elaboratis, fectisque in medio, et striatis plerunque, atque speciem crucis praebetibus. Atque illa a summitate in extremitatem, alias, et alias caecas fenestellas, insertas, atque collocatas satis admirabiliter habet ad sui ipsius abolutionem, atque perfectionem. Ad haec, quae praediximus, cum utatur faber lignarius supra dictis instrumentis, tum aliis limabūtur a se politius opera perficiunda, ut opus tam politissima arte perfectum, negēt, qui intueatur, tā polite, tamque subtiliter effici potuisse sine summa solertia, atque ingenio. Idē terebra, et terebellis utitur ad ample, et tenuiter terebrāda ligna, scalpris ferreis, et scalpellis ad perforāda eadem ligna cum malleis percutiendo scapellum ad assulas lignorum incidēdas, et reliquias omnes discissas atque sectas extrahendas. Denique faber lignarius utitur serris, et ferrulis ad secanda ligna, tabulasque, cujus primae partes sunt in opere instituendo aliquo eorum, quae pertinent ad fabri lignarii officium.



GALLINARIUS VICVS.

Vla est gallinaria a gallinis praecipue nominata, quae illic veneunt, et a reliquo genere avium, quod cuiunque collibitum fuerit mercari, venatica dicta: illic enim gallinae, pulli, anseres, capones, cuniculi, palumbi, lepores, perdices, et reliqua huiusce, reliquique generis, quae avium nomine continentur, multitudo, diversitasque venit, neque magno, sed certo fere jam, et constituto pretio, et ad quod constituerit emtor pretium, seu numerum. Nec in una solú, sed in multis aedibus, atque mortuas, et vivas aves pro arbitrato suo emet: quarum multitudo partim jugulata pendet pro foribus, partim in caveis, cistellisque inclusa ad januam proponitur. Unde propter vim et multitudinem avium, quae hoc in vico expediuntur, plumis stratam viam, et aediú vestibula singularú aspicias. Unde septae sūt plurimae arcae subdiales in his aedibus, vallataeque parietibus altissimis, et in his gallinaria ad continendas, inferciendasque aves, quas aviarii hordeo, aceribus, et furfuribus pascunt, et inferciút usitato vendendas pretio. Atque gallinaria habent suos pallos transversos ad gallinarum quietem, et columbaria ad ova parienda satis apposita. Aviarii singulos in dies dimittút in diversa oppida, qua venatione abúduant multa, famulos, qui lepores, gallinas, perdices, cuniculos asportent. Atque saepe pacti sunt quidquid venando nanciscantur habitatores oppidorum, quod expediuntur illico Hispali: quae omni tempore propter multitudinem incolarum, et alienigenarum, nihil non absumit. Sed de gallinarum genere agamus.

GALLINAE.

Gallinae non eodem semper colore sunt, sed nigrae, vel candidae, vel fulvae: multas maculae toto corpore

pore sparsae, distinguunt, et pulcerrimas efficiút: quae cristas gerunt in capite sublimes, vestitae plumis, et a lateribus pennis suffultae sese efferunt in sublime, et voládo quaecúque loca praetereunt, et ascendunt. Carnes illarum suavissimae sunt, quae assae, coctaeque in conviviis apparatussimis divitum mensas cohonestant. Mirus est illarú amor in pullos, mira tolerantia in ovis suppositis fovédís. Illae semper requirunt quietum locum ad pariendum, et in nidis sibi cóstructis, mollissimeque substratis, ut ova facile conserventur, jacent caedem multos dies, et laborem omnem perfecerunt, ut pullos excludant: quos cum excluderunt, ita tuétur, ut et pennis foveant, ne frigore laedantur, et si calor est a Sole se opponant. Quam sollicitae illos ducunt, et congregant sparsos atque dissipatos, et contra milvos tuétur atque defendunt glaciendo, et clangore alarum, et oppositu corporis. Inter illarum mirabiles utilitates, vel duas non omittamus: quod valent ad aegrotorum escas, quod ad desperatos a medicis, et plane deploratos conservandos, cum omnem cibum fastidiunt, ac respuunt, cum jam pro debilitate summa nullam escam transmittere possunt, gallinarú expressus vigor, liquorque suavissimus illos multum diuque sustinet inter vivos, aliter morituros certo, citiusque, nisi hoc modo sustentarentur, conservaréturque dum trahunt animam. Atque inter escas suavissimas quod commemoratur, leucophagum ab harum avium pectoribus profectum, concinnatumque est, quo principum, et summorú regum instruútur, et apparantur mēsaе. Illae denique pariunt nobis ova, quibus egemus, et ad aegrotorum levamentum, et ad valentium escas usitatas piscium diebus praefinitis, et ad escarum non paucas condiciones accuratius perficiendas. Quid quod pullos excludunt, quibus cum valemus, cumque aegrotamus nobis opus est? Reliquas utilitates ad alia properans libens omitto, de pullis excludendis acturus.

DE PVLLIS EXCLVDENDIS.

Quam multa videmus antecedere, priusquam gallinae suos pullos excluderint, ut ova quam recētissima, simulatque edita fuerint, gallinis supponantur: quibus illae incubantes eadem fovēt calorem impertietes suum, donec pullescant legitimo ac praestituto tempore exeundi. Quod cum adest et praefens est, perrupta testa, quae id temporis tenera admodum est, et perruptu facilis; quippe eadem in testa inclusus atque contentus pullus eam percussit natura ipsa ad perruptionem faciendam rostellis vim adhibente; et se foras emittit atque projicit animatus. Qui simulatque exclusi fuerunt pulli, gallina pullis eisdem incubans, quo sint a frigore, et ab omni pullu externo tutiores alis suis fovet; neque quenquam, praeter eos, qui gallinas alunt, accedere permittunt glorientes continuo, et sese comparantes ad involandum in oculos, et in ora volentium auferre pullos exclusos. Cum vero jam dies aliquot transierunt ab exclusione, ut per se possint incedere, nunquam ab illis discedunt, et illam glorientem pulli quocumque icrit, sequuntur pipientes: quos quemadmodum gallinae tueantur, admirabile quidem est, atque singulare: quae non contentae sunt rostro ipso inquirere, et investigare grana, nisi pedibus spargendo acera projecta ad vescendum, ex eisdē eruere studuerint permixta, confusaque grana frumēti, acerbis ipsis abdita atque involuta, et plane ante oculos, ut videre possint, aperta ac perspicua statuere pullorum. Accedat aliquis, et pullos lacestat, aut quenquam auferre tentet; quasi pares viribus ad pugnandum faillent, prospectant, et sese ad involandum comparant, quasi in duos pedes erectae penes elatis, imminente rostro, ut oculos eruere velle videantur, sine intermissione gloriendo, pullos ab omni offensione tueri conantur.

OVVM

OVVM.

Atque gallinae si nullas nobis alias utilitates, quā ovorum partus, et foetus necessarios afferrent, omni cura et diligentia fuissent alendae: pariunt enim ova, quae raro irrita, saepe gemina solent esse, fere nunquā cynosura, communiter optima. Haec ab utroque cornu acuminata desinunt, media vero intumescunt. Atque intus ita compositum est ovum, ut albumine circumfuso medium luteum contineatur inclusum: quod intus tunica mollissima, et extrinsecus testa, et cortice duriore tegitur. Assa, frixa, cocta, stellata edimus; aut mollissima, et tremula sorbere cōsuevimus, et recentiora libenter, atque salutariter.

GALLVS.

Gallus aviū parens, ex omni genere suo praestantissim⁹, ad usus hominū optimus, et venustissimus ad speciem, venustate coloris, et pōpa corporis, aves reliquas lōgo intervallo superat quasi imperiū et dominatū habēs amplissimū. Ille sese superbe jactat, et insolēter, erecto collo, elatis in sublime cristis, crebro caelū suspiciens, et caudā erigēs a summo leviter inflexam, cantu, plausuque alarum superbissimo, toto corpore nitens atque splendens diversitate plumarum longe, lateque collucētium. Quis galli non audit nocturnos cātus, quos depulso de pectore, et in omne corpus diviso, et modificato cibo edit quiete satiat⁹, magno silentio noctis, favēdo faucibus, et rursus cantu, plausuque premendo alas? Mane primum diluculum, et auroram adventantem, antequam caelum albere incipiat, cantibus quam crebris praenūtiat, et ad diurnas operas, et labores quotidianos homines revocat. Cū in incessu medius inter gallinas interjectus emineat, et huc, et illuc inflectēs retrorquēque collū cū

Aaa 2 cir

circumspiciet, pompam, et splendorem ostendat suum, et quā in ayes omnes dominationem habeat amplissimam.

DIVERSORIA.



ON procul a vicis gallinariis, venaticisque sunt diversoria, et quidem communia sunt in Hispania, et apud omnes gentes usitata diversoria, in quae viatores divertunt. Quae cum patere semper debeant, et in illis hospites multi recipiuntur, et admittuntur cujuscunque generis, ac fortunae homines ad requiescendum ex itinere partem aliquam diei, vel dies, et noctes, quas voluerint diversari. In his fere semper curae est hospiti haberi necessaria cibaria, quae comparari possunt, et in urbe venduntur ad arbitrium, et voluntatem hospitem receptorum. Illa justo pretio mercantur hospites, nisi secum quidquam comportaverint ad prandia, vel ad coenas faciendas. Atque haec communia diversorii, ut cubiculum detur, et lectus stratus ad requiescendum, mensa mappis strata, et vasis omnibus, et iis, quibus instruuntur, et ornantur mensae. Famuli capiunt de manibus hospitem modios hordei, et quae petierint, cribra palarum ad pastum equorum, et jumentorum, quibus vehuntur: et ante discessum rationibus confectis conferuntur pecuniae pro factis sumptibus, et impensis in diversorio, et debitis omnibus persolutis ad nummum alienigenae proficiscuntur, non tamen immemores gratias agere pro hospitio, quo liberaliter accepti, et indulgenter tractati fuerunt. Idem fidem dare solent, et obtestari, cum redierint, non alio divertendi animum se habituros esse: quod hospitium istud magnificum, liberale, caeteris, quae sunt in urbe, praestantius experiantur. Illi causas afferunt hujus in diversorium animi, voluntatisque suae plures alias, ne ficte se, simulateque loqui putent, et hospitibus verba dare: quod multi facere solent in discessu, joco magis, quam

quam serio loquentes. Nonnullorum enim operae pretium est attendere in persolvendis pecuniis sermones allatos de industria, qui, cum pecuniae deposcantur grades, et plus opinione sua, aut aequo pretio, averfantur diversorium, detestantur hospites, imminuunt res datas, quaerunt de communi pretio, quo res similes veniunt in civitate, caritate admirantur, et cum hujusce diversorii caritate conferunt vilitatem alterius oppidi, in quo liberalius accepti fuerunt, et magis laute tractati. Atque id temporis et praestantiam rerum, et copiam augent in altero oppido acceptarum, in hoc, inquiunt, constat diversorio minus bonas, multo inferiores, et pauciores datas esse res, et plus exigi pretii, plus extorqueri pecuniarum. Enimvero minime istud perferri posse saepe clamitant, neque diversorium esse, in quo tam aperte furerentur, latrocinentur etiam, putare se furta fieri clam, latrocinia in solitudine, at jam in urbibus, in celebritate, palam et in oculis hominum facta esse: habeant sibi suum diversorium, accipiant quos illi voluerint, sibi non esse in animo divertere ad illos in posterum, quod exhausti, spoliatique dimittantur: orare hospitem remittat aliquid de pretio, detrahat de summa pecuniarum, si velit frequentari, complerique suum diversorium hospitem quotidie recentiorum, nobilium, locupletissimorumque celebritate. Hospites contra, nihil horum simile dixisse quencquam eorum, qui ad illos diverterint, de pretio verbum proloquutum fuisse neminem, nec ausos hiscere, cum carius diebus praeteritis propter inopiam sibi constiterit diversorium. Si fidem advenae sibi non habeant, quod ad hordeum spectat, consulant tabellam indicem pretii regis sanctionibus constituti, non majus se petiisse, neque illos plus persoluturos esse pretii, quam quod a Rege constitutum sit. Quod ad fructus spectat, non domesticos, sed urbanos ex tabernis fructuariis allatos esse: atque idem in carnibus factum esse, quae illis jubentibus, et palumbos, cuniculosque deposcentibus, tanto delatae fuerunt pretio, quam

tum ab illis deposcatur, et non minore: hujus rei testē fuisse famulum, de suis illum, quem illi tanquam egregie fidelē cum administro diversorii miserint; illum rogent, ab illo de pretio percōtētur, se missos faciāt, ut quas mutuas dederint pecunias, persolvant. Quod de sumtibus in jumenta factis constiterit, regiis sanctionib' dandum. Minari scilicet illos, suis inanibus verbis deterrere, atque adeo exectari diversorium, jurare denique se non in nostrum diversorium redituros esse: quod collibitum fuerit, faciant, illos sui juris ac mancipii, neque ad divertendum apud se astringi: cum persolverint, quod debent, abeant, discedāt e diversorio: se neque fures, neque latrones esse, qui exspoliēt, exhauriantque hospites, se in culpa fuisse potius, qui tam liberales in pecuniis expromendis fuerint, cum illi, quam sibi gratiā debent, sic persolverint. Interponere se statim unus, et alter pacificator incipit, et accensos utrosque placare, et ad acquabilitatē adducere conatur, et ad intelligendi, quod beneficiū acceperit, et in eam accipiendi partem, quae praedicta fuerunt, ut a dedecorando diversorio, et hospitibus injuria aliqua afficiendis prorsus abhorruerit homo: joculari solere instat, et paratum esse, quidquid pecuniarū, et amplius nummos postulatos persolvere. Tum paucis hospes, colligat se in posterum, neque affingat aliquid, serio agat, non Deum se esse, qui latebras animorum, et intimos sensus cognitos habeat, ex verbis animū cujusque aestimare se, qui homo sit, atque adeo judicium facere. Expromuntur igitur pecuniae, et omnia, quae debebātur, persolvuntur ad nummum, et cū bona gratia dimittuntur. Ille qui liberius, et ut hospiti videbatur injuriosius loquutus fuerat, veniam petit fidē suam astringens hoc in posterum sibi diversorium futurū in hac civitate, praeterea nullum. Itaque pacati sedatique proficiscuntur hospites. In itinere multi isti loquuti sunt de rixa, multa de pretio, multa denique de nummis, quos in diversorio reliquerunt. Haec diversoria semper hominū multi-

tu-

tudine frequentantur introeuntiū, atque exeuntiū aliorum hospitū, etiā aliquorū, qui multos dies propter sua negotia commorātur in urbe, quos hyeme introire, vel discedere videas petasatos, ocreatos, atque penulatos omnes: quod maximis imbribus, aquis plurimis, et crebris tēpestatibus subiecti itinera faciunt, atque lacunosis locis, nivibus obductis, saepe gelu rigentibus plurimo; cū transire debeant torrētes vehemētissimos, superare vada caeca, difficiliaque, multa nonnunquā flumina transmittere, in quibus capite, pectoribusque exsistere summis illos necessariū est, nisi illuc pervenire velint, quo cōtendunt, multis circuitionibus, et periculo pontem reperiendi fractū, quē vis alluvionū perrūpere, secumque non raro consuevit trahere raptis, tractisque secū tabulis, trabibus plurimis, caeterisque armamentis omnibus. Cū vero aestivo tēpore faciunt itinera, levioere amicti vestitu contendunt, et cōtra Solis ardores si diu necesse fuerit iter persequi, umbellam coriaceam bacillo sustentatā una manu cōportāt: a fronte autem, et a tergo loculos coriaceos vestibus urbanis plenos inferatosque deferunt, aut mercib' emtis, rebusque necessariis, et ad opportunitates plurimas appositis. Ut diversoriū igitur capere multitudinē hospitū potest, ita multos, aut paucos habere solet: celebriora habentur nonnulla, et vulgo appellantur honoratorū, et splēdidiorā hominū: quo diversorū nisi divitē, aut honoratum certo scias esse neminē. Atque apud hoc diversantur plurimi hac amplitudine, et fortuna florētes homines, qui ut sūt diuites, et sumtuosi, hac in domo diversantur diu, et omnia praebentur abūde copioseque, tā laetesplēdideque accipiuntur, ut cubicula cōparata dētur aulaeis cōvestita fericis, et lecti conopaeis obducti Damascenis: unde cōjicies apparatus, splēdorē, mēsarū copiā, varietatēque ciborū, qui in has inferuntur, ministraturque mēsas. Saepe autē cōtingit in his apparatis instructisq; diversoriis hujus generis, atq; fortunae plures esse diversores, atque omnib' fieri satis propter aediū amplitudī-

nē, et Cubicularū multitudinē. Ad haec ornāda op' nō est cōparatōne longissimī tēporis, cū quae praevidere hospites necessariū sit, domi habeant condita, cōparataque ad hujusmodi hominum adventus honoratissimorum : diversoria quippe sunt ejusmodi, in quibus saepe Dynastae multi, Ducesque magnifice lauteque accipiuntur.

CAUPONAE.

Multo sunt diversoriis inferiores cauponae, quae contemptissimae sunt, et ad quas homines infimi omnium, cōtentissimi viatores, qui plerūque pedestres iter faciunt, diversantur: quod stratam mensam semper, et structam escis contemptissimis habent. Propositae sunt in claro lumine tabulae, et in illis videbis doliola, patinas quam amplissimas, fictiliaque vasa carnibus assis, frixis, et coctis redundantes, atque inhaerentia parietibus verua, petasōnem recentē, vel fallum, sarcimina, lucanicas cōtinentia, caeterasque carnes transfixas, torrendas confestim ad ignem, si quidquam de carnib' aspectis collibitum fuerit viatoribus. Diebus vero, quibus piscibus vescimur, vim et copiam magnam omnis generis piscium, et ad ignem applicatam jam jam torrendam, aut torreri coeptā aspiciemus. Sabbatis vētris male abluti intestina, reliquiae caeterae suillae, arietinaeque, capita decoquuntur: harum fumantium, et tostarū escarum nidore tota vicinia redolet. Adde vinum in eadem caupona vēdi, quo obruti, carnibusque repleti hujusmodi jacent isti cōtentissimi homines divaricatis, porrectisque cruribus aliquot horas humi capientes tam arctum somnum, ut nullus eos strepitus viae, non cauponum clamores a somno excitent. Ita stertunt horrendum in modum, donec experrecti paventiū similes, et pandiculantes, et oscitantes de terra surgunt, et semel, aut iterū perpotātes suum iter persequuntur. Huc bajulli, aliquot operarii, pannosi, vagi errātesque, turpes, infames, perditū, quique nullas domos habēt, se recipiūt cōferūtque.

DI-

DIVERSAE VARIAEQUE OFFICINAE.
mangones, et alii.

Post cauponarum nidorem ad alios vicos trāsire potuissē, sed non persequar sigillatim multorum opificum artes humiles atque cōtemptas: quod ad rerum, de quib' egemus, absolutionem, Latine de his dicere nō magnum sit, neque difficile. Nominemus tamen inter illos primum mangones, a quibus mangonizātur panni, sive linei, sive lanci, ut venire tanquam recentes vestes queant homines isti cōparantes sibi vestes tritas, atque veteres; quoque facilius vendant, induunt colorem aliquem fucatum, emētuntur pilos, poliendo, interpolandoque, atque māgonio hujusmodi decipiunt stultum hominum genus, fucatos simulatosque amictus pro synceris, et veris ostendēdo miseris, et egētibus, qui ad novas sibi vestes conficiendas pecuniarum non multum habent.

CULCITRARIAE OFFICINAE.

HIS proximi sint culcitrarii, qui culcistras lana multa, floccis, tomento, alia ve materia inferciunt, ut pluma quondam, Melitēnsi rosa inferciebātur: quibus lecti sternūtur. Culcitrae mollissimae sunt, mollibus infertae rebus, atque si bonae, si somno capiendō appositae fuerint, ex omni parte acquabiles: quas ancillae in lectis sternendis non convertunt solum quotidie in diversam partem, sed agitāt manib', atque quatūt, et adaequant ex omni parte, plumas, lanamque attollendo leviter, ut eas molliores relinquere possint. Binis culcistris sternuntur, aut ternis lecti delicatiorum hominum, atque indulgentium corpori, in quibus simulatque cubarunt mollissime stratis, a laboribus requiescunt in-

B b b

ter

ter duas sindones Orlandicas interjecti, tecti lodicibus pretiosissimis, atque hyeme calefacientibus corpus, et depellentibus omne frigus, totas noctes dormiunt, omnibus curis vacui in matutinum usque tempus, ad multam prope stertendo lucem, cum magis tempus est fortasse prandendi, quam foras exeundi.

FVLLONES.

AB interpolatoribus, et culcitrariis non absunt multum infimae artis, atque contemptissimae fortunae fullones: quos fullonicam exercentes, linteas, laneasque vestes lavare videas, et eluere maculas insitas, et penitus inhaerentes lixivio, creta, sapone, cum prius clara abluerint aqua, ut lotorium majorem vim habeat, et acriorem in vestibus ex cinere, paleisque confectum. Sequitur illud officium abstergerendi lintea ante jam abluta, cinericioque perfusa lixivio, ut alba prorsus relinquuntur, et absterfa, et maculis elutis omnibus purgata, et ad usus corporis jam apposita: postquam ad Solem exsiccata fuerint, aut de funiculis suspensa suis, vel in arbutis, ramisque arborum explicata, quam longa, lataque fuerint. Quamobrem homines hujusmodi hortos solent conducere, in quibus stagna sint, et rivi decurrentes aquis necessariis ad operas lavandi, abstergendique praestandas: et ut easdem vestes eisdem in hortis opportune satis, et commode siccatas complicant, atque componant.

CARMINATORES.

ACcedant carminatores foedi sordidatique, qui lanas acervos inquinatae sordidataeque, pectine interjectos gemino in alios cumulant, et adaugent: lanam enim unguibus sive hamis ferreis carminatam, pexam valde, extenuatam, perlucidamque, et ab omnibus inhaerentibus purgatam sordibus car-

minatione multa relinquunt, sensim attenuando, quoad apta, et appositam vident ad eam rem, ad quam praestituta est, atque natura sua praefinita. Confident isti operas praestantes carminationis foedo deformique vestitu, sed foediore deformioreque vultu, unum sinistra pectinem, atque alterum dextra tenentes, et sordidatam lanam interjicietes inter utrunque pectinem, puram, et absterfam relinquunt brachiis pectines trahendo versandoque.

INFECTORES.

Non omitteri sunt infectores, quos vulgo tinctorum vocamus, qui lanas in dolia immergendo suis imbuunt coloribus, donec autem ebiberint sanie omnem, non extrahunt vestes. In cocco, cochylis tingunt, et nigras, et pallidas, et rubras inficiunt: quas decoras admodum, et nitidas reddunt, nihil ut reliquum sit, nisi ut vestitum de pulcro, tanquam decoro passum conficiant. Est sane tingendi officina valde necessaria propter colorum varietates, quae vestibus tribuuntur ad usus, et commoditates plurimas. Ita tinctorum in sua officina tinctoria flores, pharmaca, colores omnes comparare studet ad colorandos pannos, atque mergere lanas in doliis, demersas pistillo magis deprimere non desistunt, extractas, suisque jam infectas coloribus siccandas appedere.

VMBELLARII, ET PILEONES.

Vmbellarii, Pileonesque numerantur a nobis, qui pileos, galeros, et petasos galeris latiores contra aestus maximos et Solis ardores conficiunt pro magnitudine, aut exiguitate capitis, et illos alis in circuitu ornant cum eminente cupa, quam circulant funiculis intortis, spiris interdum venustissimis, aut taeniis sericis, et claviculorum distinctis aureorum opere mirabili. Sed jam eo mollities hominum defluxit, ut galeros, quos vertex vix capere possit, deprimant, et sublati mulatibus, qui demissi magis antea gerebantur. Hos normis inclusos

luis cōtusos maceratosque, colorib⁹ vivis infectos, umbella-
rit cōficiūt ad caput habiles, et appositos. Sic pileones pileos
faciunt quadratos ex omni parte, multo magis demissos, quā
mōs erat paucos annos ante gerere clericorū genus quodcū-
que modestorū.

CORIARI.

Accedāt coriarii, qui coria macerāt, cōcinnātque si pel-
les crassiores, duriores vē fuerint. His proximi sint alu-
tarii, qui ad calceos, ad ocreas, ad thoraces, ad alios usus com-
munes, et usitatos tenuiores mollioresq; pelles cōcinnāt. Do-
nec eam formā, atque colorē acceperint, quē imbiberē debēt
infectae pelles, accuratēq; cōcinnatae. Quae cū tenuiter cō-
fectae fuerint, et suo colore praeditae, alutarius eas vēdet prē-
tio justo volētibus emere, aut traditas ad concinnandū, quod
pacti fuerāt, accepto prētio reddet.

PHRYGIONES.

Non omittantur Phrygiones, qui quāquā majora faciūt
opera, pretiosioraque, cū in auro versentur: quia tamē
acu pingūt, aut quia vestes auro intexūt operas praestādo hu-
miles, atque quae estuoas, nō alius multo, quā praepositi no-
stris efferātur exercitationibus. Quib⁹ adjūgo polymitarios,
qui coloris varii filis op⁹ variat, et exornāt vestes enim mul-
tis diversis intertextas liciis, sive filis varietate mirabili dis-
tinguunt, quae polimitae dicuntur. Opus istud variū, et artē
versicolorē textū primā reperit, et in publicū protulit Ale-
xandria.

PANIFEX.

Veniamus jam ad Panificem, qui panem facit. Ille quam
multa necesse habet praestare, quae antecedere debent,
et ad panem cōficiendum intervenire. Cum triticum de
horreo suo, in quo conditum est, effertur, non cribratur, et de

de pertusō cribro granis cadentibus acera in acervum sepa-
ratim projiciuntur ad gallinarum, pullorumque pastus: non
purgatum repurgatumque molitur. Non farina facta decuti-
tur in pollinario, cum semel cerniculo crassiore setaceo,
deinde tenuiore, denique tenuissimo transmittatur, ne quid
furfurum relinquatur in farina, quod pani, et albenti nive
candidiori formando contrarium est, et obstat maxime. Se-
quitur illud ad massam, quam vocant, conflandam ex fari-
na per setaceum cerniculum transmissā, et attrēctatu multo,
quassuque maceretur, et subigatur, donec coalescat in mas-
sam, unde fiunt partes parvuli, mediocres, et maximi politae
forma atque figura, rotundati omnes plerūque, nisi quadras
voluerint ancillae fingere: quae simplices sint, et quotidianae
vel variae, et multipliciter pictae, quae Regum mensa dig-
nissimae, aut convivarum, vel lautissimorum hominum de-
licis appositae. Non hic enumerabo quadratos, rotundos pa-
nes, laqueatos, et aliis spiris, aut inflexionum diversitate con-
fectos. Tot sunt panis faciendi formae: figuraeque praestan-
tes, quot mulierum, aut panificorum artes invenerunt, et ma-
nus formandi artifices egregiae perfecerunt. Comportantur
decoquendi, qui in furnum palla in hunc modum immittun-
tur, ut primo ad versi, deinde statuatur aversi, tandem co-
cti extrahantur ad quotidianam escam. Mulieres simulat-
que de palla sustulerunt, manibus quaterere solent ad explorā-
dum, panis coctus sit, an non, ne mollissimus massae, ex qua
formatur, similis dicatur esse, et non bene tostus inhaereat
in stomacho, et gignat morbum aliquem, ad quem depel-
lendum decumbat homo multos dies in lecto. Ita tostus pa-
nis esse debet, ut non sit adustus, cortex autem tener, et ad
vescendum satis affectus cum medulla inhaerente cortici,
de quo quaecunque refecerunt crusta, mollia ac tenera lau-
dentur, tanquam de bono, recentioreque pane profecta. Nil
enim magis commune est quam panis, qui cum edulis, et
pulmentis omnibus adhibetur. Quod nullum obsonium fa-

ciat insipidum. Mitto genus multiplex panis, quod illo non utamur, cibarium, et secundarium missum non faciens, quem vulgarem, et sordidum adhibent heri famulis, et mancipiis alendis factum: quippe qui fieri solet ex farina, ex qua pollicinis pars ante sit excussa. Hoc multo inferior est furfuraceus, qui communis est, et proprius canum. Hinc panis, quo vescimur, genus quodcumque colligemus.

FABRI GLADIORVM.

Fabri gladiatorum ad gladios conficiendos nos ad se vocat, qui unam ferri librā inter calybis duas calefactas interjicere solent, ad vim calybis corroborandam, continendamque, ne gladius parum virium, ac firmamenti habens, debilis et infirmus infringatur. Quamobrem ferrum cor gladii appellamus, quod ab illo vim accipiens gladius illius robore videatur animam habere, id est vim ad sui muneris functionem. Commistum igitur, conflatumque utrumque metallum in fornacem calefit usque eo, quoad necessitas postulat ad suam temperationem justam atque legitimam. Postquam fabri calybem arena perfuderunt inter calefaciendum ad materiam hanc continendam, stringendamque, ne calybs ipse decidens paulatim, atque prolabens imminuatur, statim vi malleorum contundere incipiunt, et formare gladium, et canalem paulatim excavant, et limant arte politissima, litteris incisis ad internoscendum artificem, gladium rectum atque directum, ceterum quantum opus est, acuunt. Nihil his cōfectis reliquum est, nisi ut deferatur ad spatharios magis laevigandus, et poliendus omnino.

GLADIVS.

Gladium spatharii suo manubrio ornant, et condunt in vaginam, ut de balteo pendentem, et accinctum lateri sinistro, cum opus fuerit, homines educant ad se defendendos

dos: neque enim licet gladio conficere quenquam, cum homines mucrones gladiatorū a suis jugulis rejicere potuerint. Nam si gladio stricto insequi nefas est hominem fugientem, quanto magis illum in pectus infigere: cum homines queant alia suam vitam ratione defendere. Non hic falcatos intelligo gladios, qui unam tantum aciem habeant, sed ancipites, qui cuduntur ex utraque parte secantes, quos cum acutos, et fulgētes, et vagina vacuos viderint ad versarii, illorū oculorū acies suo splendore perstringatur.

ORNATVS GLADII.

Sic experiri solent, et explorare gladiatorum aciem homines, ne cum distinxerint, obtusam malo suo sentiant. Nam quid mea in sericam vaginam condant, et eleganti manubrio auro, argēto ve caelato, multo opere, et artificio distincto nitentem, de balteis pictis, et elaboratis pendentem gerant, nisi subtili fuerit, et acuta acie praeditus ad secandum: ut quando opus sit, eladem afferat, et quam dextra exequi conabatur, caesim, aut punctim in hostem invadendo; cujus imbutus sanguine in vaginam recondatur.

PVGIONES.



Gladiatorum non dissimiles sunt pugiones, atque siccae, quae, quia minores sunt, quod villarum ictus non saepe vitare possumus, cum ex insidiis adoriantur non raro inimici, et tunc cum minus opinatur, aut animadvertit aliquis, irruant, et antequam praevideat ictum, vulnere mortiferum acceperit: non minus periculosae videntur, neque metuendae minus, quoniam fallaces tantopere, et insidiosae magis apparent. Intuere igitur hominem hujusce saeculi cum gladio accinctum ab uno latere, et ab altero gerentem sicant

ciat insipidum. Mitto genus multiplex panis, quod illo non utamur, cibarium, et secundarium missum non faciens, quem vulgarem, et sordidum adhibent heri famulis, et mancipiis alendis factum: quippe qui fieri solet ex farina, ex qua pollinis pars ante sit excussa. Hoc multo inferior est furfuraceus, qui communis est, et proprius canum. Hinc panis, quo vescimur, genus quodcunque colligemus.

FABRI GLADIORVM.

Fabri gladiatorum ad gladios conficiendos nos ad se vocant, qui unam ferri librā inter calybis duas calefactas interjicere solent, ad vim calybis corroborandam, continendamque, ne gladius parum virium, ac firmamenti habens, debilis et infirmus infringatur. Quamobrem ferrum cor gladii appellamus, quod ab illo vim accipiens gladius illius robore videatur animam habere, id est vim ad sui muneris functionem. Commistum igitur, conflatumque utrumque metallum in fornacem calefit usque eo, quoad necessitas postulat ad suam temperationem justam atque legitimam. Postquam fabri calybem arena perfuderunt inter calefaciendum ad materiam hanc continendam, stringendamque, ne calybs ipse decidens paulatim, atque prolapsus imminuatur, statim vi malleorum contunderi incipiunt, et formare gladium; et canalem paulatim excavant, et limant arte politissima, litteris incisis ad internoscedū artificem, gladium rectum atque directum, cote, quantum opus est, acuunt. Nihil his cōfectis reliquum est, nisi ut deferatur ad spatharios magis laevigandus, et poliendus omnino.

GLADIVS.

Gladium spatharii suo manubrio ornant, et condunt in vaginam, ut de balteo pendentem, et accinctum lateri sinistro, cum opus fuerit, homines educant ad se defendendos

dos: neque enim licet gladio conficere quenquam, cum homines mucrones gladiatorū a suis jugulis rejicere potuerint. Nam si gladio stricto insequi nefas est hominem fugientem, quanto magis illum in pectus infigere: cum homines queant alia suam vitam ratione defendere. Non hic falcatos intelligo gladios, qui unam tantum aciem habeant, sed ancipites, qui cuduntur ex utraque parte secantes, quos cum acutos, et fulgētes, et vagina vacuos viderint ad versarii, illorū oculorū acies suo splendore perstringatur.

ORNATVS GLADII.

Sic experiri solent, et explorare gladiatorum aciem homines, ne cum distrinxerint, obtusam malo suo sentiant. Nam quid mea in fericam vaginam condant, et eleganti manubrio auro, argēto ve caelato, multo opere, et artificio distincto nitentem, de balteis pictis, et elaboratis pendentem gerant, nisi subtili fuerit, et acuta acie praeditus ad secandum: ut quando opus sit, eadem afferat, et quam dextra exequi conabatur, caesim, aut punctim in hostem invadendo, cujus imbutus sanguine in vaginam recondatur.

PVGIONES.



Gladiatorum non dissimiles sunt pugiones, atque siccae, quae, quia minores sunt, quod illarum ictus non saepe vitare possumus, cum ex insidiis adoriantur non raro inimici, et tunc cum minus opinatur, aut animadvertit aliquis, irruant, et antequam praevideat ictum, vuln⁹ mortiferum acceperit: non minus periculosae videntur, neque metuendae minus, quoniam fallaces tantopere, et insidiosae magis apparent. Intuere igitur hominem hujuscē faeculi cū gladio accinctum ab uno latere, et ab altero gerentem sicam

hanc, et gladium in promptu pendentē de balteo, ut vix manum in capulum injiciat homo, cum stringat, et opponat oculis adversarii fulgentem atque nitentem, et nisi se tenuerit, negotium transigendum putet. Cum gladios duo distinguunt, id temporis ictus utriusque, et illorum crepitus timorem incutiūt. Quemadmodum ictus uterque praevidet, vitat, atque declinat, infert, accipit: denique sanguine manantem hujus, et alterius non minus stillantem cruore gladium aspicias.

CARPENTARII.

AB spathariis ad carpentarios transeamus, qui carpētis, aut curribus faciendis dant operam. In curribus autem haec consideranda sunt, jugum, quo boves junguntur, constringunturque ad currum sustentandum: quod quoniam sustinendum est, temo medius interjectus inter boves a tabulato in medium usque jugum protēdatur hujusce jugi sustinendi causa: inde tabulatum planum, atque aequabile, in finem usque currus tabulis stratum est, in quod imponūtur omnia pondera, merces, res omnes, quae importandae sunt, aut exportandae: quae ne in itinere crebro motu jactatae foras pellantur, et delabantur in terram, bacillis acuminatis, et defixis a lateribus praeclusum est. Tabulatum axis sustinet transversus, et intrusus in utriusque rotae modiolum, in cuius tubo idem axis versatur: quae rotae ne decidant, embolium tāquam obex praefigitur, qui multum firmitatis habet, et arctius constringitur annulo, qui inter modiolum interpositus est, et inter embolium, tum etiā, ne modiolus atteratur. Et quoniam rotae cōcavae sunt interiores, radiis in circuitu decorantur plurimis a superiore, et inferiore parte insertis. Rotae item quoniam incurvae sunt, inflexaeque, apsis rotam ambiens canto munitur, atque clavus praegrādibus praefixa firmiter constanterque continetur. Atque utriusque conversione rotae currus procedit; aut si festi-

nato

nato opus est, cursu rapido et incitato fertur auriga in equo insidente cū loro in manu, quo ipse agitat, et incitat equos ad currum ad voluntatem suam celerius incitandum. Equi balteis plurimis, antilenis, et postilenis ornati praecunt currum ducentes, nitidi, ac bene pexi, ferocitate exsultātes plurima, illorum corpori semper auriga imminēte cum flagello; cujus habenas solito stridore concutiendo, cum necessarium est, eos Euro velociores advolare cogit. Longo autem intervallo stridor exaudiri rotarum, voces aurigae, et crepitus plagarum immanes,

ARATRVM.

IAm de aratro breviter dicendum est, quod illud ad carpentarios spectat: quo terram proscindunt, atque vertūt bubulci. Nam cum boni agricolae non arare solum, sed novare, et iterare agros debeant, quo meliores foetus, et grandiores possint edere, quibuscūq; in jugis arēt, aut in singulis, aut in binis, vomere aratri terram ita bubulci perstringunt, ut sulcum altius imprimēdo, liras ducant, burā, quae vomerem excipit, manu tenentes. In dentale autem vomer inducitur arandi causa, atque rastro glebae confringuntur. Atque ita idem bubulci ab opere non discedunt, vomerem imprimunt, tollunt a terra, cum opus est, circumducunt, et ad ferendum aptos et affectos agros reddunt post aquas exeuntis Septembris existentes: et ut omnia jugera sationum suarum ferunt, atque postulant.

FIG VLI.

Spectemus figulos. Atque figlinarum opera apud veteres in magno pretio fuerunt: cum major pars hominū fictilibus uteretur vasis, quae ex limo, et argilla fiunt. Atque illa in figlinis torquentur, et exsiccata postea in fornacem deco-

Ccc quan-

quatur, quoad formam a figulis acceptam nitidioré, ac plane politam, perfectamque flammae reddiderint. Hi tegulas faciunt, quibus domos tegimus, et ab imbris, et aquis cuiuscunque temporis defendimus. Formant idem tubos etiá teretes, et concavos, ad aquam ducendam per longa spatia, vel breviora in urbes, aut in locum alium. Item ipsi fingunt dolia fictilia lógiora, et ampliora; quae principia habét angustiora, tument media, et ab hac parte in fundú usque magis ac magis contrahuntur. Adde urceos, amphoras, atque alia vasa diversi generis, multiplici forma, atque figura ficta, et ad mensam, et ad culinam, et ad vinum, et ad aquam, et ad usus communes, atque necessarios.

TABERNA VINARIA.

Venditores vini, qui tabernas habent vinarias, et palam vendunt vina sua, cum ex vino quaestus faciant maximos, domibus suis apothecas, seu cellas vinarias habent: in quibus vinum reconditum servatur, et veterrimú in multos annos. In apotheca sunt dolia, seriae, cupae vino completae vario, albo, nigro, permixtoque; de quibus vinú haustum in amphoras, et in cados defundimus, quae infra terram defossam immitti solent adhuc ad vina servanda.

DOLIA.

Sed doliorum, et cuparum forma dissimilis est omnino: nam ut praedixi in figlinarum materia, dolia ore angustiore sunt, cum in medio latissima sint et amplissima, forma valde repanda, a qua angustantur, et in fundum usque coarctantur. Haec suis operculis obducta cōtinent, et conservant vinum in multam temporis diuturnitatem.



CVPAE.

CVPAE.

Crepadae turgescát, angustiores primae sunt, et ultimae; quae multiplici arcu vimineo tanquá ligulis cingútur, ut tabulae coagmētatae quá maxime astringátur: quae relaxatae facillime dissolverétur, et totú vinú efflueret, atq; effunderetur. Singulae a fróte habét epistomia, quae versando dolia patefaciemus ad vinú depromédú, et in cados, lagenasq; fundendú. Apothecae lógo doliorú ordine circúdatae sunt, vel multitudine cuparú, in quas aliae cupae inter duas interjeetae interponútur quá apte, recteque collocatae. Saepe, cú apothecae nó altae sint, in tectú usque tollútur. Atque cellae vinariae omnis generis vino abúduant, quarum cupae illae plenae, aut semihaustrae, aliquot inchoatae sunt, atque vini nominibus locorú proscripatae multae novi, veteris, et veterrimi, unde cōportata sunt vina, ut pretia summa, mediocria, magna constituentur ad venditionem faciendam.

LANIFICIVM.

Non omittamus lanificium, neque textrinam. In lanificio versantur mulieres diligentes, et industriae, ne ancillae luxu, et otio diffuere videantur: et diurnas, et nocturnas operas praestant studiose nendo, neque cubitú eunt, donec pensa praefinita solverint. Itaque videre est illas, cū colo, quae pésa cōtinet, e quib⁹ fuso fila accurate deducunt attenuando filum, poliendoque deductione subtili; donec accuratatione summa politum, ac tenue relinquunt, laeve simul, et planú, ut nulli noduli, nullae asperitates, nullae offensusculae relinquatur. Quod si filú rumpatur inter nédú, cōjungunt statim filú ipsum ad lanam revocátes; et sensim ipsis, si opus est, labiis leviter producendo. Nonnunquá in extrema fusi parte spódy lum pertusum, et rotundum, quae

211

Ccc 2 etiam

etiam verticillum recte dicimus) ut melius, et facilius nere possint, apponunt, fufum pollice, et indice versando, nentes fila deducunt, et ad lini molliendam asperitatem, manus saliva aspergunt, aut digitos ori leviter admovent. Nent etiam ad tramam lanificium foeminae machinulam quandam versantes, quam rhombum dicimus, atque illa versatili utentes fila in glomera convolvunt, quae revoluta reponunt in calathos, seu quasillos, unde ad telam instituendam sumantur.

TEXTRINA.

Glomera perferam⁹ in textrinam, quam libet statuere ante oculos, ut quanto artificio telam instituant, persequantur, et absolvant textores, inspiciam⁹. Ex omni autem opere textili sericum dumtaxat percurremus. Atque primum exstructam, et armatam ad texendum machinationem, quae sublata est quattuor scapis ligneis dolatis, qui a suis basibus, quos etiam celontes dicimus, tolluntur, ejusdem crassitudinis in terram defossam, quantum necesse habet machinatio, defixis, et super scapos a lateribus duo tibicines, et totidem a fronte, et a tergo, qui veluti catenae clavis confixae, et in scapos subjectos adactae devinciunt, et sustinent machinationem omnem, ab eisdem partibus in parietem usque perducti fulciendae, sustinendaeque telae fortius, et constantius. Alii tibicines quattuor opponuntur, quattuor item licia pedent, quibus textores implicant stamina, et totidem liciatoria, quibus licia clariora redduntur, et pellucida. Ita tela constructa, armataque sedentes textores operantur instituunt, et cum jam intenderunt in jugum, percurreunt telam manibus radium emittentes, et stamini subtegmen fistula contentum inserunt pedibus alternis infilia percutiendo, tollendo, deprimendoque vicissim: quibus diligenter, liberaliterque motis telae vicissim contrahuntur, et aperiuntur. Argutari illi pedibus, caedere suo tempore spatha subtegmen, et il-

lius

lius ictibus comprimere, coercereque, quoad compositum, et coagmentatum relinquatur; item interrupta fila cōtexere: copulatione, coitioneque mirabili, nullum ut interrupti filii signum appareat, suis intervallis cogere conversione verticillorum, et in harpedonē rotam glomeratorem rotando conglomerare, denique sic procedere texendo, donec telam absolverint, et sublata de loco suo, totam explicatam, et ulnis dimensam complicant, et tenuem, ac bene textam dominis pretio persoluto reddant.

AEDES MONETAE.



Beamus jam alias officinas, et primum nummarias. Domus monetae Hispalensis ex lateribus, et ex lapidibus tota aedificata est. In qua duo sunt impluvia, atque utrunque nummularii officinis circumdatum. In horum prima a lateribus sunt officinae mercatorum, qui in his argentum, et aurum purgatum, et comparatum omnino, ut postea ad regiam officinam fundendum, conflandumque deferatur, diligentissime praeparare, et afficere debent. Illud autem conflatur, et commiscetur inspectate aestimatote, seu probatore, qui suis certis ponderibus examinat, et aestimat. pretium justum ac debitum, quod legibus in utroque metallo constituitur. Quod si argentum justam habet aestimationem, continuo illud sibi probatum, et aestimatum expedit ad nummos conficiendos in laminas tenues redactum. Quod si plus, aut minus pretio constituto habuerit, argentum iterum conflandum funditur, donec habeat justam et legitimam aestimationem: quam ubi habuerit, a mercatoribus affertur in bilancis aulam appedendum in statera, appesa de manu praefecti bilancis auri pondera, quae imposita fuerant in bilancem, quae stor regius accipit: a qua aula praefecti nummorum faciendorum deportant in suas officinas ad rudem nummo-

Ccc. 3. rum.

rum fabricam, sine nota, sine signo deformandam, ut probe sint, et iusto pondere, ac pretio nummi argentei, vel aurei: cuius autem pretii nummos volunt usum habere, et tales, ac tantos jactari in vulgus, hoc, vel aliquo, alio ve valere numero, simplices, duplos, quadruplos, octuplos nummos argenteos, aut quattuor et viginti nummis argenteis, hoc pretio plus, aut minus valentes coronas ex auro conficiunt. Hi nummi aurei, vel argentei, vi malleorum rotundati, et forficibus circūcisi, quo meliore modo, et ratione fieri possint, ubi appensi iterum, et ut probi, atque legitimi, potest ipso, ac forma aestimantur, cautionibus, quibus provisum est rei nummariae, traduntur, ut omni rubigine absterfa, et candidi, et nitidi reddantur. Vbi cadorem suum acceperunt, reliquum est, ut manus accedat obsignatorum: cuduntur, et ad extremum insignibus et stemmatibus Regis Catholici obsignantur ad nummos internoscendos cum nummorum pretio notis insigniter inciso. Atque haec, quae descripta breviter sunt a nobis, consideremus, si intueri volumus aurum, et argentum rude, quemadmodum signatum, atque excussum sit, quanta diligentia, et arte elaboratum, pretiis suis, et aestimationibus legitimis jactetur in vulgus. Ingrederemur modo in domum nummulariam, atque primum obi officinas purgandi materiam faecibus suis implicitam, atque infectam, quoad probum et purum relinquatur argentum, aptum et idoneum nummis faciendis, deinde adi officinas conficiendi metalli hujusmodi: palatium est ibi longissimum, in quo ab uno pariete in alterum videbis accensa prunaria, quae accenduntur et in flammantur crebro flatu, ac vehementi folium, qui vi brachiorum coagitati ignes illos efficiunt, et magis ac magis inflant: per concavas autem fistulas argenti infusum, atque liquefactum se se profunderet atque prolabi cernes, donec calore, et ardore ignis concretum cogitur, et ad laminarum formam redigitur. Ab hac aula datur ingressus in cubiculum, in quo studium, et provida solersque diligentia probatorum cerni potest

test arte sua adhibentium, ut de legibus, et de praescriptionibus regis bonitas, et existimatio auri, et argenti certo pretio, et ponderibus suis examinatur: quod si non legitimum evasit, qui concursus? et quod reditus datur necessarii ad argenti, aurique perfectam et absolutam aestimationem probanda? Sed excedas ex his officinis, et abeas in impluvium, quod circumdatum est officinis, in quibus nummi rudes conficiuntur. Quae illorum operae, dum argenti interpositum inter forfices, quae materiam omnem apprehensam, et astrictam acerrime continent, percutitur? qui ictus ab una, et ab altera parte infliguntur, ut fiant nummi, cuius pretii et aestimationis animus, et voluntas dominorum fuerit? Ab hoc loco facti efferuntur, et rotundati, et si quid productius, et cum forma nummorum minus conveniens processit, ab illo, qui nummos poliendos expectat, in orbem scinduntur aptissime: atque illae reliquiae argenti circumsectae, et forficibus detractae de nummis argenteis non dissipantur, neque profunduntur, sed egregia fide collectae, ne minima fiat de auro, neque de argento decessio, quibus reddendae sunt, restituntur. Quoniam autem opus illud plerumque fieri solet matutino, et vespertino tempore, et quoniam illa aula cudendorum nummorum spectat ad impluvium istud, ictibus malleorum horribili fragore concrepantium aures ingredientium, et spectatorum mirum in modum personant. Quod si ab hoc impluvio ingrediaris in aulam, in qua nummi cuduntur, et obsignantur, quoniam amplius sexaginta obsignatores a dextra, et a sinistra, in argento, et in auro signando operas praestant assiduas, quae species? qui aspectus ante oculos versatur obsignatorum confidentium, qui in duos ordines distributi, in una parte triginta, et in altera totidem, et sibi ipsis adversi in incudem nummos imponunt, et collocant quam aptissime, ut argentum cunei formam atque figuram suscipiat ictibus malleorum imprimendam? ipse

simulatque malleolus in cuneis infedit, ipsa forma infixâ relinquitur, et in nummis argenteis impressa uno, et altero ad summum ictu inflicto solertia, et agilitate mirabili: ut vix obsignator nummum unum signis suis notatum de manu deponat, cum alterum percutiendum, atque signandum imponat, et impressa utrinque effigie insignitum eundem, et alios, et alios nummos, omnes, quotquot ante oculos habet, et sibi deferuntur signandi, suis insignibus notatos expedit, atque cumulat, et adauget acervum numero multo nummorum argenteorum confectum: qui, quoniam ex argento facti sunt, splendore suo longissimo intervallo prospecti colucent. Sume unum, et alterum in manum, quam rotundus? qua est specie, et forma admirabili? ex utraque parte notae et insignia, quibus clarissime formatus est, impressa cernitur cum numero notis inciso, pretii, et aestimationis, quam habet. Nihil ille habet asperitatis, totus nitidus et illustris apparet, dissimilis prorsus eorum, qui adulterini sunt: qui, cum sint fallaces, cum simulati, nihil habet praeter inanem, et fucatum nitorem.

OFFICINA AVRARIA.



Ide officinam aurariam, et in illa aurificem: quae tantum patet in latitudinem, quantum vestibula communia spatii habere solent. In ipso statim vestibulo lectus est, neque nimis longus, neque brevis admodum, supra quem instrumenta sunt artis suae plurima; infra concavus est lectus ad cōtinenda, quae ad artem exercendam passim aurifici opus sunt instrumenta: unde, paululum si demittat manum, ea depromet facile. Atque idem stateram cum bilance hac in mensa collocatam proponit ad appendendum aurū, quaeque incluserat in loculum ligneū apertu, clausuque facillimum, ut inde totū, et de eodem, quantum necesse habet ad

ad aliquid expromendum afferre valeat. Pro foribus abacus solet esse multo auro, et argento caelato: qui in claro lumine positus omnia vasa, quae arte multiplici, et opere vario, et admirabili facta, ordine suo collocata mirifice splendent atque nitēt, visenda proponit ante oculos mortalium. Paulo autem post aditum lacus est, in quem metallum candens demergitur, a tergo follicul: ad ignem excitandum, et ante fornacem incus parvula, forcipes proximae fornaci ad aurum capiendum, tenendumque. Videbis ipsum aurificem varias praestantem operas, ut aurum igne prospiciat, et exploret, molliat, atque miriget, et extractum, impositum in incudem ictibus torqueat, inflectat, dirigat, in orbem circumferat, ut ad opus, quod habet in manibus, necessarium est affici, atque conformari aurum. Sed cum primum purgasset, et habile reddidisset et idoneum ad vasa, ad muraenulas aureas, ad calicē, ad alia opera magnifica, praeclearaque conficienda, non inchoavit solum, et egregie profequutus est opus, sed picturis aliquando illuminavit, caelavit opere elegantissimo, emblematis inclusis, incisisque purimis, adeo nitidis cunctis et illustribus, ut egregia manus artificis quantum perficere, perpolireque potuerit semper ad elegantiora contendens, absolutum perfectumque opus cōfecerit. Atque id ille praestat tāta accuratatione, tantaque mūditiā, ut cum scobrina laevigaret, nihil de minimis pulvisculis amitti pateretur, dum a se limantur subtilius, atque politius, quae habebat in manibus opera magnificentissima. Atque aurifex non in auro solum versatur sed in argento, quod deaurari solet; in quo auro inducendo nō minus ars apparet artificis: quod hic inauratum reddere solet, ut non deauratum, sed aureum totū opus videatur. Ita modo auro fundendo, solvendoque totus intētus est, modo feriedo, acuendoque, modo affigendis claviculis, includendis que emblematis, vel conformandis, connectēdisque singulis partibus, denique limando, poliendoque opere, donec

absolvatur perficiaturque: quo nihil in suo genere fieri possit limati^o, a nobis fortasse nullum videri, neque contēplari magis visendum, magisque spectandum opus aurificis manu cōfectum. Proponite vobis ante oculos murænas aureas, quæ collū hominis circundēt ex multis orbiculis constantes, quorum alii cum aliis connexi et implicati sunt, et admirabili serie pendent inferiores a superioribus, donec orbem efficiunt orbiculorum numero constat plurimorum: quæ de collo ad pectus delapsæ multos efficiūt orbes, alios aliis superiores, et ultimum reliquis ampliōrē, qui humano pectori, muliebri præsertim decus addunt, et ornāmētum singulare. Videte torques aureos crassiores murænanis aureis, et auri sæpe pondere graviores, multis, et variis incrustationibus distinctos, aut opere factos vermiculato, inflexos atque retortos, aut latiores et ampliōres ad majestatem, ambitu suo circuitioneque eleganti decorātes colla virorum, atque mulierū. Cernite inaures, et cylindros aureos motu capitis levissimo huc, et illuc jactatos, et granulis aureis, vel argenteis, quibus decorantur venustissime, ab utraque pendentes aure. Dejicite oculos in armillas ornatū brachiorum, gemmatam utranque magno pōdere, illustri specie præditam aspicietis. In manus incurretis illico annulos ornatu pretiosissimos, et rotundos, et aureos, cum palaturgenti, latioreque, intus cōcava, ad gemmas, et smaragdos includendas. Addite bracteolas, omnia vasa profana, sacraque, illigata, inclusaque emblemata in aureis poculis, uno verbo ex auro cōfecta, perfecta que aurificis manu opera præstantissima: quibus inspiciendis, contemplandisque stupens hæret, et sæpe sui ipsius insciens homo. Hæc omnia aurifex exponere potest in abacis pro'atis in publicum auri, et argenti, variis, et elegantissimis vasis admirandum in modum ornatis: qui cum gradus habeāt aliquos, atque omnes auro sint, et argento decorati, nihil non operum aurificis pretiosissimorum aspiciemus.

FOR-

FORNAX VITREA.

Quemadmodum aurificis splendida nimis et illustria opera, et ars e vitro vasa faciēdi movet admirationem intuentibus locum, materiam, et vasorū formam variam, atque multiplicem, quæ facillime in conspectu adeuntium fornacem vitream effinguntur formanturque. Est fornax cōcamerata, et ab infimo solo excitata, duplici ex parte concava, infima ab illa parte, qua materia ad alēdum, fovendumque ignem immittitur sine intermissione, sublimis ab altera, quæ formandis vasis fingendisque proposita est. Ignis semper ardere cernitur, et ad flammam alendam stipulae cannabi, vel olearum faeces subjiciuntur ab operariis, vel mācipiis, quæ præstant hujusmodi operas totos dies, noctesque. Fornax patet quattuor, aut quinque partibus, per quas ferrum inferēdum est in fornacem, et extrahendum, et referendum ad capiendam materiā, quæ intus continetur in suis pilulis inflammata: quā pro rata proportione vasorum, quæ effingenda sunt, figuli capiunt ad voluntatem suam ferro vasorū effingēdorū. Quæ simulatque capitur, in marmore, quod pro faucibus fere fornacis est, leviter traduci solet, deinde in lapidem propter tēritudinem mollitudinēque materiae, quod factu facillimum est, imposita materia vas uno, et altero inflatu effingitur in orbem conversum incitata conversione brachiorum: quod post formā acceptam a reliqua materia vitrea præciditur, et absolvuntur ora, aut angustiora, vel ampliōra circino, quem operarii propter se positum habent, sensim, et cautione summa circinum circumferendo, et ora ipsa ad speciem, et figurā, quā volunt effingere, dilatando, adaequādo, componendo, et expoliendo: donec absolutū, et cōfectū ad ignē admoventur calefaciēdum, calefactum alius, qui ab altera

Ddd 2 par-

parte fornacis est, ad vasorum temperationem justam ac legitimum adhibendam iussus in fuscina sumere, vasculum in cuspidem ferri intromissum temperandum immittit in fornacem. Ita fornax flammis semper ardentibus accensa est, quae neque extinguitur unquam subjectis semper stipulis, et materia per mancipium sine intermissione subministrata, quae ignem conceptum alere, et sustinere potest. Atque circumdata est faucibus plurimis, quarum illae ad temperamentum vasculorum, aliae ad vasa effingenda spectant. Ad fauces has fiunt armillae, annuli, pro faucibus alii vasa, phialae, cyathi diversa figura, atque forma finguntur: ex quibus vasis in fornace vitrea formati, qui soleant abaci componi satis insigniter, et adornari, quae sequitur descriptio breviter subjiciet.

ABACVS VITREVS.

Ecce abacum vitreis vasis, et politissimis ornatu. Quae multitudo, et varietas vasorum splendens pellucensque vitreorum? quae diversitas, venustasque coloru? quot Venetiis facta? quot ex Italia delata? Omnia sunt opere mirabili, quae Corinthi venustiora, neque politiora. quondam fingi potuissent. Adeo magna sunt, atque praeclara, adeo nitida splendidaque. Multa sunt auro caelata, magnificis operibus facta. Intuere vasa sigillatim, vascula, phialas, pateras, cyathos ordine suo dispositos, et collocatos. Omnia vasa magis nitent, quam si ex auro, si ex argento facta fuissent, et opere aureo caelata. Vas illud, quam longum, et amplum? patera quam ampla, atque rotunda? quam phialae ab orificio angustatae? illae paulatim cernuntur eminere amplitudine, et tumore mirabili. Quam aliae phialae globosae, rotundataeque penitus? quam illa vasa pulcra quavis ex parte collocata stabunt? quam carchesia forma procera sunt, et circa

mediam compressa partem, ansis a summo ad infimum usque productis? Quemadmodum a medio tument plurima, contrahuntur vero a summo, et in hunc modum extrema terminantur? quam illa collo distincta tereti prominēt, et caeteris altiora sunt? alia laxa sunt omnino, vel gracilia. Quot, et quam lata, ac patetia? quot auro caelata plurimo? quot diversis distincta coloribus, maculis aspersa, lineis notata directis, decorata rosis pulcerrimis, et pellucida nitidaque tam mirandum in modum, ut in illis tanquam in speculis clarissimis vultus et ora cernerentur, quaeque oppositae fuerant, et adversae res, earum in ipsis vasis, atque adeo intra vitru nitentes, expressae, formataeque figurae videretur? Praeter vasorum elegantem, politamque varietatem, laceratorum formas, figuras leonum, speciem dissimilem, gratamque oculis adumbrationem animalium, atque fontium, ex vitro nitidissimo abacus iste elegantissimus praebebit ad usum, et opportunitates plurimas.

TABERNAE LIBRARIAE.

Ingressuri breviter in litterarum studia tabernae adeamus librarias, unde, quos voluerim? libros ad legendum, et ad navandam litteris operam, deligemus. In illis civitatibus, in quibus domicilia multa litterarum, vel celebres academiae sint, tabernae librariae sunt, ornatae et instructae multitudine, et diversitate omnis generis librorum diversarum artium, atque disciplinarum, ne mirificis Italiae bibliothecis egeamus. Ita abundant librorum omnium. Itaque illae sunt armaris undique circumdatae, in quibus libri Latini, Graeci, Dialecticae, Philosophiae, Medicinae, Iuris peritiae, et Sacrae Theologiae ex ordine collocati sunt. Alii sunt aliis impositi, recti etiam dispositi, ad alios adhaerentes, et adjuncti, omnes tamen grandioribus litteris, et cras-

sis characteribus inscripti, ut internosci possint, volumina etiam multa librorum unius auctoris, ut ordine suo praeponi, consequique debent a primo in extremum usque his in locis aptissime constituta, ne confundi possint, et incerta reddatur: quod plerumque solet accidere, cum libri permixti sunt, atque confusi, neque in ordinem redacti ad suscipiendos de suis locis, et ad inspiciendam officinam, in qua typis mandati sunt. Semper autem boni, diligentisque bibliopola tabernae librariae refertae sunt omnis generis librorum, et illae copiosae, planeque locupletes abundant Latinis, Graecis, Hispanis, et ad artes omnes, disciplinasque spectantibus: vix enim libri editi sunt, et foras dantur, cum comparandos curant, et ad se, priusquam venire coepti sint, comportandos. Atque ita speciem tabernae librariae mirificam habent, cum ita singuli libri apte, mirificeque dispositi sint, ut alii aliis obiecti et adversi se ipsos quasi respiciant. Semper autem aliqui administri sunt, et coadjutores, cum bibliopola abest, in tabernis librariis collocati, qui certi de pretiis librorum, et a dominis edocti libros vendant: qui confusos libros componendo, dissipatos dispersosque cogendo, aut complicando librorum philuras impressorum, aut inserendo ligulas in membranas, conformando, poliendoque omnia, occupantur, et in custodia positi custodiunt diligenter tabernas librarías.

GLUTINATORES.



Postquam libri a bibliopolis emuntur, si soluti sunt, eos conglutinandos, et coagmentandos tradimus glutinatoribus, quorum illi complicatas philuras a principio librorum, ut folia, quae antecedunt, cum sequentibus congruunt, et correspondent, sigillatim conjungunt, et conluunt in corrigiis coriaceis, quae intervallis aliquot plerumque

que ternae subjiuntur ad sustinenda folia, ne dissipentur: quae postea dissoluta adhuc, divulsaque intervallis corrigiorum conglutinantur, et stabili firmitate conjunguntur, ne divelli possint, et ad margines refecandos, ut in extremitate, aequabilitate recta terminentur, scalpellum adhibetur: quod a principio profectum, in exitum usque deducitur, et reducitur, donec tractu leni, et aequabili, perpoliti margines relinquuntur: et ne quid offensionis, ne quid asperitatis habeant perpetua tamen, et constanti aequabilitate ducantur. Cum vero in praelum includuntur, arte, vehementerque comprimuntur, ne crassitudine multa relinquuntur foedi deformesque libri, donec folia constricta, et adducta in angustum, brevius multo volumen, quam evaderet alia ratione, conficiant: atque ita polita, et elegantes efferantur. Illud vero restat, ut libri cooperiantur, qui vel membrana polita admodum teguntur, aut tabulis corio venustissime concinnato; si priori modo, membrana lineis aliquando aureis, et ligulis sericis, et saepe versicoloribus ornantur: si altero tamen, uncinulis condecorantur argenteis, et ad minimum aereis, quos foemellis adversis, et in altera tabella affixis inferere mos est ad aperiendos, et claudendos libros. Ipse vero umbilicus, quo libris ultima manus imponitur, quantam habeat non solum speciem, et venustatem, sed etiam opportunitatem ad majorem temporis diuturnitatem, neminem latere arbitror: nam conglutinatio haec recens, quae aegre, ut inveterata facile, divellitur, propter venustatem, et usum appetitur. Atque in hunc modum compages librorum omnium evadunt venustissimae, ut nihil aptius, nihil manibus glutinatorum tam compositum, tamque compactum, et coagmentatum fieri potuisse videatur praesenti compactione librorum. Sed quia quaeret aliquis de forma librorum excussa, nunc de typographia.



Typographia postquā constructa est, suis claustris specie, et ordine mirabili, cum liber aliquis excudendus est, quia sigillatim paginae, et folia cōpleri debent, unus est typographorum, qui habet partes componendi, is ad rationē paginae, quam typis mandare debet, typum conformat electione, et constructione litterarum, quae cū lineis effingendis ordine suo, et forma convenire debent: ubi apte et conveniēter paginae compositae sunt, et claustris constrictae, oblinūtur fuliginis atramēto, illisque madida charta imponitur clathrato, vel laqueato tympano conclusa, et pulvino imposito, praelo subjiciuntur: et tandem imprimūtur paginae litterarum, tāta elegantia, celeritate simul, atque copia, ut multae paginae, et folia compleantur litteris quam venustissimis, lineis paribus, suis commatis, incisus, et punctis notatae, atque distinctae. Nec litterae minimū a recta aequalitate discrepant principiorum, neque productiore exitu, vel unius litterulae, aut commatis. Ita reliquae lineae primis semper principiis progressus, et exitus nulla discrepantia consentiunt.

LVDVS ELEMENTARIVS.

Superiore typographiae invento provisum est pueris, et doctis hominibus: indices enim typis excussos ad formā litterarum internoscendam pueri in ludum alphabetarium legendi, scribendique caula comportāt, ut scholastici, litteratique suarum artium, doctrinarumque libros sibi compararūt. Quare puerorum prima cunabula, scholasticorū progressionēs, doctorumque cathedras, academias, et honores consequutos aliquot exercitationibus percurramus. Atque imprimis de ludo alphabetario agamus. Ludus igitur ele-

mentariū, in quem pueri deducuntur ad ludi magistrum, primis litteris imbuēdi, ut legere discant, et scribere, aditus esse solet, atque vestibulum suarum aedium: quod multis sedibus ordine suo collocatis occupatū est, quas cōplēt pueri legendo, scribendoque intenti. Sed sedilia huiusmodi parum a terra, duos vix dixerim palmos excitata sunt, ut pro parva puerorū statura cōmode sēssiones praebeant ad scribendum, et ad legendum. Ludi magister ante se statutā mēsam habet latam magis, quam longam, et in illa atramentarium cum pennis, et gladiolis ad scindendas, aptandasque pēnas. Habet etiā ille ferulā buxeā cū loris coriaceis, aut cū funiculis ex membrana intortis, quam de mensa tollens caedit pueros, ut meriti fuerunt, aut ferulis, aut flagellis. Ab albenti caelo ludus apertus est, et pueri docentur prima elementa legendi, aut formas scribendi, characteresque eleganter. Quacunque diei hora locum illū transferis videbis pueros scribendo, legendoque occupatos: qui studiose discunt, diligenter docentur. Qui discunt scribere a caeteris separati sunt, et quidem magno silentio intuentes in exemplar magistri suas effingunt litteras. Dum magister singulos percurrit pueros scribēdi modum tradens, et singulorum exempla castigans ad suarum exemplar litterarum expressum, et ab aliis legēdi rationem exigit, ipseque tradit accurate, coadjutor reliquos pueros in legendo exercet nullum non lustrans, et obiens sedile, ut a legēdo vacet nemo. Atque omnes, ut constat de praestitis partibus, et de praesentis officii functione, quam intentis vocibus, ut illorum vocibus vicina tota personet, non ludi magistri domestici solum parietes, suas partes praestare consueverunt. Inter legendū incedens coadjutor inter illa sedilia, vocibus suis hortatur pueros ad legendum, et ad pensum alacritate summa persolvēdum, segnes increpat, alacres laudat, funiculis nonnunquā capita, vel pedes caedit puerorū, solvere saepe iubet aliquē ligulas astrictorias, et ab altero puero tergo sustentatū fla-

gella duodecim perferre cogēs: in illius pilos, in alterius aures in volare saepe necessitas illum cogit. Atque haec praestantur mane, et vespere, quoad tempus est dimittendi pueros in suas domos: qui nunquam ab schola discedunt vespere, nisi rudimetis nostrae fidei, quibus ab eodem ludimagistro imbuuntur, quam intenta voce decantatis: qua in re duos praeceuntes pueros reliqui concinendo consequuntur.

RATIO LEGENDI, SCRIBENDIQVE.

Multa numerari possunt pueris discenda necessario ad probe legendum, scribendumque. Deducti in scholas, et traditi ludimagistro imprimis discunt legere. Et primum munus est ludimagistri tabellam indicem litterarum in manus puero tradere, et radium, aut stylum ferreum, quo singula indicet elementa, jubere puerum praesentem nominare litteras. Itaque jubet puerum attentissime percipere nomina litterarum, et spectare formas singularum, et gestum in pronuntiatione cujuscumque sigillatim: et ut puer eodem modo prorsus reddat, cum magister exegerit. Et initio operae et puerum reddere sigillatim, et in singulis internoscendis, quoad probe noverit, aliquot dies exerceri: postea docere debet puerum magister conjunctionem, constructionemque singularum, ut possit unam cum alia, et plures syllabas conjungendo conectere dictiones integras, atque devincire: quoad peritus sit legendi, et conectendi dictiones litteris quibuscunque, difficillimisque prolato constantes: neque recte solum efferre sciat, distincteque, sed celeriter, atque optime: quippe qui paginas, et folia librorum omnium, quos sumit in manus, et sibi legendi dantur, non haerendo, neque revocando se ipsum, facilis et expeditus, nullo jam stylo, neque indice litterarum, clare, distincte, facile, velociterque persequatur. Cum jam in legendo, progressionem maximam habuerunt pueri, formam dislitteris dant operam, atque in his effingendis recte exer-

gen-

centur a magistris, sed in hunc modum: ut quoniam viginti quinque sunt formae litterarum, ex quibus, quae scribenda sunt, constari debet: exprimitur speciatim a magistris forma litterarum, ad quarum exemplar pueri suas effingant, quas formare, variare, distinguere jubetur. Ita postea pueri effingunt binarum formam litterarum, deinde processu temporis multarum, ut pueri profecerint, quam sequatur in scribendo. Scindit ludimagister puero penam, et ad fingendarum formam litterarum aptam et appositam satis, et puerum similiter aptare docet calamus, ne magistro absente quicumque calamus venerit in manus, eo bono, aut malo utatur. Primum igitur Magister pennae detrahit plumas, et detruncat aliquid de cauda, tum eradit, si minimum quid etiam penae scabrae fuerit: nam ita fiunt nitidae, laevigatae fere, ad usum magis habiles: et molliores fient saliva, et nitidiores confricando ad aversam tunicam, vel feminicruralia: deinde rescindit utrumque caput, ut mediae furcae specie praebet (atque tunc penna bifurcata dicitur) postea superiorē partē leviter incidit gladio sensim ducto, et post incisuram, quae vulgo crena appellatur, aequat utrumque crusculum, aut pedunculos: ita tamen ut altius sit dextrum, cui penna scribendo nititur: atque discrimen vix percipi debet. Ita autem penna aptata est, ne respergat chartam atramento extra litteras, neque magis tenuis, neque crassa erit, quam forma litterarum ferat. Docebit etiam magister puerum tenere pennam tribus digitis, si vult chartae pennam firmiter imprimere, si vero celerius, duobus digitis, pollice, et indice: nam medius remoratur, et retardat cursum, ne immoderate procedat. Puer habebit atramentum temperatum, infundetque in atramentarium sine gossipio, unde haurire possit liquidius, et commodius: nam in gossipio, vel in filo bombycini, aut lini, cum penna intingitur, adhaeret semper crenae fibra aliqua, vel flocculus, in quo detrahendo scribens faciet moram, aut non detrahens lituras verius effinget, quam litteras. Idem puer inducet pennas in thecam penariam, in qua habebit inclusos gladiolos, et forfi-

Ecc 2 fices,

ces, et stylum ferreum ad munerum suorum functionem. Neque idem puer obliviscatur chartam emporiticam ad atramentum absorbendum, quod ita consuescet habere temperatum, ut defluat ad scribendum, ne crassum haereat in summa crena: et ita necessarium sit, illum instillare sensim guttulas aliquot aquae ad atramenti temperationem. Hircibus comparatis finget ludi magister (ut praediximus) formam, quam puer sequatur in scribendo. Erit autem forma figurae litterarum cōsentanea, quae expressae publice sunt a bonis ludi magistris, ad quarum exemplar pueri suas effingent. Videmus autem in scholis bonorum ludi magistrorum pro foribus tabulas, aut membranas formulis variis, accurate, polite, et eleganter expressis plenas atque refertas, palā positas in claro lumine, ut a praetereuntibus animadverti, viderique possit, quanta in formis propositis venustas insit, et elegantia, quanta similitudo, et cognatio cum his, quae typis excussae sunt. Formabit igitur ludi magister similitudinem, et speciem litterarum, quas vulgo rotundas appellamus, quam puer perspectam, quantum in se fuerit, enitetur atque contendet imitari, doctus jam sumere pennam in manus, et ductas atque directas lineas, plumbo notatas ante, signatasque sequi, ne altius efferat, ne inferius demittat pennam, aequabilia spatia relinquat, et intervalla linearum, ne denique litturis paginam deformet. Cum vero pueri rotundis litteris formandis aliquot menses posuerint, ad scholasticam, (sic vulgo homines appellant) denique ad solutam, et celerius incitatam conferendi sunt: ita quidem, ut pueri sibi persuadeant in omni genere litterarum, si formam sibi datam, et ad sequendum constitutam sequantur, se non aberraturos esse. Cum puer corrigendam, et emendandam paginam detulerit ad magistrum, en inquit magister, quod habes o puer illustre satis exemplar, quod imitari debuisti: videam, qui nam illud tibi proposueris in paginis ad imitandum: ut forma nostra fuerit tibi exemplar bene scribendi. Itaque vide

de inquit quantum hae litterae a nostris differant, quam istae abhorrent a formulis meis: vide etiam litterarum dissimiles, omninoque discrepantes tuos ab exemplari nostro characteres, intervalla linearum quam disparia, quam inaequalia: quasi lineas non designaverimus, quibus tuam ducere manum ac dirigere conareris. Exemplar meum hanc tibi formam litterarum proponebat? cur non illud intuebaris? Prorsus ad exemplar propositum deficit litterarum similitudo: cujus similitudo perspecta in formarum specie? nulla non modo in tuis formis inest venustas, sed neque adumbratio; contra vero summa foeditas atque deformitas. Confer has litteras, istas etiam, et reliquas similes istarum, et quam dignus fueris suppliciis omnibus, intelliges, qui nec visus primo modo jecisse fundamenta litterarum. Abi, litteras elegatius effinge, imitare exemplar nostrum in posterum, ut exemplar meum, et tuum exemplum, unum et idem omnino videatur. Abi, ne afferas excusationem, quam non iterum accipiam aperti calami, atque discissi, atramenti non temperati. Cum iterum saepe, et saepius castigatum suum puer exemplum veniat, nunquam non magis sciens excedit, et usu, et exercitatione formandi bonos characteres: neque litterae jam inter se discrepant. Ex praeceptis igitur, et institutione non solum ludi magistri, sed ad illius similitudinem fingit ac format litteras. Iubet igitur puerum tabulas formulis plenas palā proponere ludi magister, ut omnes probe noverint discipulum satis magnam habere scientiam ad ludum Hispani aperiendum, si quando necessarium sit magistrum agere scribendi, et multo melius, quam alios, qui se ludi magistros publice profitentur.

PAPYRVS SEV CHARTA.

Quoniam litterae papyro exarantur pauca de chartis huiusmodi a nobis agenda sunt. Charta, memo-

ria nostra, majorumque nostrorum e lineis, cannabinisque pannis veteribus, et attritis conficitur: qui secti in frustula aqua dispersa per dies aliquot macerantur, et in pila aquaria pilis ferratis minutim contusi addita calce in alteram transferuntur: deinde extracti in aquariam tiniam cum conjiuntur, formis aquam pannis vicissim ingestis praelo calcantur, aedificioque ad id patente prius exsiccati, postea glutino facto ex pellium quinquiliis, sive rametis, quae coriarii, et membranarii reponunt ad hunc usum fervefactis intenti, rursus ficcati, et vitro laevigati, aptissimi redduntur ad tolerandos calamos, et atramentum non transmittendum. Fiunt autem plura chartarum genera, quae tenuiora sunt, et candore notabili, neque atramento profluunt, et amplitudine, longitudineque praestant. Omnium infima habetur emporetica, quae cum inutilis scribendo sit, involucri mercatoribus praebet, et pharmacopolis, et omnibus aromatopolis ad aromata sua cucullis usitatis involvenda. Membrana crassior est, et ad Ecclesiae libros apposita: quae prioribus litteris abrasis recribitur. Vtriusque generis philurae sunt, et ex illis quattuor et viginti (quas manus appellamus) fasciculi conficiuntur. Pugillares papyro adjungamus tabellas, hasque cecatas, in quibus graphio, id est stylo ferreo veteres, et nos scribimus memoriae res aliquas commedandi causa contra infirmitatem, debilitatemque memoriae factas, obliviosis maxime utiles, et appositas, quas parvas pugnas capere potest.

HOROLOGIVM.



Veros scribendi, legēdique scientissimos ad academias litteris operam navaturos deducere poteram, sed cum tempus expectari solet praelegendi, et horas numeremus observando tempus, et occasionem adeundi, conveniendique magistros, videamus, quemadmodum ingressi

parc

parentes deductum pueros ad praeceptores operiri magistrōs solent in horam usque praelectionibus praestitutam, per quod omne tempus dum in indicem horologii designātem horas, partesque singulas omnibus fere momentis intuentur, avent machinationem horologii videre. Illud armatum instructumque cernamus. Hujus omnis machinatio horologii ferrei rerum, quae sequuntur, numero, et ratione continetur, cymbalo, et malleo ad danda signa horarum, acu, clavi, et connexione rotarum, ponderum inaequalium contentione, denique indice foris designante horas, in quas spatia dierum legitima distribuuntur. Est autem omnis machinatio horologii singulari modo, et ordine congruente ad distributionem horarum ita artificiose constituta, ut habeat tres rotarum ordines, singulos ternis rotulis constantes; quae omnes connexae, implicataeque sunt inter se, et prima, et ultima mediam, media utranque singulis ordinibus connectit, et implicat. Primi autem orbis motus conversione constanti torquetur, et vertitur, et in horam usque, et in singulas usque partes completas jam, et absolutas horarum: infima autem rota primi ordinis quatuor habet globulos ferreos ex utraque parte prolatos, singulos intervallo unius partis, (quam quadrantem dicimus) a ceteris distantes, et ex altera parte spatio suo tempus unius horae terminantes. Clavis vero, quae stylus ferreus est, longitudine sua utrunque cornu horologii transversa contingit, in quo duplex ferreum instrumentum est, unum imminens rotulae globorum, alterum rotulae singularum partium horae, et ubi rotula cursum cum sua conversione conficit, quo incidit, et incurrit in ferrum primi motus, et ferrum impulsu globuli sublevatur, eo sublato necesse est, et alterum, quod in eadem clavi est ferrum impendens rotulis singularum partium sublevari, et strepitu commoveri secundos orbis, et dari signum unius, aut alterius partis.

Ecc 4 in

in signo autem horarum, ubi motu suo globul⁹ pervenit ad ferrum, d. to signo quartae partis, signum datur horae horrendo strepitu et fragore totius machinationis, atque id temporis tota civitate cymbalo personante: quod dat signum horarum eodem puncto temporis mallei legitimis ictibus horae praestitutae percussum. Cymbalum enim suspensum est supra totam horologii machinationem, et eidem malleus ab una parte imminens inhaeret, et a globulis incurrentibus, qui sunt in ultima rotula, tollitur sursum versus, et postea deprimitur, et infligens ictus legitimos dat signum horae, quae futura est. Ad signa autem singularum partium altera campana est cum suo malleo, qui impulsus a globulis unius rotulae, quae est in orbibus, quadrantum totidem infligit ictus, quot partes imminens horae futurae sunt. Ad hujus machinationis constitutionem acus est in summo horologio, quae motu constanti semper convertitur, qua comoveri semper necesse est ad conversionem totius machinationis temperamento rectae moderationis, ut tempora distributionis sunt, adhibito, ne aut concitata nimis, aut valde tarda feratur. Est enim acus temperamentum et quasi gubernaculum horologii, cuius motu machinatio consistit, aut recta moderatione convertitur: quae ne a recta ratione deficiat, ponderum etiam inaequalium pro rata portione contentio non parum efficit. Atque ita totum horologium constituitur. Quod postquam hac ratione constitutum est, facillimum est gubernatum; et quoties ab instituta ratione discrepare videbitur, non magni laboris est ad numerum, et aequabilitatem reducere. Ita tempus dierum, ac noctium in quattuor et viginti horas distributum est. Atque homines ad rationem horarum suas res, et negotia agunt, et ad praegendum praeceptores, ad aliquid agendum homines horarum tempus expectare consueverunt. Omnes autem horae suo numero definitae sunt. Numerus minor in illis majorem antecedit, ita prima hora secundam, secunda tertiam

prae-

praecedit, et omnes horae paribus temporis intervallis definiuntur. Cum autem in urbe plurima horologia sint, modicis intervallis, et nonnunquam eodem puncto temporis audiuntur: semper enim ad rationem melius constituti horologii caetera gubernantur: ne unum horologium magnam partem temporis praecedat, aut sequatur alterum, et homines expectatione horarum unius, aut alterius horologii urgeantur: mirum enim in modum irascimur moderatoribus horologiorum, ubi insequens hora antecedente longior est, aut brevior multo.

PAVIMENTA SVBDIALIA.

A Turri, in qua armatum fuerat superius horologium, descendimus in subdialem ambulationem, in qua solarium est, et in illo horae ad Solem aspiciuntur: quod solarium non hemicycleum, aut rotundum, sed quadratum erat ex lapide candido. Horarum autem numerum lineae debita pro proportione distinguunt, quibus longus ex ferro stylus, vel ex ligno bacillus Soli oppositus supereminet: cuius umbra in lineas incidens horas indicat. Quae observandarum horarum ratio Romae fuisse dicitur temporibus primi belli Punici Catania capta in Sicilia, ex qua huiusmodi solarium primum allatum fuisse nonnulli arbitrantur: cum prius ortus, et occasus ratio haberetur, et paulo post meridiani.


CLEPSYDRAE, VEL VITRAE

Horologia.

V Nus admiratus diversitatem horologiorum comites rogavit, an alio horologio metirentur, et observarent horarum spatia scholastici: cui scholasticus, qui aderat, respondit, nonnullos condiscipulos vitrea horologia secum asserre in gymnasia, quibus nullam partem temporis

Fff non

non certi fuissent de temporis decursu, et ad explorandam aliorum constitutionem horologiorum. Horae enim notantur ut quondam clepsydris, modo duobus vitreis vasculis, quae a summo ampla in medio attenuantur, contrahunturque ad similitudinem duorum turbinum, ex quibus pulvisculus de superiore parte delabitur in inferiorem, et ex imminutione, et numero arenarum, quae decidunt, legitimum tempus cujusque horae metimur, et internoscimus partem horae, quae praeterierit, et quantum temporis relinquatur ad horam explendam. Atque haec vascula, quoniam cum vitrea sint, facillima fractura sunt, in capsulas tenuissimas ex ligno politissimo includuntur, duabus, aut una parte relicta, quae claudi, et aperiri possit ex animi sententia: et aditu semper patefacto statuuntur suis in locis ad despiciendam arenam, quae defluit. Quae capsula eo artificio facta est, ut qua parte patet, et ad vasculum inferendum datur introitus, vitreum vasculum inferatur, et sine ulla vitri offensione extrahatur. Restabat ut agerem de horologiis, quae ex aere facta, parvula secum deportare solent homines, et in cubiculis appedunt, ut somnos interrumpant, et aliquot horis noctis praeteritis crepitu suo excitent dormientes: sed quoniam ad ferreorum similitudinem facta sunt, missa faciem, et in academiis jam, et officinis litterariis calamus excurret, libereque vagabitur. Atque eo qui sequitur, libro, imprimis de musaeis Societatis Iesu, deinde de Complutensi academia, denique de Salmaticensi, quae describenda sunt, nihil in litterarum studiis, quod auditu, et perspectu dignum fuerit, praetereuntes, ea lectorum animis subjiciemus. Ad hunc enim se conferent illi locum, qui in reliquarum academiarum rebus versari voluerint.




TOPOGRAPHIAE

LIBER SEPTIMVS.

(.?)

SCHOLAE HISPALENSES

Societatis IESV.



VE MADMODVM superioris exitu libri fidem astrinxi meam, operaepretium me facturum esse arbitror, si, antequam de academiis describam ea, quae describenda huiusce exercitationibus constitui, rationem studiorum Hispalensium Societatis Iesu, et modum docendi, quem praeceptores nostri tenent, demonstraverim: quippe quae res ad agendum Latine opportuna, et quae passim scholasticis nostris suis facultatibus operam navantibus debet occurrere. Quod si nulli non hominum generi satisfacere studuimus, nostris certe scholasticis in nostra disciplina versantibus, quantum in nobis est, et opem, et auxiliu[m] ferre debemus. Idque cum utile sit universis

scholasticorum classibus, tum nos Deo, cuius res praecipue respicere Christi Iesu alumnos aequum est, si suorum adjuvarem scholas, gratissimum facturos esse speramus.

PERISTYLIVM.

Peristylum igitur cum quadratum sit ex omni parte, quattuor longissimis, et latissimis porticibus ornatu inferioribus, quae columnis altissimis sustentantur, totidem habet superiores porticus clathris ferreis praecclusas, et ad diurnitatem, et ad venustatem factas: supra quas mediocribus, sed firmissimis columnis suffultas tolluntur, et eminent inferiori peristylío subdiales deambulationes, quas circumire deambulando possumus columellis exornatas pulcerrimis, et praecclusas clathris identidem opere ferreo fabricatis. Atque cum totius operis pavimenta lateribus Malacitanis strata sint, tum gymnasia valvis amplissimis, et fenestris ad dignitatem factis decorata. Tectorium inductum est tanta elegantia, et magnificentia, ut non solum albere videantur cadore suo mirabili parietes, sed ne decursu temporis tollatur, et ut maneat quasi perpetuum, egregia specie, formaque collucens, incrustatum aspicitur: ut multa vetustate nunquam parietes nudentur, niteant tamen semper, et egregium quendam splendorem, atque maiestatem retineant conditorum amplitudine dignissimam. Atque peristylíi istius porticus decem gymnasiis, et amplissimo theatro cohonestatae sunt: singula nominibus inscribuntur facultatum, atque disciplinarum, quibus dicata sunt.

STVDIA GRAMMATICAE, HVMA- nitatis, Rhetoricae.

Atque a Grammatica incipiens video tria esse gymnasia artis huiusce, primum ad rudimenta pueris tradenda,


da, secundum, et tertium sintaxeos, et librorum, qui utriusque classis proprii sunt, explanationi constitutum, quartum humanioribus litteris totum est deditum, et poetarum, et historicorum interpretationi, ut poeseos, et historiae scientiam consequantur, qui in hac classe versentur: nec ex hoc gymnasio ad rhetores traduntur nisi varia, ac multiplici poetarum, et historicorum eruditione referti fuerint: ut facile mores gentium, ritus antiquorum, cunabula, progressus, et culmen imperii Romani, et aliorum, quae quondam in orbe terrarum floruerunt, acceperint. Exercentur in epistolis conscribendis scholastici, in Cicerone imitando, in auctorum intelligentia, in oratiunculis faciendis, et de suggestu pronunciandis: Quinta classis rhetorum est, quae in Cicero nis orationibus explicandis, in arte tradenda Rhetoricae, in Graecis litteris discendis tota posita est, atque versatur. Ad hanc classem (ut univérse dicam) omnia declamationum, et habendarum orationum genera, styli formandi modus, vera Ciceronis imitandi ratio, versuum faciendorum ex Virgilii, veterumque poetarum praescriptionibus exercitatio pertinet: atque ut horum nihil agant scholastici nisi polite, ornateque: quod non admodum difficile factu est. Nam cum in gymnasiis inferioribus Latine semper agant, et conentur pure semper, et emendate agere, in classe rhetorum expoliuntur, perficiunturque non insolentes observandi praeceptores suos de suggestu, et extra gymnasium cum illis nunquam nisi Latine loquentes: quod nullo unquam tempore conantur intermittere praeceptores, ut habeant pueri, quod in sermone Latino exemplar imitentur. Ita tamen tempora partita sunt praelectionum, ut mane duas horas cum dimidio, vespere tantum fere temporis ponant in gymnasio, interposito semper inter utranque horam dimidio, ut quae scholastici audiverint, quaeque exceperint a praeceptore, dictata repetant, memoriae mandent, et confrant inter se. Atque hoc intervallo temporis non foras egredi videas scholasti-

cos, non otiosi, non vagari solutos ac liberos litterariis curis, sed mirifice rem colere litterariam. Primani, secundani, tertiani etiam sic fervent atque accenduntur studio, et alacritate concertandi, ut bini condiscipuli decertent interrogationibus, et responsionibus alternis sibi ipsis adversi semper, atque in eo instant, ut quamprimum, sine mora: qui vocis intentione, ardore vultus, brachiorum jactatione, et crebra suppositione pedum, ab illis recessu, et ad eosdem accessu mutuo, cum se ipsos conficere, et abligurire videatur, ingredientibus praeclarum spectaculum praebent. Inter quos primani verbis, et nominibus inflectendis difficilioribus, idque nunc recto, et continenti, nunc interrupto ordine, aut in verso, cum singulis, binisque epithetis: secundani genera, praeterita, supina rogant, et quam promptissime reddenda efflagitant, ut phrasim aliquam ex vernacula faciant Latinam. Tertiani rogant sintaxeos praecepta, verborum casus, jubent vocis etymologiam ostendi, convertere Latine sententiam aliquam, Grammaticae regulam exponere. Quartani quaerunt vocabulorum germanam vim, et quotuplicem, unam aliquam sententiam alicujus loci difficilem intellectu explanent. Ita rhetores inter se decertant, sed quamquam alacritate mirabili, tamen cum gravitate, et adhibita certa moderatione rogandi, quae Rhetorices personam tueatur, atque sustineat, non illis gestulationibus, non suppositionibus puerorum, ut viros jam agere videantur, iudicio, atque consilio praeditos. Mane autem scholastici, et vesperi semihora consumpta suis in concertationibus, paulo ante signum, quod dari solet ingrediendi, se referunt in gymnasium suas singuli stationes occupaturi, ut cum venerit praeceptor in gymnasium, omnes confidentes reperiat: qui de praescriptionibus academiae praeceptoris ingressum antevertunt. Atque ea fere consuetudo communis est omni ordinis scholasticorum (mitto primanos) ut mane ingressi horam cum dimidiata ponant in gymnasio: qui primo dimidio praele-

ctio-

ctionibus, et iis rebus, quas memoriae mandarunt, recitandis occupantur: deinde horam insumunt in auctore interpretando, et in repetenda praelectione: id temporis reddunt ea, quae praeceptor exegerit, et illi dictata exceperint. Quod dimidium inter utranque horam interjectum est, ea, quae exposita fuit, ratione consumitur. Secundae horae tempus themata sibi vendicant, quae pro captu puerorum, et pro classis humilitate, vel dignitate, vel breviora, vel longiora dictantur: quae domi, vel in classe Latine convertant. Praeceptor privatim, taciteque corrigat, quae in Latinum translata deferunt discipuli, et statim temporibus publice de suggestu duo dictata castigat, et aliquando unum ex optimis pronuntiare iubet, alterum ex deterrimis; ut quid sequendum sit, quid fugiendum magno opere non ignorent, atque recognoscant. Dant etiam operam praeceptores, ut quantum in se ipsis fuerit, ad Ciceronis stylum, constructionemque pueros conforment; et ut verborum delectum habeant, ut propriis verbis, et usitatis, electis, et ornatis, atque excerptis ex ipso Cicerone utantur. Praeceptor castigat si quid vitiosum in verbis, si quid inquinatum; si durum, si insolens, si non aptum, tollit atque delet. Orthographia magnae curae est in thematum castigatione praeceptoribus, ut emendate, interpunctis, et eleganti characterе scholastici scribant, aut transferant de Cicerone, vel de auctore, quem audierint: et ut inter castigandum, lineas aliquot, aut pagellam, et omnia discipuli notent, et interpungant ad exemplaris similitudinem semicirculo, puncto gemino, vel uno, ut incisa verba, vel periodus insignita debet esse. In hunc modum praelectiones habentur vespertinae, traduntur praeceptiones, et omnium rerum ab scholasticis exigitur ratio, tanta cum utilitate, et progressionibus perspicuis, quantas testatur frequentatio, nostrorumque celebritas gymnasiorum.

INCITAMENTA LITTERARVM.


 AE progressionem augentur ordine mirifico, quo res litterariae constitutae sunt, cum pueri non admittantur a parentibus deducti nostras in scholas, nisi legendi prius, atque scribendi periculum fecerint, et recepti cum signo praefecti in classem, in quam ingressuri sunt. Quod si in aliis officinis litterariis versati fuerint, examinatur ab eodem praefecto, et pro cognitione Grammaticae in hac, aut in alteram classem recipiuntur. Omnes autem, qui sunt in gymnasio, decuriari debent, ut in decurias relati suas, quarum unaquaeque ex denis constat, scire possint, quem locum teneant in classe. Atque aliis aliae sunt superiores, ad quas ex inferioribus datur ascensus, quemadmodum etiam de superioribus descendunt ad inferiores, qui suum non tuerentur gradum, aut negligentes fuerint, et tardi rebus in litterariis. Singulis decuriis singuli praesunt decuriones, quibus reliqui subijciuntur, qui nunquam deliguntur nisi probi, nisi modesti, diligentes, et incorrupti a muneribus, et gratia: a quibus pensum praeceptorum memoriae, scriptio, aliarumque exercitationum exigit. Est autem munus decurionis memoriter scholasticos decuriatos recitantes audire ex ordine, et illorum statim notare nomina, qui optime, qui pessime, qui nihil, qui non totum recitauerint, quoties quis erraverit in recitando. Explorat idem decurio, quis affuerit ab schola, exigit suae decuriae compositiones, et defert ad praefectorem omnia, ut caveat decuriae, et mittendos curet domos absentium scholasticos, qui a parentibus de condiscipulorum absentia percontentur, et responsa referant parentum, ut de absentia domi parentibus, et de causa praefectori constet, ac discipulis: qui nisi scientes excusationis, rati causam fuisse non frequentandi gymnasii negligentiam eorundem, et nequitiam, susciperent.

fensionem maximam exemplo pessimo, et perversitate simili. Est illud maximum adjuvamentum ad proficiendum, ut in gymnasio binis singulos dies concertent pueri per aliquem quadrantem, et alios alii provocent ad argumentandum, ad agendum de rebus gymnasii, quique superiores punctis fuerint, altiore gymnasii locum consequantur, ac teneant: quod ab aliis iterum incertamen venientes litterarum de suis locis decurbentur. Quid quod magistratus sunt unicuique classi, quos accipiunt scholastici de principatu inter se decertantes: dividitur enim schola in duas veluti classes, quarum unaquaeque suos habet magistratus, et illius alumni ad honores huiusmodi ascendunt quolibet mense themate proposito, quod intra tempus praestitutum scribi debet elaborate: omnium optime qui scripserit, magistratum summum adipiscitur. Ex decertatoribus vero, ut quique proximi accesserint, et in scribendo themate excelluerint, a honores capiunt, et magistratus reliquos. Quod si quis ex his aliqua de causa affuerit, vel abierit alio, nostras in scholas non reversurus amplius, ad eisdem magistratum supplerendum eodem modo versus, et orationes sunt. Cum autem jam in suas decurias ascripti fuerint, ut aciores fiant, et solito solertiores, unicuique suus attribuitur adversarius, ac velut antagonista: quo cum stans quotidie temporibus depugnet, quo cum conferat res litterarias, repetat, argumetur, quem praecuntem consequendi, et quoad potuerit, antevertendi curam adhibeat, et si moretur adversarius, ac cunctetur, tardum, et languentem sua diligentia, et assiduitate corrigat. Mirum autem est, quemadmodum crescit, et augetur res litteraria unius, et alterius partis certamine multiplici, initis per singulas hebdomadas, atque menses pugnas inter aemulos maximis, et acerrimis, facta praesertim potestate nonnunquam aut illis, qui de contraria parte praestantissimi sunt, aut illis, qui magistratus habent subveniendi cuique suae classis scholastico, aut jam prolapsio, aut haerenti, laborantique: priusquam

ab aemulo corrigatur. Aliquot dies anni disputationes habentur publicae, ad quas mittuntur de gymnasiis lectissimi quique scholastici ad decertandum cum honoratorum auditorum invitatu, et vestitu parietum gymnasii pulcherrimo. Decursu totius anni praemiis excitantur ad operam a lacrius studiis navandam. Atque haec communia sunt primanis, et secundanis, cum tertianis. Quartani non minores fructus ferunt, quia non minus laboriose desudant, et suae classis pensa persolvunt.

EXERCITATIONES RETHORICAE.

Vis rhetorum exercitationes numerare valeat? ut omittam ad instaurationem studiorum factam, et habitam orationem, singulis hebdomadis praeter quotidiana themata, ad minimum bis calamus excurrit in exercitationibus, in orationibus, et ineuntis hebdomadae primo die, et eiusdem exeuntis ultimo. Nullus dies redit sanctorum honorificer, quem non debeant carminibus, et orationibus laetum rhetores agere. In exitu cujuscunque mensis unus de suggestu habet orationem de virtute, vel de vitio aliquo, et ad colendam virtutem, et ad vitium fugiendum honestatis pulcritudine, et sceleris deformitate perspecta. Ipsi Natalitibus Domini amplius octo dies habentur orationes. Bacchanalia bidui orationibus instaurantur. Ineunte quadragesima de morte, de judicio extremo, aut de poenis inferorum verba fiunt. Neque rhetores hebdomadam sacram silentio praetereunt propter cruciatu Christi Iesu, et tanti domini mortem acerbissimam, ad motus animorum faciendos idoneam. Idem feriis Divo Ioanni, corpori Christi Iesu sacratissimas nunquam vacant ab orationibus. Cum vero vacationes dantur, semper dimittuntur scholastici declamationibus, aut aliqua exercitatione litteraria. Atque haec omnia praestantur totius anni progressu praeter usitatas ad creandos

mag-

magistratus orationes, praeter quotidiana themata, praeter Ciceronis imitationes, et alias extraordinarias, et repetitas exercitationes: quas in adventu clarissimorum virorum suscipere necessitas cogit, et opinio de Societatis studiis habitata. In hoc autem exercitationum suscipiendarum, et habendarum orationum genere non exiguam laudem habent rhetores Hispanenses, qui solent bis templi maximi suggestum uno quoque anno de sanctorum laudibus habitum orationes ascendere, edicto litterario publice proposito de mandato conventus Ecclesiastici provocati: atque id muneris sibi datum vident, ut huic ipsi satisfaciant officio, neque vacuus, et inanis rhetorum flore relinquatur locus ille, et addicendum ornatissimus, et agendum amplissimus. Non hic commemorabo varios, et iucundos dialogos, usitata, venustaque colloquia: quod haec rhetoricis cum aliorum ordinum scholasticis communia sint. Non dicam id, quod proprium est rhetorum polite, et ornate loqui, quod quartani astringantur, et tertiani pure, et emendate loqui: neque liceat in scholis ullum Hispanicum verbum efferre. Iam vero quas praelectiones rhetores dies aliquot per totum annum habere solent, quoniam illae quartanis non minus usitatae sunt, a nobis cursim dicantur: quibus multi non discipulos, sed praecipitores agere visi sunt in explicandis auctoribus. Illi dilucide, atque perspicue auctorem explanant, eruunt artificium orationis ex locis insitis, atque remotis petitum, adjungunt distributionem rerum inventarum ex Rhetoricae praescriptionibus apte, convenienterque collocata, observant schemata verborum, et sententiarum: et quoniam in elocutionis parte versantur constructionem auctoris tam apte devinctam, suaviter, et numerose cadentem ostendunt, et quasi praecipitores essent, multos annos ante praeflegendi munere defuncti, imitandi modum, rationemque tradunt et, conferunt ad laudem alicujus divi, ad praestantiam virtutis, ad materiam, quae passim offerri posset, et ipsi rhetori egregiam praebere

occasionem dicendi. Indicant in auctore rationes incundi, persequendi, et absolvendi periodos aliquas. Communia illa sunt observare formulas, et phrasas magis singulares auctoris, atque primum insitam verbo significationem, deinde translata docere, et in unaquaque usus varios, insignesque loquendi modos. Sed ut in hac materia multa praecidam, illud adjungam, quod magnam habet in praelectione laudem: quod in demonstranda historia, in veterum annalium eruditione indaganda, illustrandaque, diligentiam illorum, et studium multi laudaverunt. Cum afferat similia, vel poetarum, vel oratorum loca ad id, de quo praelectionem habent, et ad scholasticorum utilitatem accommodatius, et ad ornatum, et splendorem explanationis speciosum magis, et illustre afferri posse nihil videatur: dicas te praelectiones in concertatione cathedrae, cum hos scholasticos audieris, semper audivisse.

PROMOTIO SCHOLASTICORVM ad classes superiores.

AD illa, quae a nobis commemorata sunt, magnum adjuvamentum affert promotio scholasticorum praefinitis temporibus ad superiores classes: qui nunquam transeunt, nisi ante translationem quidquid suae scholae proprium fuerit, et illis ad immigrandum necessarium audiverint, atque istud semel, et iterum. Quamquam enim diligentes, et in geniosi non admodum repetitionis indigeant, tamen quia major pars est mediocri ingenio praedictorum, bis, aut tertio iteratione rerum ingenia reficiuntur, redintegranturque. Cum praesertim auditione secunda scholasticis non bene intellecta melius percipiuntur, et quae probe accepta fuerint, memoriae firmiter haereant, atque constantius. Hoc autem a vobis intellectum vellem praeter quotidianam operam, et diligentiam, qua pueri apud praeceptores nostros exercentur, singulas post praelectiones.

EXER-

EXERCITATIONES VIRTUTIS.

ATque haec de subsidiis ad rem litterariam, nunc de majoribus, et firmioribus virtutis adjumentis. Cum igitur praeceptores Societatis Iesu persuadere sibi debeant de suae religionis instituto, tum maxime se facere officium suum, cum pietatem, et virtutem una cum litteris scholastici sumpsisse videantur: non minus diligentiae ponunt, atque laboris, ut discipuli bonis moribus, quam litteris imbuantur: quos pie, sancteque institutos vident rebus publicis, et Ecclesiae profuturos esse. Atque quae sequuntur, colenda sunt adjumenta virtutis. Primum: antequam illi praelectionibus intersint, sacro praesentes sunt summa cum religione, uno semper de nostris praeceptoribus praesente, ne se quisquam commoveat, ut nihil indignum loci religione faciant. Qui ab initio sacri in exitum usque ingenua procumbentes intersunt: nisi cum sacrum Evangelium recitatur, quod de more Ecclesiae Catholicae statim audiunt, quod fere semper facit praefectus academiae semihora exiens in Ecclesiam ante statuta praelectionibus prima tempora: quod tempus est ad eundem classes, et primam audiendi praelectionem. Ac ne quis exeat, aut absit a sacro, ne perstrepat aliquis, censores constituti sunt: quorum officium est absentes a sacro, et parum quietos, aut otium aliorum interturbantes notare. Nec enim in tanta multitudine fieri potest, ut non aliquis aliquando loquatur, aut non parum offendant proxime audientes. Quod ubi rescivit praeceptor, verbo, vel supplicio scholasticum castigat pro magnitudine, vel levitate culpa. Cum primum scholastici in scholas veniunt, et exeunt de gymnasiis, preces adhibitum in Ecclesiam recte contendant, ac se Deo immortali, Virginique Mariae commendatum, et ad finem primae praelectionis litanias ejusdem Reginae caelorum celsissimae mane recitant, vesperi Virgineos globos

Ggg 35 bulos

bulos, quos singuli secum deferunt, et non pauci de zona suspenso, et ignominiam ducunt maximam reperiri quenquam, qui circulum Virginis non habeat. Nam cum illi studium doceantur, et pietatem in Virginem Mariam, cum studiosi moneantur esse Angeli Custodis, et illius Sancti, cuius nomen in sacro sibi Fonte fuit inditum, cum denique crebros audiant sermones de cultu, et honore sanctorum dignitati tribuendo, cum singulos menses de praescriptionibus academiae per confessionem suas expient conscientias, atque praeter menstruas confessiones, non pauci magis frequentent, et multi octavo quoque die Sacramentum istud, et sacram Eucharistiam: ad hos fructus percipiendos quanto ufui sunt sermones praceptorum suis in gymnasiis sabbathis ipsis per semihoram facti de rebus divinis, et in exitu cuiuscunque mensis publice in impluvio scholarum conciones habitae ab uno de nostris patribus egregio concionatore? Atque curae maximae est praceptoribus nostris non praetermittendi datam occasionem inter praelegendum alicujus virtutis laudandae, aut vitii vituperandi: cuius ab auctore mentio facta fuerit. Visitatum nimis est, et in ore passim nostrorum patrum, ut ipsi suos auditores adhortentur ad orandum Deum, ad frequentandas conciones, et sacramenta celebrioribus praesertim sanctorum feriis, ad obsequium, et observantiam parentum, ad pravas consuetudines, congressusque vitandos; ad abstinendum denique ab omnibus flagitiis, et maxime ab obscenis libidinum impuritatibus, et ut libellos de rebus divinis agentes versent, manibus terant, in sinuque gerant, obscenitatum plenos respuant, et ut incitamentum, materiamque libidinum averfentur, atque adeo ad omnem praecedendam materiam, occasionemque legendi tanquam execrabiles, et bonis moribus perniciosos, aut discerpant, aut comburant. Denique ad omne munus honestatis, et ad virtutis officium bonorum exemplo exsuscitatur, et inflammatur. Sunt enim tres, aut quattuor decuriae, quarum

rum patroni adoptati sunt duo, sacer Ioannes Baptista, et Evangelista, beatus Iosephus, sponsus Virginis integerrimae: in quas exercitationum virtutis suscipiendarum causa ex diversis gymnasiis probi, et virtutis amantes scholastici cooptantur: quibus antecellit dignitate sodalitium Annuntiatae Virginis multis donis ac muneribus Romanorum Pontificum affectum, et Iubileis diebus aliquot solennibus impetrandis cumulatum. Non obliviscamur immunitates, praerogativas singulares, praemia vigilantibus, ac sedulis scholasticis constituta ac data, temporibus suis, et oblatiis occasionibus laudatos scholasticos, alios minis deterritos, et virgis caesos, cum opus est, negligentes, atque desides, seditiosos, ac turbulentos expulsos fuisse, ut flos maneat integer, et illibatus ad litterarum, et virtutis studium incumbens: qui nihil audent etiam aliis instigantibus sceleratis adolescentibus, quod multorum aures, et oculi speculentur illos, atque custodiant, qui venerint contra voluntatem praceptorum, contraque praescriptiones Societatis Iesu. Hi sunt delatores, et censes, qui in aliorum mores inquirunt; si quid peccatum, si quid commissum sit, ubi animadverterunt, aut resciverunt, continuo deferunt ad praepceptorem: per quos, et per alios aedium conscios magistri parentes suos accersunt, aut illos, in quorum discipuli tutela sunt: ut docti de vitiis, deque pravitate filiorum, illi domi, praepceptores in scholis corrigendos, et ad meliorem frugem revocandos omni ratione curent. Ita plurimi tales evadunt, tamque praestantes, et optimi, quales credibile est his moribus, ac disciplina institutos adolescentes evadere. Quorum si qui nostris ab scholis egressi a virtute deficiunt aliquando, peccant illi non tam libere, et audacter, atque cum scrupulo maximo, et acerrimo conscientiae morfu, et redeunt citius ad se institutionis, atque praeteritae disciplinae memores. Quot autem salutaribus monitis, et inito vivendi modo Deo Societas nostra lucrifaciat

presbiteri multi, atque religiosorum numerus infinitus, quorum plena est Ecclesia, pleni sacrarum familiarum coetus testabuntur: ego ad artium liberalium, et ad sacrae Theologiae studia transeo, de Graecis illud admirabile non praeteriens, quod ut communem aequae faceret nostra Societas Graecam linguam, atque Latinam in Hispania, Graeca cum Latinis conjunxit aliquot in locis, et arripiens morem Italorum, quibus plurimum debemus ad progressionem humanarum litterarum, et tantum quidem, quantum prae magnitudine suorum in humaniores litteras meritorum persolvere nos Hispanos non posse satis certo scio, a primis Grammaticae cunabulis Graecas, et Latinas docet litteras: quod aequae facile pueri discant utranque linguam, neque minus avide Graecis se dedant, quam Latinis. Vtriusque autem peritissimi, quatas praebent Hispaniae utilitates, quantam compararent gloriam, testes sunt pauci, qui utriusque scientissimi per omnium aera volunt, et inter nostros doctores principes, et coryphaei nominantur. Quominus id Hispali nostri patres consequuti fuerint, atque una contenti praelectione Graeci sermonis, morem hunc in urbem Hispalim introducere non potuerint, barbaries quae adhuc insidet in multis hominibus, et in veteravit, causa fuit, et aversus aliquorum a bonis litteris animus.

STVDIA PHILOSOPHIAE, et sacrae Theologiae.

DE maximis ad Philosophiam, et ad sacram Theologiam incitamentis, quoniam multa dicenda fuissent, et si tempus in his contere voluissimus, multae paginae complendae, breviter perstringam studia Philosophiae numerans tria curricula, cum ineunte anno cursus unus iniri soleat: ut nunquam ab externis scholis venientibus, si illi partem aliquam Dialecticae audierint, desit gymnasium, in quod ad Dialecticam, vel ad Philosophiam persequendam, absolvendum

damque possint ingredi. Atque ita quotannis necesse est unum liberalium artium, et Philosophiae cursum absolvi, et inchoari alterum, qui triennio conficitur. Studia etiam sacrae Theologiae vigent in hac academia plurimum, atque florēt propter externorum, et nostrorum fratrum numerum, et progressionem mirabiles, quas illi, cum plerunque ingenio bono, et acuto sint praediti, cum summa praestantia faciunt, et excellentia suae Religionis, auditione quattuor praelectionum: quarum duae ad Theologiam concertatoriam (vulgo scholasticam appellamus) tertia ad sacram scripturam, ultima ad casus, quos vocamus conscientiae, pertinet. Theologis autem professoribus id oneris imponitur, ut totam quadriennio percurrant Theologiam. Singulis hebdomadis sabbatho, vespertino tempore habentur disputationes propugnatore uno telis argumentorum exposito, et aliis ad argumentandum designatis oppugnatoribus. Ordine suo argumenta ponuntur, quae oppugnatores persequuntur ad illud usque tempus, cum praefectus studiorum supervacaneum putat longius pergere decertantem oppugnatorem: cujus argumentum ad pauca conferens, et in summam quasi redigens praefes, quid certi sit habendum, et minime dubitati, ostendit: ut quemadmodum difficultati factum satis fuerit argumenti, spectatores intelligant. Actus minus celebres duabus horis, et dimidiata mane, aut vesperi definiuntur. cum menstruae sunt disputationes, utrumque tempus occupant. Sunt etiam tres actus generales, qui diversis anni temporibus, ineunte, medio, et extremo curriculum totius tempore habentur invitatu omnis generis, et ordinis religiosorum, magistrorum, atque doctorum externorum coetu, praesentia sua actus cohonestate celebritatem. Hi per totum diem concelebrantur. In quibus affert voluptatem maximam audire litteratos patres acriter, ac vehementer argumentantes, subtiliter, et ingeniose disputantes, et huc, et illuc trahentes veritatem suis argumentis accuratis, et exquisitis per omne tempus argumentandi rationibus. Haec sunt pro-

pria huiusce scholae, reliqua, quae afferri potuissent, cōmunia his gymnasiis cum aliis academiis. In quibus tanta est frequentatio studiorum, et assiduitas, ut ab ineunte anno ad tēpus usque vacationum praeceptores nunquam vacent, nec sufficiatur in eorum locum quisquam nisi praeceptore morbo aliquo laborante. Atque cōstāter hebdomadariae vacationes conservantur, ut feriantur omnes diem unum in hebdomada, qui dies Iovis est, et vulgo dies consuetus appellatur: atque cum non antecesserit, neque consequatur dies festus, cujus antecessione, vel consecutione consuetus dies tollitur de medio. Anniversariae vacationes pro dignitate artium, atque disciplinarum longiores, aut breviores dantur.

CONCERTATIONES PHILOSOPHIAE, ET SACRAE THEOLOGIAE.

Philosophia ad quantā amplitudinē pervenerit, id ex cōcertationibus publicis facile intelligi potest: quae magnā habent dignitatem. Disputationes hae plenissimae cōcertationibus haberi solēt in gymnasio, vel in peristylio, si per tēpus licet, quā amplissimo: quod cū peristromatibus Damascenis, vel telis filo aureo intertextis ornetur, tū locus ille, qui capit coetū doctorū, scabellis circūcludatur, suggestū autem pulcherrime vestitū sit, in quo residet praeses actus istius: huiusmodi statuta est sella suggesto adhaerens, in qua sedet propugnator, qui ante se mensam habet praepositam, venustissimo vestitu obductam, et ad statuendā phylurā amplissimā, et illā explicatā, atque cōpletam disputationibus, quas tueri debet, atque defendere. Magistri, doctores disposita occupant subsellia pro antiquitate, et dignitate sua. Viri nobiles, qui ad actum illū cohonestandū invitati sunt, separati a doctoribus, vel inter primos interjecti confident. Oppugnatores, et qui de singulis aedibus sacrarū familiarū cōvenerunt ad argumētandum, permisti caeteris scholasticis expectant tēpus sibi da

datū, et iure vetustatis adveniēns, ad argumētū ponendū: et cum tempus est argumēti ponendi, acceptis disputationibus in sella posita in medio theatro confidentes e conspectu propugnatoris argumētari incipiunt. Ponit igitur propugnator unum, aut alterum argumētum contra ea, pro quibus propugnat alter: cum initium factum est respondendi, etsi propugnator acerrime argumēto resistit, quae ad responsa data objiciuntur et opponuntur, ea quidem diluendo, et permanendo semper in proposito, nunquam transiliendo fines praescriptos negandi, cōcedēdi, aut distinguēdi, ne tamē ab una parte propugnatio, ac defensio deesse videatur, ab altera oppugnatio contra susceptam propugnationem tela semper vibrans, atque contorquens: audire est argumentantes, nec minimum ab argumentationum praescriptionibus deficere, servare propugnatores, et oppugnatores disputandi leges, atque statas vices, quidquid in hoc peccetur, corrigi cōfestim a praefecto, vel a praefide de suggesto, idque percussa aliquādo cathedra, et ad praecedendam omnem verborum inanitatem, atque futilem iactationem, intenta voce, religionis habita semper ratione. Itaque objicere oppugnator incipit, propugnator repetere argumentationem totidem verbis; ait modo, concedit, modo negat, modo distinguit: trāsfilire interdū jubet tanquā parū cōfētaneū, aut supervacaneū, et nullū usū habens ad id, de quo disputatur; raro declarationes, vel rationes praesertim invitatis auditorib⁹ obtrudit. Id tēporis magnū est in eo loco silētiū, dū producitur, et huc, et illuc trahitur argumētū. Fervere concertationes, collaudari bonū argumētum, jubere praeses omnes attendere, et insignem perpendere argumēti difficultatem, suggerere praeses aliquid interdum, quo fulciat respondentem •ppugnatorē. Si conqueratur, bene responsum dicere praeses, atque tueri praecclare suas partes, neque eguisse animadversione sua propugnatorē, id se fecisse magis fulciēdi respōsi causa, et argumēti dirigēdi in finē, quem

ſpectabant auditores, feliciter omnia procedere, jubere perſequi, et uſque eo progredi, quoad nemini dubitandi locus datur: donec eo res deducta fuit, ut omnibus indicto ſilencio, quid certi, definitique ex ea argumentatione reportandum, praefes oſtendit nihil relinquens loci difficultatibus, quibus obſtrui ſolet veri cognitio. Illud autem omittendum non eſt, quod antequam definiat, conſtituatque praefes, quid deferre debeant ex illa argumentatione ſpectatores; poſtquam magna pars temporis altercationibus conſumpta eſt, intercedit doctor aliquis, aut magiſter, et objicit unum, et aliud, per multum tempus, quo rem trahit huc, et illuc in diſputationibus: ut majorem difficultate afferat enitendo quam maxime, ſi argumēto convincere poſſit, et de ſua ſententia deſpicere reſpondentem. Et quoniam hi ea argumentantur, quae plerumque gravia ſunt, et valde difficilia, ne propugnatio deſit in ulla parte, tandem aliquando, poſt multum jaſtata, et agitata argumentis veritatem, praefes ſuam interponit auctoritatem, et ſummam facit eorum, quae huc, et illuc tractata ſunt in argumentationibus, et quo difficultas pertineat ut ſciamus, preſſe, et breviter, ut in his diſputationibus fieri ſolet, quid efficiatur, et quid omnes ſequi debeant, oſtendit. Ita totus dies in diſputationibus poni ſolitus eſt, ad exitum proſtigatis quaestionibus plurimis, et graviffimis.

COMPLUTENSIS

ACADEMIA.

PERISTYLIVM.

Vnc deſcribatur a nobis Complutēſis academia, in qua prima noſtrorum ſtudiorum tabernacula collocavimus: quae parens bonarum artium, et ad-

admirabilis diſciplinarem officina celebratur. Quae cum tria habeat peristyliam, in primo ſunt muſaeae ſtudiis, et gravioribus diſciplinis dicata: quae in hunc modum aedificata ſunt, atque conſtructa, ut aedificium ſit amplum, atque altum: cujus in aditu introitus praepoſitus eſt gymnafiis omnibus duplex, atque uterque viſendus, ſed praefantior eſt, qui ad divi Franciſci ſacram aedem ſpectat: qui cum altiſſimus ſit, et longiſſimus, totus ex lapidibus mirifice politis aedificatus, tum multis, et variis picturis, et imaginibus lapideis, antiquo opere, et ſingulari artificio factis ornatus. Infra quem, in viſtatum, quae ſcholasticos in academiam deducit, templum eſt Beato Ildonſo ſacrum, in quo ab albente caelo nunquam ſacra intermittuntur in undecimam uſque horam: ut praefrequentatione ſacrorum nullum matutini temporis ſpatium rei divinae non intereſſe poſſint ſcholastici. Atque templum cum mirificum ſit, et amplum, tum academiae celebritate digniſſimum eſt.

PORTICVS SUPERIORES.

Ab illo igitur introitu, qui per valvas maximas datur, pauculos aſcendendo gradus lapideos in peristylium academiae ingredimur quattuor porticibus ornatum, quibus aedificii ſuperior pars collegarum cubicula continens ſuſtentatur: atque porticus columnis fulciuntur non tam politis, quam craſſis admodum, quae non parum firmitatis ac roboris habent ad ſtabiliendum, magisque perpetuandum aedificium. Porticus undique gymnafiis, et triclinio, ad praedia, coenaeque collegarum ampliſſimo, longiſſimoque circumdatae ſunt. Cum quadratum peristylium ſit, tum lapidibus ſtratū politiſſimis. Gymnaſia huius ſcholae octo numerantur. Cum autem duo ſint aditus ad has ſcholas, et tabernacula litterarum, unus ad aedes (ut praedixi) Franciſcanorum, alter ad medium ſpectat peristylium, quod inter-

majores, et inter minores liberalium artium studiis dicatas scholas interjectum est: si per illum ingrediaris, a dextra est gymnasium Medicinae, a sinistra Mathesibus sacrum: si per alterum introeas, a dextra excitatum est Iuri Pontificio, et a sinistra Philosophiae tabernaculum dicatum. Porticus dextra a lateribus continet tria gymnasia, inter quae duo nobilissima, celeberrimaque commemoratur, unum reginae disciplinarum omnium sacrae Theologiae consecratum, alterum habet multum celebritatis, et honoris, quod in illo bachalaurei, et licentiati subeant periculum examinis, quod adeunt ante lauream utranque consequenda: atque in istud praeceptores liberalium artium, atque Philosophiae conveniunt suis disputationibus praefuturi. Cum porticus pateant in longitudinem, et latitudinem tantam (capiunt enim quattuor deambulantes scholasticos spatio suae latitudinis transverso) tum picturis multis, et insignibus decoratae nitent incisissimis ad memoriam rerum ipsarum sempiternam. Ab hoc peristylio datur ascensus per duas scalas ad cubicula superiora collegarum, et ad rectoris academiae palatia honorificentissima: quae quadruplici porticu superiore decorantur, et illa spectat ad impluvium Rhetoricae, in quo sunt duo gymnasia, arti benedicendi unum, et alterum Hebraicis, et Graecis litteris factum: ad quae per transitum, qui nos in sumum impluvium deducit, quattuor porticibus decoratum ingredimur: in quo amplissima sunt valvae, in Divi Ildesonsi per gradus descendentes aditum praebentes. In peristylio maximo horologium est cum indice horas, et illarum partes, et intervalla designate. Nunc ab his scholis per medium peristylium ad Dialecticorum, et Physicorum gymnasia nos conferamus: sed si in hoc medio paululum consistamus, vim et multitudinem admirabimur scholasticorum ex majoribus, et ex minoribus gymnasiis exeuntium. Hos videas consistere, et in circulis, et in conventiculis usitatis, alios binos, aut stantes, aut deambulantes, quae audierunt relegentes,

tes, et conferentes inter se: et ob eam causam impluviu istud vocibus scholasticorum agentium, et disputantium de rebus litterariis nunquam non personat. Scholae minores non minus logo, latoque peristylio, et columnis ornato magnificentis, quae totum superius aedificium, et collegarum cubicula trilinguam suam firmitate sustinent, cum porticus quattuor, et quinque contineant gymnasia, tum in una theatrum est amplissimum, atque magnificentissimum. Istud quadratum est ex omni parte, totum nitidum atque collucens, sive pavementum, sive gradus illius, sive parietes, atque tectum, denique suggestum velis intueri. Totum enim stratum est tessellis perlucidis atque splendentibus, gradibus circumdatum plurimis, atque tessellatis, quorum summus a caeteris, quos magistri praecipue cupant suis insignibus ornati in cohonestandis honoribus litterariis, a doctoribus disjuncti separatique, cancellulis ferreis interjectis magis eminet, atque praecellit doctorum cujusque facultatis numero, et dignitate pro sua antiquitate confidentium decoratus. Parietes altissimi sunt, et incrustati mirabiliter, et coloribus picti venustissimis, fenestris ornati patentibus ad spectandos ludos litterarios, et ad doctorum lauream in hoc orbis gentium augustissimo, celeberrimoque theatro deferendam. Cum tabulatum valvis adversum, a terra non multum excitatum sit ad res litterarias hoc in loco exercendas, tum suggestum omnium, quae viderim, et audierim, opere speciosissimo, magnificentissimoque factum est, totum deauratum, et valvis ipsis objectum atque oppositum. Tecta laqueata, et auro obducta purissimo, plurimis illustrata artificum ingenii magnam addunt theatro dignitatem, et Coditoris praestantissimi Cardinalis Ximenii celsitate expressam relinquunt ad posterorum memoriam immortalem. In hoc theatro habentur orationes publicae, declamant collegae trilingues, deferuntur honores litterarii. In eodem legationes, quae a paranympis, id est a legatis nomen acceperunt, singulis annis obiri solent, et pridie illius diei

qui doctorum lustrationi datur, disputationes haberi debent, proponente puero quaestionem, quae huc, et illuc argumētis trahenda est, et orationem rhetore clarissimo habente de sella magnificentissima de laudibus unius viri lauream accepturi: quam consequuntur ridicula dicta, et iacta in novū doctorem, ut a rebus seriis, et gravibus, quae antecesserunt, ad jocos, et ad ridicula mentes auditorum aliquantulum a vocentur, atque homines exhilarati de theatro, ridēt esque discedant.

GRADVS LITTERARII.

IN eodem denique, ea, quae sequitur, Domini die, doctoris insignia deferuntur a Decano academiae, magno plausu, et acclamatione, frequentissimo confertissimoque theatro, ipsisque magistris separatim a doctoribus theologis, jurisperitis, et medicis intra cancellos amplitudine, varietateque jucundissima confidentibus. In hoc doctoris honore deferendo multae res praecedunt, et consequuntur risu, audituque jucundissimae. Habentur orationes, et ad petendam lauream et ad gratias pro cōsequuto honore agendas, Decanus autem ad deferenda insignia doctoris usitatam pronuntiat oratiūculam, distribuuntur manicae, et pecuniae pro dignitate magistris, atque doctoribus. doctor novus cancellos circumiēs, unumquenque magistrum, singulosque doctores amplectitur laetus, et hilaris, in tantum, et tam honorificum locū ascriptus. Qua laurea donatus revertitur cum academiae Rectore ad majores usque scholas, tibicinum, et tympanorum cantu personantibus impluviis omnibus, suis insignibus decoratus.

LIVSTRATIO DOCTORIS.

Non omittenda est hoc in loco lustratio doctoris publica, plena honoris, plena ostentationis, quae diem lau-

laureae antecedit, cū per vias publicas, atque celebriora civitatis loca vehitur, si medicus est, equo mirifice strato visendus omnibus, atque spectandus in habitum fere, formaque triumphantis. Nam cum praecedant tympanistae, atque tibicines, illi semper crebro pulsu tympanorū, multo ante, doctoris speciem, et aspectum illustrem, totamque lustrationis pompam praecinentes, tibicines suis intervallis, omnibus in locis personantes mirifica tibiaram dulcedine excitant oppidanos, et scholasticos, ut ad novum doctorem, et ad lustrationis magnificentiam spectandā sese effundant, et advolent, et de suis aedibus, de fenestris, pro foribus spectent. Primum magistri liberalium artium cum ephestrīde splendenti, sui ordinis, ac dignitatis insignib^o ornatī capita, et pectora clarissimis praecedunt. Illis proximi progrediuntur medici decorati pallido, jurisperiti, sacrorumque canonū doctores, rubro, viridique colore, theologī cādido albicantes ornatu procedūt: omnes bini loca omnia praetervehuntur, aequabiliter progressi, cum auctoritate summa, et illustri, mirandaque varietate. Eques ornatu visendo decoratus praeferebat signum elatum in sublime, et stemmatibus novi doctoris illuminatum. In media vero pompa, summo apparatu, et splendore versicolore amicti veste pueri nitebant, et in equis vecti eleganter stratis, paropsides gerentes rotundas, et amplitudine maxima, et in illis insignia doctoris pulcherrima, venustissimaque, galero affixa, et in circuitu licuiis ipsis latissime sparsis diffusisque. Vltim^o omniū rectori academiae proximus eques cōsequebatur nov^o ipse doctor, aperto capite, pretiosissimo cultu corporis ornatus. Praeibat clavarii academiae cū clavis argēteis, et deauratis: et famuli plurimi equum circūstebāt, qui versicolorib^o distincti insignibus non parū habent venustatis, atque splendoris. Hac pompa, et splendore, a collegio maximo cuncti discedunt. Qua in lustratione cum varietatem tantam, et multiplicem ornatum admiremur, magis suspiciemus ordinem hominū

equitatum, in quibus judicia gravitatis, constantiae, firmitatis, lumina, et ornamenta litterarum, et totius sapientiae possumus intueri.

DE COLLEGIO MAXIMO,
et Rectore.

SED eo unde digressi fuimus, nihil omittendum di causa revertamur ad scholas majores; et habitatores maximi collegii; et praefectum illius maximi videamus: sunt enim collegae sapientissimi, litteratissimi, et curricula jam sacrae Theologiae, et suorum studiorum confecto; qui partim jam doctores sunt, partim ad lauream doctorum aspirantes actum jam instituerunt suos: quibus, et universae academiae rector praestitit amplissimus, et litteris, et auctoritate, et omnium sapientiae luminibus illustratus. Cujus magistratus annuus est, et in illius locum alter facta sortitione succedit. Quem videre est amictu collegarum talari, et a fronte epitogio concluso cum focali ab adverso collo in tergum ex utroque humero ad imam usque vestem delapso cum spira rotunditate mirabili facta ad speciem, et amplitudinem. Quem exeuntem de palatio suo multi comitantur officii, et honoris causa: atque illi praecedunt, alii subsequuntur: a tergo famulus egregia, atque liberali forma laciniam longiorem manu sublatam portat. Semper duo praecedunt accensi cum clavis speciosissimis in humeros impositis ornantes, decorantesque dignitatem, et amplitudinem rectoris insignem: qui in statu, in incessu, in oculis, et ore auctoritatem Pontificis majestate dignissimam sustinet. Hujus humeris inclinata recubant academia universa. Cujus partes sunt gubernare academiam, cogere doctores ad deliberationes rei litterariae, providere rebus academiae, obire gymnasia, quaerere in praefectores praefectos. Qui jus et potestatem habet in scholasticos, quocun-

cunque alio iudice solutos, ac liberatos. Hi enim scholastici simulatque in academiam hanc ad litterarum studia percipienda venerunt, adeunt, et singulos semper annos, anno ineunte, domum secretarii, qui in catalogum scholasticorum illos ascribat: ut praerogativis, et immunitatibus academiae datis perfruantur. Atque rector improbos carcere, vinculis, et suppliciis coercendi facultatem habet jurisdictionis potestate sibi tradita ex academiae actionibus. Idem debet edicta proponere cujuscunque cathedrae, quae vacaverit, suffragia scholasticorum accipere, et ex numero suffragiorum majore deferre cathedram, collegia reliqua alere sumptibus, et impensis collegii maximi, stipendia persolvere praefectoribus suis praestitutis temporibus. Denique quonia omnia munera sigillatim persequi non possumus, proprium est rectoris universae consulere academiae, atque curare inter alia per bidelos, ut suis horis ingrediatur ad praedilectionem, et a gymnasiis expletis temporibus praedilectionum legitimis exeant praefectores, nec partem ullam temporis amittant: ut pro decessione temporis de lectione facta, magistri pecunia mulctentur, tantoque minus de suis stipendiis accipiant, quanto plus temporis, quod infumendum erat in praedilectionibus, citius exeundo detraxerint.

PRAELECTIONES.

Nihil hic opus est enumerare praedilectiones cujuscunque facultatis, atque disciplinae, nec plures habentur in ulla nostrarum, aut aliarum gentium academia. Quotannis duo curricula iniri solent liberalium artium; atque unumquodque curriculum quadriennium durat. Praefectores duo utriusque cursus biennio primo quotidie quinquies in gymnasia ingrediuntur. De theologice praedilectionibus reliquas aestimate, quae in singulos dies sex numerantur. Atque cum praedilectiones Rhaetoricae quattuor commemorantur,

et a singulis explicatae praeceptoribus singulae: quid unquamque facultatem hoc in genere, disciplinamque persequar?

RENUNTIATIO DOCTORVM.

VNum non omittam, quod ad honores licentiarum (sic illos vulgus appellat) et ad lauream doctorum spectat: quae dissimili reliquarum academiarum more, maximaque differentia mandatur: et ob eam causam toto terrarum orbe renuntiationes Complutenses pluris habentur. In reliquis academiis post periculum examinis commune, si suffragiis doctorum approbatus fueris, lauream honorificam accipies non aequandam tamen honore, et gloria sua cum Complutensi gradu: ubi non unus dumtaxat bacchalaureus, sed multi de loco superiore contendunt inter se: et dum quisque aequalibus, et loci celebritate consequuti superior esse contendit, dici non potest, quatos illi bacchalaurei labores suscipiant, quas exorbeant difficultates, quantis se frangat vigiliis: saepe in medio cursu, antequam honores laureae consequantur, fracti, confectique laboribus intereunt. Nam cum examinandi sint, et honoribus afficiendi facultatis suae, ne condiscipulis aliis inferiores sint, ne in mediam conjiciantur turbam, ne sint ex ultimis: ut primum locum deferant, aut secundum, vel saltem renuntientur inter principes, qui laurea decorantur licentiatum, qui ad novem usque, aut decem in renuntiationibus numerantur, cum amplius saepe octoginta lauream accepturi sint: cum suorum ingeniorum, et studiorum publice ratio reddatur, et agatur honos illorum: agatur gloria non minus, et existimatio in posterum ad reliquum studiorum cursum, ad contendendos honores saeculi, ad Ecclesiae sacerdotia consequenda: non libros solum, et codices legendo, versandoque, sed se ipsos in Phisicis, in Metaphisicis, in Philosophia, in libris conterunt, et exhauriunt.

valetudinem: cum in examinis discrimen adducendi sint, et mori malint, quam ullum dedecus, et ignominiam reportare: cum etiam condiscipulis unusquisque antecellere omni ratione contendat. Deliguntur igitur iudices, qui examinatores dicuntur, optimi, et praestantissimi de academia magistri, doctoresque, qui parati, praemeditatique veniunt ad rogandum, et ad argumentandum: qui tam subtiliter, et acute quaerunt, tanta vi respondentibus instant, acrius urgent, atque premunt, ut ex concessis ad absurda, et repugnantia compellere bacchalaureos detrudereque contendat: ut nihil sibi prius videatur esse, nec quod magis contendant et enitentur, quam respondentes bacchalaureos in angustias maximas adducere, quam responsa coarguere, quam palam, et manifeste, si possent, convincere, et ab eo prorsus abducere, quod concesserunt, aut negaverunt. Sed bacchalaurei versare ingenium in omnes partes, huc, illucque mentem accurate flectere, haec concedere, illa negare, alia distinguere scienter, eisdem vestigiis insistentes in proposita permanere sententia, eamque tanquam rationi consentaneam, et Aristoteli probatam, et ab aliis philosophis acceptam, et suorum auctoritate magistrorum confirmatam tueri, laudare id temporis omnes ingenium, acumen in caelum tollere, vim celebrare refutandi, dignos praedicare spectatores, quibus sine controversia prima deferantur.

DISPUTATIONES THEOLOGICAE.

Aec si in dialecticorum, et in metaphisicorum disputationibus tam praeclare praestantur, in Theologorum concertationibus, quae plus habent admirationis, et qui propugnatores sunt, et oppugnatores plus aetatis, et progressionum in sacra Theologia habuerunt, quorum oppugnatores sunt exquisiti de academia praeceptores, doctores ip-

si, atque professores primarii sacrae Theologiae, lumina et ornamenta sapientiae, quanto majorem illi vim et contentionem adhibebunt? quanto acriora, difficilioraque ponent argumenta? quanto magis conabuntur urgere? Nihil ibi loci est subterfugendi difficultates; summo jure, et ad vivum omnia refecatur. Propono mihi inter alias Theologiae disputationes omnium celeberrimas (quas Complutenses Alfonsoas appellant) quae unius diei spatium praeoccupant, nunquam punctum temporis a gymnasio discedente propugnatore, neque interquiescente nisi horam unam ad summum ex duodecim, et amplius nullam: quoniam actus hi verno tempore concelebrantur, quibus dies longiores sunt; non ne, cum gymnasium hedera, aut herbis aliis convestitum sit, et aliquot intervallis interjecta hieroglyphica, et emblemata, versus multi papyris elegantissimis, et grandioribus litteris, ut ab omnibus possint de suis stationibus praelegi, exarati de laude propugnatoris, de celebritate academiae; qui praefes est, de suggesto praesidet, non propugnator in sella sedet in inferiore loco proximo suggesto, et reliquis, qui in suis renuntiationibus numerantur, magistris? Oppugnatores suas sedes occupant pro antiquitate venerabundi, suspiciundi, patres, robora, et firmamenta academiae; in quibus maxime consuevit jactare se sacra Theologia illustri tantarum progressionum scientia, telis argumentorum fortissimis, et acerrimis jaciendis, eorumque rationibus, negationibus etiam, et concessionibus appositissimis. Quemadmodum oppugnatores unum, et alterum ad labefactandas propugnatoris responsiones objiciunt et opponunt, ut id totum evertatur progressionem antecessionum, et consecutionum, quas agebat, aut negabat, aut distinguebat propugnator, et nullo semper incommodo eorum, quae sacrae Theologiae consentanea et ex libris sanctorum patrum, ex decretis conciliorum, ex Christi Iesu, et sacrarum litterarum doctrina praecepta sunt, et exhausta? Sed age jam propositum argumentationis,

ipsam

ipsam dico propositionem, assumptionem etiam, atque complexionem, et partes singulas intueamur: videbimus ab argumentorum initio quaestionem discussam, et agitatum, susceptas oppugnandi, propugnandique magnas partes, atque difficiles, in omni denique conflictu sic utrunque se gessisse magnifice; ut ille munus respondendi sustinuerit, egregie doctoribus satisfecerit, cumulate fallaces argumentationes detegendo, celeriter declinando, infringendoque facillime: ne quidquam efficeretur ex his, quae probare contendeat adversarius, atque concludere. Atque ita praevidisse consequentia, rejecisse repugnantia, antecessiones, et progressiones non oblitum propugnatoris constat, ut per omnem argumentationis decursum magna laus ei tributa, plausus datus non vulgaris fuerit ab spectatoribus, et dignus ab eisdem judicatus, qui inter viginti viros doctissimos primum in honorum renuntiatione locum consequeretur. Atque hoc minime mirum videri debet legentibus exercitationem nostram, qui noverint tam praeclare constitutam academiam hanc, tam optimis legibus, atque decretis temperatam. Ex hac enim in omni scientiarum genere praestantissimi doctores tanquam ex equo Trojano prodierunt; qui Ecclesias omnes Hispaniarum, atque adeo Pontificum sedes sua sapientia compleverunt, et illustrarunt. Hinc oratores summi, et singulares, qui Periclis similes orando tonuerunt, et fulgurarunt. Hinc praestantes Aristotelis interpretes magistri Philosophiae praestantissimi. Hinc Abbates multi, multi Iasones, et Innocentii, multi Baldi, Bartoli, et jurisconsulti celebres Hispaniarum, et insignes. Hinc Galeni, et Hipocrates plurimi regum Hispaniae Medici, Protomedicique celebrati. Hinc decora, et ornamenta Theologiae prodierunt, tot patres amplissimi, imagines, et simulachra sacrorum patrum expressa: quibus cum aliae Ecclesiae, cum omnes Christianorum sedes, tum Ecclesia Iusto, Pastori que sanctissimis martyribus sacra, tam insigniter decorata tantum habet dignitatis, atque splendoris, quantum nullam

lae aliae de ditionib⁹ Christianorū imperiorū omnib⁹ cōse-
quentur unquam : cum illae quamquā de nobilitate, de vir-
tute, nō tamen de virtute magis, et de sapientia gloriari pos-
sint, quam academia Cōplutensis: quae plena magistris, ple-
na doctoribus, decorata est, et illustrata, doctissimis sapien-
tissimisque. Istud enim inter alia, qui sacerdotiorum hujus-
ce Ecclesiae reditus reliquit, Cardinalis Ximenius sanxit, at-
que stabilivit, quod nulla posterorum aetate mutaretur, nec
violaretur unquam: ut ad istius Ecclesiae canonicat⁹ docto-
res, ad Portionem quamlibet magistri Philosophiae, pro an-
tiquitate vocarētur. Atque hi viri, tot fere magistri, tot pae-
ne doctores, cum ex academiae disciplina prodierint tam
praestantes, et admirabiles; tū nō parū insignes sunt, qui in
collegiis tantae academiae alti, instituti que fuerūt : fuerunt
enim maximo alia plurima, quae dicuntur minora, subjectā
collegia, duo grammaticorum, quattuor Dialecticae, et Phi-
losophiae navātium operam. Duo alia sunt, unum collega-
rum trilinguū, qui in litteris Latinis, Graecis, et Hebraicis
per aliquot annos suum studium, et laborem ponunt; alterū
est theologorum, a quo gradus a plurimis factus est ad ma-
ximum: in quo collegio permixti theologis aluntur me-
dici. Vnum, quod regium est, et si quod aliud fuerit, a cōdi-
tore Cardinali Ximeno exstructum non est. Quare sit in
aeterna gloria conditor academiae tantae, Frāsciscus Xime-
nius Ecclesiae Toletanae Archiepiscopus, et Romanae
Ecclesiae Cardinalis amplissimus : qui tantam litterarum
officinam, domicilium verae sapientiae florentissimū, for-
tunatissimam, et pulcerrimam doctorum hominum altri-
cem, parentemque fundavit hanc Cōplutensem academiā,

BIBLIOTHECA COMPLUTENSIS.

Non oblitus fui bibliothecam Complutensem mirifi-
cam, atque singularem Bibliis, quae in illa continetur,

to-

toto terrarū orbe celebratam: quae omnis generis librorū
numero refertissima est. Hanc Cardinalis Ximenius magnis
impensis, Latinis, Graecis, Hebraicis, hystoricis, et ad Diale-
cticam, et ad Phylosophiam pertinētibus libris inferfit, au-
xit plurimis jurisconsultorum voluminibus, et scriptis me-
dicorum omnium, atque ipsis monumentis sacrae Theolo-
giae illustravit mirū in modū, Bibliis praesertim ad Grae-
cam, et Hebraicam fidē restitutis per doctissimos, et utrius-
que linguae peritissimos ex diversis terrarum partib⁹ sum-
tibus maximis, et intolerandis accersitos hujus academiae
solum illustrandae causa. Atque haec bibliotheca aucta ma-
gis, et locupletata omnis generis varietate librorum, et cu-
juscunque facultatis, atque disciplinae auctorum visitur, et
ab omnibus magis magisque celebratur. Libri suis pluteis,
forulisque continentur non soluti, ne de pluteis in terram
decidere, aut ex manibus delabi possint scholasticorum, sed
vincti, suisque astricti catenulis, ut minus detrimētī capiānt:
cum tot conterantur manibus, et abhinc tam multos annos
in eodem inhaerentes loco. Paret bibliotheca duas horas
matutino tempore, et totidem vespertino, si cui praelegen-
di auctoris aviditas alicujus, aut difficultatis investigan-
dae necessitas fuerit allata. Et quamquam longissima, latissi-
simaque sit, nunquam tamen propter fenestrarum amplitu-
dinem ipsius luce diei caret ad legendum, et ad describen-
dum, si collibitum fuerit, aut necessarium cuiquam in tem-
pus usque claudendi portas ipsas in bibliotheca permanere.
Atque haec satis fuerit nos mandasse litteris de academia
Complutēsi pro celeritate, qua festinamus ad exercitationis
exitum.



SALMANTICENSIS

Academia.

Topographiam fere absolvet Salmanticensis academia, omnium, quae sunt toto terrarum orbe, florentissima. De cujus conditore, cum inter omnes constet a regibus potentissimis fundatam illam, et exstructam fuisse, et ab eisdem constitutos reditus, et amplificatos: nihil est, quod multa verba faciam. Describam tamen imprimis aedificium, quod ad illorum laudem, qui tantam academiam, tam praeclare nobis fundatam reliquerunt, non parum res ipsa facere videatur. Atque officinas Salmanticensis academiae, in majores, minores, minimas scholas tripartitas video: quarum majores in hunc modum aedificatae sunt, ut totum aedificium lapideum sit in mirandam stabilitatem firmatum. Atque illae peristylum habent, totum undique porticibus circumcinctum: atque ipsum, et porticus lapidibus stratae sunt. In medio peristylion puteus est ex eodem lapide factus. Porticus sustentatae columnis eminentissimis, atque illae decoratae musaeis, et officinis litterariis: quae disciplinis maximis, doctrinisque dumtaxat praestitutae sunt, et sacello longissimo, amplissimoque ad rem divinam scholasticis faciendam. In scholas has per tres portas ingredimur, quarum duae ad templum maximum, quod academiae proximum est, et adversum, tertia ad vicus bibliopolarum spectat, et ad minores deducit scholas. Si per praecipuam ex duabus supra nominatis portam introibimus, a dextra deflectentes in gymnasium Medicinae dicatum incidemus: quod Rhetoricae praefecturae praefinitum est etiam. Illi proximum est in altera porticu omnium maximum totius scholae, cujus tanta est omnino capacitas, ut bis mille, et amplius scholasticos capiat Iuri Pontificio operam dantes: quod istius facultatis professor antiquior, primariae cathedrae moderator jure suo praec-

praecipuat. Consequitur aula theologorum longa satis, et ampla. Si tamen ad sinistram conversi contenderimus, in primam Iuri civili destinata classis incurremus: inde in parvum litteris Hebraeis dicatum musaeum, sed scholariorum numero sufficiens: deinde in sacellum in longitudinem, et in latitudinem maximam patens Beato Hieronymo sacrum. Si per alteram portam adversam superiori voluerimus scholas intrare a sinistra deflectentibus occurret philosophorum classis, quam proxime secunda consequitur aula Iuris Pontificii magnae satis longitudinis, et amplitudinis, sed ad principis gymnasii capacitatem non comparanda: si vero ad dexteram nos converterimus secundum Iuri civili dicatum gymnasium in oculis, et ore versabitur principis ejusdem facultatis objectum et oppositum. Paulo superius statim fere post gymnasium istud sunt scalae ex lapide vetustissimo, per quas ascendimus in bibliothecam antiquissimam, et opere concamerato factam, omnis generis librorum recentiorum, et antiquorum, et etiam manu descriptorum plenissimam: quae dies singulos mane, et vesperi stas jam, et definitas horas patet, et aperta est ad eundem evolvendi, versandique alicujus libri causa. Ad dexteram deambulatio quaedam est tecto obducta, satis magni spatii, cum fenestra in peristylum spectante: per hanc rector, consiliarii, magistri, et doctores omnes ad suos conventus habendos ingrediuntur in palatium ex omni parte quadratum: quod subselliis circumdatum est, et a fronte lectus est praepositus subsellio rectoris, et illorum, qui a consiliis eo sunt anno: caeteri magistri, doctoresque ex ordine suo, pro sua omnes antiquitate consistunt. Locus hic est suffragatoribus datus ad cathedrae cujusque suffragia ferenda, praesidentibus rectore, consiliariisque summo cum splendore, dignitateque: et ille, qui bibliothecam antecedit, candidatis deambulantibus, aut consistentibus, dum illi suffragatoribus officia consueta praestant, dum colloquuntur, dum de jure suo docent, dum praesentant veteri, et usitato more cōtē-

dendi. Ita peristylum scholae maximae quattuor porticibus constat, in quarum prima, in quam datur egressus per primam ad templum maximum spectantem portam, sunt duo gymnasia, a dextra Medicinae, a sinistra Iuris civilis primariae cathedrae. Adversa porticus tria continet, unum ad dextram Iuris Caesarei primariae, duo ad sinistram, prius Philosophiae, posterius Iuri Canonico, Institutionibusque Iustiniani consecratum. Porticus tertia gymnasium maximum, et classen sacrae Theologiae occupat, quae adversa est huic, aulam Hebraicam, et sacellum pulcherrimum, scalasque descriptas. Supra sacellum turris est, et in illa horologium cum lapideis arietibus ab utroque latere, ad semihorae signa danda statutis, quos artificio mirabili videre est, cum maturum tempus adest signi dandi, unum ab hoc, alterum ab altero latere capitulis demissis leviter praecurrere ad semihorae signa danda, dato signo, pulsuque semihorae retrocedentes consistere semper cymbalo ipsi oppositos et objectos: quos tyrones maxime demirantur, atque ictus exspectare solent, et stupidi saepe, vel laetantes. Atque id temporis maxime tyrocinium illorum in scholis animadvertitur: nam antiqui festi videndis arietibus, audiendoque sonitu nihil hos jam curant. Ab scholis maximis per portam secundam primae, de qua supra diximus, adversam, et antepagmetis ex lapide politissimo factis, multiplicique imagine decoratis ornatam, recta contendimus in scholas minores, per viam latam, lapidibus stratam, in qua ab uno latere tabernae plurimae librariae continuatae visuntur: in altera aedes amplissimae secretarii tolluntur, et altius adversis aedibus eminent in ingressum usque, et minorum introitum scholarum. Illae quae admodum maximae peristylum habent quattuor circumdatum porticibus: in quibus sunt gymnasia liberalibus studiis, atque aliis litteris, et bonis artibus constituta. Ad has ingredimur officinas litterarias praeter praedictam, per duas alias portas; quarum una per scalas lapideas ad Divi Augustini.

fini spectat; altera recta deducit scholasticos in minimas, recentioresque scholasticae ad superiorum rationem exstructae sunt. Atque inferioribus additae sunt porticibus superiores recto pulcherrime laborato factae propter cubicula ad collegarum trilinguam habitationem idonea satis et accommodata. Hae Grammaticae studiis, et puerorum turbis, ne illa majorum interturbet otium studiorum, et celebrioribus artibus, atque disciplinis maximis inferiores litterae admisceantur, abhinc non multos annos officinae litterariae perfectae fuerunt. Atque haec de aedificio totius academiae in tria peristylia distributo: quorum ne cuiquam multitudo, magnitudoque gymnasiorum admirationem faciat, commemorandae sunt a nobis praelectiones cujusque facultatis, doctrinaeque.

PRAELECTIONES.



Tque ab scholis maximis initium commemorandi faciam praelectiones. Iuris Pontificii novem statae, praestitutaeque singulos indies numerantur; quarum duas mane sibi primariae duae cathedrae vendicant, totidem vespertinae diversis in gymnasiis magno auditorum concursus atque primariae sesquihoram, vespertinae horam explent. Proxima est explanando Decreto constituta praelectio, et secundum hanc Sexti ejusdem juris, atque dignitatis, quae primarias proxime consequitur. Reliquae Iuris Pontificii praelectiones ad diversos Decretalium titulos enarrandos, explanandosque pro decretis, sanctionibusque academiae servandis pertinent. In hunc modum jurisconsultorum responsa, leges, et jura interpretantur earundem horarum spatiis legitimis, et expletis, unius praelectionis accessione facta: nam primariae duae sunt, totidemque dicuntur vespertinae, duae Codicis, una Digesti veteris, una etiam Vo-

luminis, duae denique Institutionum Iustiniani explicandae: quae temporibus suis, horisque legitimis partitae sunt. Ad theologos venio, qui sex quotidianis praelectionibus interesse possunt, mane, vespereque: praeterea medicos, philosophos, rhetores, et sermonis Hebraici studiosos: quorum ordinariae quotidianaque praelectiones suo definito numero continentur. Atque haec de scholis ipsis maximis, et de praelectionibus, quae intra maximorum parietes gymnasiorum enarrantur. Adeamus scholas minores, lustremus liberalium artium officinas. Audies totidem cathedricos diversis horis liberales artes tradentes, atque docentes doctores, quas proprietatis vulgus appellat: hic docet cunabula, primaque rudimenta Dialecticae, alter quaerendi, differendique artem Logicen tradit, tertius Physicorum difficultates nodosque solvit, quartus Metaphysicorum arcana patefacit, praeter quos artium, et Philosophiae magistrorum quotannis creatur novi Dialecticae, Philosophiaeque praeceptores, qui curriculum ineunt, et intra triennium absolvunt. Ab his ad minimas classes, recentioresque transeamus, in quibus Grammaticae rudimenta prima, ratio syntaxeos, syllabarum dimensio, auctorum, poetarumque diversitas explanatur, et enarratur pueris in studia litterarum ingredientibus. Hae sunt ordinariae, stataeque praelectiones, quibus extraordinariae plures accedunt, et adduntur a competitoribus collegiorum, cathedraeque alicujus: quorum vocibus personant minorum gymnasia scholarum diebus profestis, atque omnibus horis, hyeme, ab octava in undecimam usque, et a prima hora post meridiem in quintam, verno, et aestivo tempore, a septima in decimam, et a secunda pomeridiana in septimam usque. Tanta est competitorum decortantium de cathedris, collegiisque multitudo: quae vincit proculdubio, numero, suaque celebritate praestantiam, multitudinemque omnium cujusque academiae competitorum. Atque cathedrae omnes, praeter primarias, et vespertinas, et quas vo-

ca-

camus proprietatis, quarto quoque anno vacat, et cuiusque de academia viro facultatis illius laurea decorato, si collibitum fuerit, liberum est cathedram contendere, et ad illam ambiendam intra legitimum tempus apud rectorem, consiliariosque nomen suum dare. Sed sunt adeo Salmanticenses officiosi, et amantes honoris alieni, ut nolint honorem huiusmodi ambire, quamquam cathedrae consequendae fuissent certissimi, et illam habere se domi conditam putarent. Itaque tempus expectant religionis, vel vacuitatis, cum cathedricus fuerit aliquis, qui se abdicet cathedra proventus ad regium aliquod consilium: vel si presbyterorum itineribus contendens, sacerdotium amplissimum, vel canonicatum, aut dignitatem detulerit: nam qui ad proprietatis cathedram ascenderit, nisi ejusdem abdicatione, quod fere nunquam accidit, per omne suae vitae tempus eam retinebit, nunquam de possessione deturbandus. Quin praeter reliquos Hispaniarum academiis habet hoc proprium et peculiare jus ad labores diuturnos, maximosque praeceptorum compensandos Salmanticensis: ut cum annos viginti aliqui istiusmodi cathedram doctor moderatus fuerit, more veteranorum quodam militum a laboribus conquiescat, et omni cura solutus, quasi legitimis iam stipendiis coactis, et huiusmodi militiae muneribus emeritis, in posterum sit emeritus, et quotidiano praelegendi onere liberatus, deinceps immunis emerita deferat, et tamquam bonus gladiator tandem aliquando rudem accipiat. Ita praeceptores istiusmodi emeriti vel ad scribendum se recipiunt, vel in regia consilia deliguntur, doctores omnium lectissimi, fama, ac celebritate nominis admodum praestantes: vel si theologum fuerint, nullius non Ecclesiae coetus in suum ordinem cooptandos curant, ut tantam sapientiae praestantiam nanciscatur. Atque multi praefecturas Ecclesiarum, Pontificatus sedes honorificentissimas emeriti consequuti fuerunt. Sed in praelectionibus certare est studium, et diligentiam adhibitam, ut totam horam praelegendo praeceptores expleant, de legitimo sibi ad suum praesertim persolvendum tempore coepto neque punctum minimum detrahendo. Quam

obrem quadrantem ante inambulare solent peristylum, et expectare tempus ingrediendi, quod simulatque signo dato inire visum est, recta gymnasium contendunt, et quod aliis ingrediendi, aliis exire signum est: ut uno tempore hos introire, alios exire videas de gymnasio praelectionibus absolutis. Nunquam equidem vacant gymnasia praesentia praeceptorum; cum post absoluta pensa novi recentioresque succedant functis jam officio suo doctoribus mane in tempus usque prandendi, vesperi in occasum usque Solis. At qui praecipuos sunt omnes cujuscunque artis, atque disciplinae flos ipse, decusque Hispaniarum, lumina, et ornamenta sapientiae, principes, et coryphaei terrarum. Nam cum ampliores redditus habeant cathedrae, et ipse numero plures stipendiis grandioribus auctae, fama, ac celebritate praestantiores de cunctis Hispaniarum academiis habeantur: huc ex diversis terrarum partibus, ex nova, veterique Castella, ex Italiae, Lusitaniaeque regnis principes artium, atque disciplinarum concurrunt ambitum cathedram aliquam, simulatque edicta emanarunt in publicum, et ad alienigenarum sedes perlata fuerunt primariae vacuitatis. Neque vero necesse est a nobis nominari plurimos. Satis omnes cognitionis habet, plusquam ego pauculis meis verbis afferre potuero. Conimbrica, Pinelli, Acoetae, Hectores Roderici, et alii principes maximi, clarissimi que Iurisprudentiae Salmanticae advenerunt. De theologis vero quis nesciat florem Dominicanorum in hac academia viguisse semper, dominatumque fuisse? Atque de horum religiosissimorum, sapientissimorumque patrum ordine versantes in aliis academiis optimos, quosque, sapientissimosque magistros in cathedrae primariae vacuitate Salmanticam evocatos obtinuisse cathedram, annosque multos ante moderatos. Fuit hoc proprium Salmanticensis academiae longe a finibus suis positos, in alienis academiis versantes doctissimos, litteratissimosque homines ad res agendas litterarias, et ad praceptorum obe-

un-

unda munera evocare: neque solum cathedra possessore vacua, sed stipendiis dum vacuitas alicujus adesset, maximis oblati, uberrimoque quaestu constituto. Quae res omnibus injicit cupiditate academiae tantae, et alicujus in ea cathedrae adipiscendae majoris. In cujus vacuitate primū edicta exeit in vulgus, et pro valvis gymnasiolorum affiguntur signo consignata academiae ad vim, et auctoritatem publicarum obtinendam tabularum. Atque ipse secretarius illius facultatis, disciplinaeque classis indicto silentio, quod etiam fieri jussit praceptor id temporis praelegens, ut ille pedem intulit in gymnasium, denuntiat, et edicit vacuitate cathedrae ab illo die per mensem unum: ut illo temporis spatium, quicumque velit de cathedra decertare, nomen suum apud rectorem, et consiliarios edat. Saepē tempus prorogari solet, dum expectantur exquisiti de aliqua academia praecipuos, dum doctorum, et rectoris praesertim accersitu evocantur, dum per alios nomen dederunt, et illi sunt in itinere, neque temporis, aut viarum difficultatibus properare potuerunt, ut adessent mature. Sed ecce tempus praelectionum venit, et adest illa dies, cum praelectionibus decertationum initiū daturi sunt candidati, et singulis dies datur, et designatur fortitione materia praelegendi pro antiquitate sua quattuor et viginti horarum spatio expedienda, proferendaque in publicum in gymnasium maximo, quod ad has concertationes locum habet amplissimum hoc plane theatro augustissimo, doctissimorumque hominum, suffragatorumque concursu. Absoluta praelectione unusquisque de suis studiis, de spatio temporis in illa facultate posito, de periculis ingenii factis, de rationibus ad appetendam, de poscendamque cathedram suffragatores docet. Nemo quidem est tam desertus, qui non sui studiosos scholasticos, et amicos non aliquos habeat, per quos deducatur in gymnasium, et domū reducatur. Vbi vero inter duos discrimen est, et decertatio potissimum, ut unum, aut alterum certum sit cathedram de-

Lil latu-

laturum esse, magnus est, et numerosus comitat⁹ utriusque; plausu maximo deduct⁹ in scholas collocatur in cathedra, descendentem, non minore studio, et grata admurmuratione acclamari solet, mediisque interjectus reducitur secundissimis domum clamoribus. Reliqui de praestantiore loco tenendo, de praeuendo cum suffragiorum bono numero, de non manendo in extremis, de consistendo minimum interitiis laborant atque desudant: ut ad reliquas contentiones, ad primae cathedrae decertationem aditum sibi patefaciant, et faciant gradum illustrem: quem in proxime consequuta candidati praedicant, quam maxima voce, et quasi jus suum dicunt, atque confirmant; ut de proxime praeterito recordati loco scholastici suffragia ferant; atque adeo eidem faveant, cathedramque deferant.

SUFFRAGATIONES.



Circum autem auctoris praesentationes candidatorum, suffragationes scholasticorum, delationem cathedrae. In officiis praestandis scitote illis temporibus nihil submissius competitoribus esse. Sic se ad minimum quenque submittere, demittere corpus, aperire caput, genu leviter flectere, et longo ante intervallo, cum praevidere non potuit scholasticus, antevertere suffragatores cunctos, pueros etiam, et paulatim ad eos accedere, illis dedere sese, deferre studium, operam; atque diligentiam, devovere animum inserviendi cupidissimum, subridere semper, et os, et vultum laetum ostendere, multa dicere de spe, quam in virtute, in iustitia sua habeant, laudare tanquam bonos, et integros, et a muneribus incorruptos, amantes iustitiae, quibus nihil opus est multa verba facere, dicere, hoc se facere consuetudinis potius, quam non fidentiae causa, denique praesentare competitors, non fucos, neque fallacias, ambulationum aliquarum sermo-

ne

ne omnia exhaurire, quae dicere habeant necesse, quaeque commendare pro iustitia in praesenti suffragatione servanda, omni officiorum genere prosequi, et in palatium usque comitari suffragatorum, dimittere suppliciter, atque demisse, aperto, demissoque capite, prono pectore, et utroque genu leviter flexo, magno cum pedum crepitu, quos trahunt, retrahuntque demittendo se, retroque cedendo: ut ipso in pavimento relinquunt vestigia officiorum, et pulveris non parum excitati, semper intuendo oculis illis, cum benevolis, et laetis, tum in scholasticos coniectis, atque defixis, et plane operam deposcentibus, atque misericordiam humili supplicique obsecratione. Hos convenire candidati, aliis salutem dicere plurimam, aliis longo intervallo caput aperire, concedere locum omnibus, cum his consistere, cum aliis deambulare, dimittere singulos, retinere magis suspectos, injicere manum pallio, orare, supplicare, illorum meminisse velint. Cum a suffragando scholastici exeunt, subridere, ore, gestuque ipso gratificari, si quid dictum audiunt, aut factum a suffragatoribus, leniter, vel multum arridere, ut se res dederint, ut tempus, ut persona, versare mentem, et ingenium ad omne caliditatis artificium, multa affingere, non pauciora simulare. Procuratores cujuscunque candidati agere partes demandatas, illos alloquendo, suspectos alios refutando, coarguendoque suffragatores inconsiderantiae, levitatis, fallaciae, falsitatis, corruptelarum. Nec enim mirum est in tanta multitudine reperiri quenquam, qui minus recte, quam licebat, officium faceret. Modus suffragandi est is, qui sequitur. Cum tot scholastici in palatium ingrediantur, quot capere possint subsellia disposita, conclusis foribus, praesente rectore, consiliariisque recitantur a secretario de scripto academiae decreta, sanctionesque ad suffragia recte, et a religione ferenda: ut qui sint idonei suffragatores, qui suffragatione prohibeantur, omnibus notum sit, et exploratum: nemo autem suffragetur, nisi qui iustam, et debitam suffragationem legibus, et sanctionibus academiae pro-

batā habuerit. Eo vero sūt suffragia praestātiora, quo majore cursuū (sic vulgo appellantur) numero, et alicujus praestātia grad' excelluerint. Atque haec avidius appetitur in suffragatione, et in suffragiorum exploratione spectantur maxime ad cathedrae delationem: propterea quod non ex ratione solum suffragiorum, sed ex numero cursuum, et graduum, delationem cathedrae spectandam, metiendamque conditores decretis academiae sanxerunt: ut cum praestātia, et excellentia maxima detulisse cathedram is praediceatur, qui cursu, graduque plurimo praestiterit suffragatorū: quamquā a tergo relinqueretur numero suffragiorū. Quod suffragatores magis probati, praestatesque, qui melius de re litteraria aestimare possint, judicium fecerint integrum et incorruptum: et reliquos ad hos comparatos, vulgus boni aestimatores appellant, hos florem, decusque facultatis. Sed edicto recitato jurati suffragatores de manibus consiliariorum papyros parvulas accipiunt, et in illis nomina cādidatorum inscripta, suis cursibus, et gradibus notata, compunctaque, et occulte taciteque, quā voluerint, eam deligunt, et complicant a caeteris disjunctam, et inspectate rectore, consiliariisque, nequa fraus, aut fallacia possit esse, in urnā dextram injiciunt, in alterā improbatas, rejectasque papyros. Durare solet tempus suffragationis propter multitudinem scholasticorum triduum, aut quadriduum. Id temporis in qua expectatione? in quo metu sunt candidati? deducuntur, reducunturque mane, vesperique magno comitatu, et ut spes est deferendae cathedrae, omnium maxime, honorificentissimeque comitati, praecuntibus, et subsequētibus ipsorum studiosis scholasticis, praecipueque suffragatoribus notissimis, amicis et familiaribus, et aliis diversi ordinis, et classis corrogatis auditoribus, et jam jam ante cathedram delatam, victoriam nonnunquam inclamantibus.

(?)

DE

DELATA CATHEDRA.

CVM jam suffragandi finis factus est, et candidati domū revertuntur, ad suffragationem non amplius redituri cum scholasticis, et de cathedra deferenda nulla anceps cōtentio, neque controversia, nisi inter duos videtur esse, reliquis quamquam candidatis locorum magis, quam assequēdae cathedrae obscura spe, et expectatione pēdentibus; nō utriusque partis fautores gaudio laetitiaque efferuntur? nō domi conditam cathedram putant? dum sibi ipsis gratulari posse confidunt, dum ex numero comitantium suffragatorum felicem exitum cōjiciunt, dum sua cum alterius cōpetitoris suffragiis conferunt. Quoniam fit fere semper, ut aliquid affingamus in rebus laetis, quo faciam' id, quod volumus, laetius hi, fingunt abesse comitatu plurimos, qui sibi suffragati fuerint, aut propter auctoritatē, aut propter officii simulationem: quod illos adversario satisfacere debere dicunt. Sponsiones multae fiunt de cathedrae delatione, de suffragiorum numero. Dum educuntur extrahunturque calculi, dum suffragia explorantur a rectore, consiliariisque, dum cursus, gradusque numerantur, dum utraque conferuntur ad calculū, quae in peristylio expectatio? quāta observatio? qui sermones ultro, citroque habentur? quae minima temporis puncta numerantur? quam oculi multorum in fenestram intenti, ut simulatque aliquid de loco superiore significaverint speculatores, atque innuere visi fuerint, accurrant, et advolent denuntiatum victoriam adeptam cādidato victori? Qui in peristylio sunt, et expectāt significationem, nutum, vel gestum indicem victoriae consequutae, vix minima significatione, nutuque prospecto inclamare victoriam, praedicare cathedraticum, suo cōpellare nomine, terga vertere, currere, et advolare domum victoris, illū, qui sunt ejusdem partis, protinus consequi studiosi, fautoresque


LII 3,

resque

resque, et adversariis stupentibus, et attonitis, et in peristyl-
lio manentibus, per vias, per loca celebriora cursu non desi-
stere, neque clamoribus abstinere in aedes usque victoris. In
quas cum hi se injecerunt intruseruntque, caedere januas pug-
nis, pulsare vestibibus, et dissonis, et horrendis complere cla-
moribus, perstreperere, tumultuari, inclamare victoriam, cathedram
praedicare suam, et cum numero, praestantiaque suf-
fragiorum: candidatus continere se cubiculo, nolle aperire
januam, magis claudere, et pessulum foribus obdere: donec
famulus adest rectoris, vel bidelus cum testimonio cathedrae
delatae. Cum vix longe prospicitur, clamores majores
tollere scholastici, vociferari vehementius, magis tumultuari,
et tota perstreperere domo, obvia quaeque manibus caedere,
et festinantius, vehementiusque pulsare, sumere palmas in
manus, lauros, olivas tollere in sublime, motitare, agitare, ef-
ferre, demittereque cōfestim: alii praecire, alii sublequi cur-
rendo, saltandoque, ingeminare, iterareque voces, saepius
praedicare victoriam, caedere palmis, inclamare, nolentem,
et in itinere tabernas institorias pulsare, evertere, dissipare
fructus venales, sursum, deorsumque cursitare, sublatum hu-
meris novum comportare cathedraticum, et tunica amictum
talari, soluta, fluentique, sine pileo, lauro coronatum, et ja-
ctatum crebro quassu corporis. Atque ex his nonnulli ma-
gis amici, familiares, et intimi, de patrio solo, cōductis equis
cursus facere, jactare sese, et equites scholas ingredi, qua por-
ta datur facilis ingressus, et egressus, circumire columnas, pu-
teum, fores gymnasiolorum obire saepe, saepiusque currendo
in sanorum similes, et sui prope impotes. Sic deportatur vi-
ctor, et in gymnasium summo gaudio, maximoque plausu
illatus tanquam in currum, effertur in cathedram: in qua res-
pirans aliquantulum (vix enim ducit, et trahit spiritum prae-
anhelitu, praecque sudore maximo) cathedrae possessionem
accipit. Eisdem clamoribus, incitato cursu, illeperitu, tumultu-
que maximo, diverso, vel eodem itinere sublatum in hūme-
ros

ros, domum idem reportatur: atque scholastici se cōparant ad
lustrationem splendidam, et illustrem in diem posterum a-
dornandam. Hac primaria cathedra reportata alias va-
care videas plurimas, atque diversas: nam cum hic vesper-
tinam cathedram obtinisset, in primariam proVectus, suam
relinquit vacantem: ad quam dum alii nituntur ascendere,
et hi plerumque ascendunt, qui proximas huic tenuerunt,
alii praecoccupatis vacare alias, et sic novarum semper va-
cuitatem esse, necessarium est: quas suffragiis scholastici de-
ferant praestantibus, et nobilitatis de academia competitio-
ribus.

GRADVS, ET HONORES litterarii.

 Voniam has cathedras nisi laurea aliqua de-
corati petere non possunt, tria in Salmanti-
censi academia cujuscunque facultatis alum-
nis honorum insignia deferuntur, bacchalau-
rei, licentiati, magistrique Dialecticae, Philo-
sophiae, sacraeque Theologiae militibus: sed Juris Ponti-
ficii, Caesareique cultoribus, pro magistrorum laurea fieri
debet doctoris accessio. Triennio curriculum Dialecticae, Phi-
losophiaeque, quadriennio sacrae Theologiae, quinquennio
Legum, atque sacrorum Canonum ad primum bacchalau-
rei honorem, quo aditus, et primus gradus fit illustris ad cae-
teros omnium artium, atque disciplinarum honores, et in-
signia capiunda, cōficitur. Si quis licentiae laurea decoratus
est in sacra Theologia, vel in Iurisperitia, biennium post cōfe-
cta studiorum curricula praeterire debet: quod datur his do-
ctrinis, disciplinisque recolendis, interque parietes domesti-
cos assidua cura, incredibilique labore repetendis. Cum au-
tem ad licentiae gradum theologus aspirat, multas de totius fere
Theologiae misteriis theses in eodem gymnasio tuetur do-
ctore gravissimo, sapientissimoque sacrae Theologiae praeside.

re, in eodem augusto, celebrique tantae disciplinae gymnasio. Atque disputationes huiusmodi consequitur relectio quaedam in praelectionis modum: sed non de suggesto more praelegantium, de subtili aliqua, recôditaque divinae doctrinae quaestione. Postquam pervenitur ad examinis oculi periculû subeundû, in hoc faciêdo quattuor et viginti horarum spatio praelectionem a decano, doctoribusque designatam, doctoribus ipsis dumtaxat praesentibus occulte praelegendam licentiatus accipit: atque absoluta praelectione argumenta maxima, acerrimaque ponuntur in licentiatum, quae ingenii sui acumine diluere debet, atque dissolvere, si vult omnium doctorum calculos summa cû approbatione deferre. In Iure Pôtificio, Caesareoque, praeter alia pericula ingenii, et in facultate progressionum documenta, quae dare debet exornandus ad licentiae lauream accipiendam, illud est periculosissimum, et ab omnibus valde formidatum; cum quattuor et viginti horarum intervallo responsum aliquod jurisconsulti, vel decretum alicujus Pontificis per sesquihoram in consessu patrum sapientissimorû acute, et ingeniose interpretatur explicans, et enodans decreti, responsi ve difficultatem. Et quidem licentiatus quaestionem multis difficultatibus obstructam, huc, et illuc trahit oppositu vario, multoque decretorû, et legum difficillimarum, quibus auget difficultatê quaestionis propositae, et ad veritatem ex tenebris, et latebris eruendam, doctorum et recentiorum, et antiquorum opiniones in medium profert, ad objecta respondet summa cum perspicuitate, et cõformatione Iuris utriusque: ut ex ipsis jurisconsultorum, et Pontificum praescriptionibus responsa largiatur, tenebras disjiciat, lucem afferat, et quod effici debeat, et intelligi cõcludens, id multis rationibus, legibus, et sanctionibus regis confirmet: ut nemini dubitationis locum relinquat. Inde progressus idem facit ad variam, multiplicemque legum intelligentiam, quibus lites diremtae, sublatae quaestiones, la-

tae multae sententiae in Regis Praetoriis: atque haec tanta cum memoria, ingenii acumine, celeritate summa, ostentatione progressionum in facultate maximarû, ut jurisconsultum agere videatur, sesquihoram eximia doctorû voluptate explendo. Id quod comprobatio consentiens sine ulla discrepantia suffragiorum testata fuit. Quo de examine propter summam doctissimorum patrum sapientiam, et in legibus explicandis usum, et notitiam in intelligendo Iure illustrem, et insignem, non dicam quidquam amplius, quam quod summa cum academiae tantae celebritate pervenit ad omnium fere mortalium aures, et in orbem terrarû universum sparsum fuit, atque constanti sermone verissime dissipatum: ex doctissimis hominibus, qui nō ingredi in Beatae Barbarae sacellum reformidet ad periculum huiusmodi subeundum, et totis artibus atque membris nō contemiscat, esse neminem. Sic tonare visi sunt, atque fulgurare jaciedis, retorquendi quae argumentorû telis. Tot sunt Vlpiani, tot Sulpiti, tot Africani, tot denique Papiniani, quot praesentes urgere conantur, atque premere laurea licentiati decorandum: ut non casu aliquo, qui rebus popularibus dominari solet, sed divino quasi consilio Beatae Barbarae sacellum, qui locus huiusmodi litterariis actionibus praestitutus est, nunc dictum fuisse videamus: cuius in discessu felicissimotonuisse caelum horredo, quidam strepitu, et fragore quasi ruentis aetheris non ignoramus. Itaque qui huc exurus sit, qui in sacellum Beatae Barbarae ingressus, se ipsum novaverit prius: sciat viros doctissimos, sapientissimosque jurisconsultos esse, qui illum excussuri sunt, et scientiam in Iure civili comparatam suis ponderibus examinaturi: ne postea, si quod Deus malum avertat, non probatus hiscedo storibus, et litterae alicujus, R. notis inustus, compunctusque des sacello decesserit, in patres justitiae amantes, sed in ipsius inscientiam, culpam omnem conferat, qui tanta loci maiestate indignus, et viribus examinis inferior provinciae

tam arduam, atque difficilem aggredi ausus fuerit. In quo jure servando faciunt, decernuntque patres isti sapientissimi ex academiae honore, et sanctionibus honorificentissimis: quibus id datum est honoris, et laudis Salmanticensis academiae laureis, et insignibus, ut reliquarum academiarum licentiatis, et doctoribus, qui fuerint de tanta academia, praeferrantur. Quare mirari desinamus, si Salmanticensis licentiati, doctoresque tantum in orbe terrarum honore, et gloriam consequatur: quique huic senatui probati fuerint, omnibus se probatos esse merito semper, atque optimo jure sperare debent: cum ad illum gradum tantis laboribus, tanta sapientiae magnitudine, tanto honoris discrimine ascenderit. Restat ultimus, et omnium praestantissimus doctoris honos deferendus. Is deferitur in templo maximo, in sacello magnificentissime ornato, tabulato in altitudinem maximam excitato, ut in oculis, et ore mortalium accipiatur magno confessu sapientissimorum patrum, suis insignibus versicoloribus tantam, et tam honorificam actionem decorante litterariam. Qui quoniam cum ipsa lustratione Complutensi ex omni parte mirifice congruit, de utraque re qui plura scire voluerit, academiae Complutensis exercitationem praelegit. Ego ad collegia properans festinansque transeo.

DE COLLEGIIS SALMANTICENSIBVS.

AD memoriam laudum Salmantensium, et ad academiae nobilitatem illustrandam plurima collegia aedificata fuerunt; ex quibus non minus, quam ex superioribus ornamentis, illustrissimum istud Minervae Christianae domicilium nobilitatur: ut qui praedicationem, nobilitatemque collegiorum praeterierit, injuriam maximam academiae Salmanticensi fecisse videatur. Omnes enim Hispaniarum Pontifices, omnes Proceres nostrorum, qui ubique sunt, regnorum, ad suas opes in hanc academiam conferendas, et in collegiorum multitudinem, magnificentiamque augendam certam contendisse visi sunt. Quis enim ex illustrioribus

His-

Hispaniae Pontificibus, ex maximis, celsissimisque Archiepiscopis ad illustrandam sui nominis amplitudinem, non Salmanticae collegium aedificandum, exstruendumque curavit? Quin et canonici, quique dignitates habebat Ecclesiarum, suas pecunias ad haec litterarum monumenta statuenda incredibili succensi pietate contulerunt. Id quod multitudo, diversitasque collegiorum declarat: quae tot sunt plane, quot sunt dissimilitudines, varietatesque pannorum. Longum esset singula persequi, notiora dumtaxat percurrere. Atque illorum unum est Montis Oliveti, quod non procul a moenibus civitatis disjunctum est, alterum Beatae Magdalенаe, tertium Divi Thomae, quartum Angelorum, quintum Beatae Virginis nomine, et honore affectum, sextum ab Archiepiscopo Hispalensi Valdesio conditum: et ut alia praeteream, quae cunctis multo notiora sunt, quam mihi, qui de collegiis ago; quis trilinguium obsecro collegium non audivit? Inter omnia tenent principatum quattuor ab antiquitate nuncupata maxima: quorum, quemadmodum reliquorum, collegae suis insignibus notatissimi dijudicantur, et internoscuntur. Cum omnes togas talares, atque conclusas gerant, tum longioribus focalibus ab utroque humero decidentibus spirarum rotunditate venustissima ab una parte terminatis collegae decorantur. Tria collegia maxima a Metropoli cujusque Pontificatus nomen trahunt, unum Ovetense, ab urbe Oveti, quae civitas est in Asturibus amplissima, et sedes Pontificis illius dioeceseos, cujus Episcopus, illud collegium condidit, appellatum: alterum Conchense dictum est a civitate Concha, cujus praefectus conditor et fundator fuit illius collegii: tertium ab Archiepiscopo Toletano identidem conditore illustri, et insigni, nomen accepit: ultimum propter vetustatem, et antiquitatem suam vetus communiter appellatur. Cochenses collegae ferrugineo colore togam, focaliaque gerunt: quemadmodum Bartholomaei fulcas vestes, focaliaque. Obetenses, et Toletani vestem fulcam, hi tamen focale

M m m z par-

purpureū, illi cyaneū ostēdūt: reliquorū alumni collegiorū, praeter Mōtis Oliveti collegas, qui nigrū utrūque insigne, et Archiepiscopi Hispalēsis, qui viride corpore, et humeris suis portant, habitū fuscū induti fœciliū varietate, dissimilitudineque distinguuntur: quae persequi nō est necesse, cum in tantam multitudinem collegia excreverint, ut vix color repeririatur, quo a caeteris collegae possint inter nosci: si novum aliquod decursu temporis condendum fundandumque sit. Sed vos si placet considerate ornatum, et splendorem, quem aspicere possunt ingrediētes in scholas, et in tantam diversitatem differentiamque collegiarum incurrentes: qui cum ipso aspectu, et vestitus dignitate gravitatem habeant, et amplitudinem maximam, videre tamen est omnium maxime quattuor, maximorumque florem collegiorū, qui cum licentiati jam, aut magistri sint, et multi de cathedris deferendis contendant, et ad sacerdotia maxima, ad dignitates Ecclesiae, ad Regia aspirēt Cōsilia, et hi multis academiae litteratis hominibus praestent: sunt equidem decora et lumina Hispaniarum: neque ulla pars est terrarum, quā non illi multitudine sua compleverint. Verte quae solet ipsum ad cathedras Salmanticenses; quot istorum splendore collegiarum illae decorantur? et aures scholasticorum vocibus eorundem personant vel Dialecticae, vel Philosophiae, vel Iuris Pontificii, aut Caesarei arcana recondita patefaciētium? Lustra mentis oculis Ecclesias Hispaniarum, illarum subsellia hujusmodi collegiarum dignitate, suam egregiam amplitudinem ostendunt. Consilia Quaesitorum haereticae pravitatis, Praetoria Regum, atque summi praepotentis Regii Senatus sedes cellissimae, his praecipue patribus litteris, et virtute conspicuis, tanquam clarissimis distincta luminibus illustrantur. Atque cū Praefecturas Ecclesiae, Pontificatusque illustriores plerosque percurrerimus, nō eos tantorum hominum sapientia, claritateque lucem accepisse videbim⁹, et omni tempore locis omnibus diffundere clarissimā? Neque

que vero in Hispania, neque in Indiis solum, non in diuisionibus, imperiisque dumtaxat nostris, sed in quacunque ora regioneque terrarum dominari de collegiis hujusmodi delectos, exquisitosque doctores, et in principe terrarum urbe Roma, vel praesidentes summo gentium, ac nationū omnium Consilio, vel cum purpura, pileoque proximā a Vicario Iesu Christi dignitatem habere roperiemus. Nusquam illi Torcorum non sunt, nusquam non regnant, ubique dominantur, atque florēt cum imperio, summaque dignitate. Atque mihi quidem collegia videntur hujusmodi praesidia, propugnaculaque terrarum tutissima, firmissimaque: unde collegae subsidio veniant, et sint omni tēpore rebus Christianae Reipublicae, neque saeculi solum, sed Ecclesiae dignitates, et honores eximios, illustresque gerentes.

DE RECTORE, ET CONSILIARIIS.



Itantus, et tam illustris ornatus, tanta academiae amplitudo conservatur, et capit in dies majora gloriae, et honoris incrementa rectoris, et consiliariorum annuo magistratu. Rector nūquam deligitur nisi nobili genere natus, et fumosis majorum imaginibus insignis, qui plerumque filius Comitum alicujus, Marchionis, Ducis, et Procerū Hispaniae clarissimorum solet esse. Hunc facile est deligit tanto generis splendore clarum; propterea quod filii hujusmodi Principum, atque nobilitatis Hispanae, in hanc academiam Iurisperitiae studium, et operam navatum cōfluant, et hanc dignitatem consequi, praesse universae academiae, summum quisque ducat honorē, et ad honores consequendos alios, et ad generis sui nobilitatem claram illustremque diffundendam. Cujus partes sunt academiae gubernandae; deferendae cujuscunque cathedrae, summi juris in scholasticos, in praecipuos, in doctores habendi; cogendi etiam

doctorum, magistrorumque Senat^o ad deliberationes rerū, quae de academia haberi debent, denique obeundae classis, lustrandique cujuscunque gymnasii, quaerendi de praeceptorum praelectionibus, de studio, de diligentia consueta. Quin hoc tempore ille moderator est, et gubernator totius academiae: cui obtemperandi ineunte anno, simulatque delectus est, scholastici, patresque supra nominati pulcherrimū dant, et sanctissimum jusiurandum. Atque hoc rector bis honore afficitur ab academiae scholasticis, et alumnis omnibus, Senatuque florentissimo: ut omnes illum vesperi pridie feriarū Beati Martini, et mane quoque eidem die sacro, officii, et honoris causa, iterum feriis Beatae Caterinae dicatis domo in scholas usque deducant, reducantque comitantes vespertinis precib⁹, et absoluto sacro. Videre est scholasticos praecūtes omnes, binos, ternos ve, summos, medios, et infimos, cum sui generis, et ordinis aequalibus progredientes, togis omnes talaribus indutos, praeter servos, et famulos, qui brevioribus palliis amicti heros consequuntur. Cunctos igitur videbis longioribus amictos vestibus, splendidos atque nitentes, summa pompa, gradibus fere numeratis in incessu, et ad omnem gravitatem ore cōposito, et longissimo agmine in duos ordines distributos, atque adeo longo, ut a rectoris aedibus, cū illae longissimo intervallo distent, et in ultima fere semper de industria civitate constructae conducantur, in scholas usque agmen perpetuum videatur. Cernes sequi collegas in habitu versicolore conspicuos, licentiatos, magistrōs, denique, doctores ipsos proximōs anteire rectori cū flore nobilitatis Salmanticensis permixtos, ipsum vero rectorem medium inter decanū, et antiquiorem doctorem interjectum, tanta cū auctoritate, tanta cum gravitate procedentem, ut Episcopi in illo maxime dignitatem, et amplitudinem se dicant omnes intueri. Hic ego quid dicam strepitum viarum, quacunq̄ tanta multitudo praeterit, et tātus, et tam innumerabilis comitat⁹ progre-

greditur? quid commemorem florem, et decus omnis ordinis, et fortunae scholasticorum? quid proferā filios multorū de familiis clarissimis Procerum et Magnatum Hispaniarū? quid ostendam tam insignem collegarum praestantiam, et amplitudinem diversis colorum insignibus distinctam, et illustratam? quid proferam tot licentiatorū apices et insignia? quid referam decora, et ornamenta academiae, magistrōs, et doctores omnes doctrina, sapientiaque praestantissimos? quid effusiones oppidanorum ad spectandū? quid rectorem spectari? quid indicari digitis? quid praecire clavarios duos cum clavis argenteis? quid consequi famulos, ad ministrōsque multos? quid quacunq̄ procedebat, illū officii omnibus genus hominum prosequi? plaudi rectori tāto, tamque praestanti, honorem omnē tribui? nominari denique rectorem academiae Salmanticensis quantum habet laudis in homine? Magna est rectoris species, magn⁹ honos, magna dignitas, neque ulla in academiis rectoris moderatione major fuisset delata Salmanticensi, si quem admodum rerum, quas praediximus potestatem habet, jus etiam haberet comprehensionis, et animadversionis in scholasticos: sed hujusce jurisdictionis causa praefectus scholarum est. Is iudicem habet, qui iudicia scholasticorum exerceat: qui tāta est auctoritate praeditus, quanta decet academiā toto terrarum orbe florentissimā. Ille gerit dignitatem scholae magistri clarissimā in Ecclesia Salmanticensi: a qua suō munere praecclare functus Potificiam fere semper expectat accipiendam.

DE SPLENDORE SCHOLASTICORUM.




T. quidem si nihil eorum, quae praediximus, nostris oculis cerneremus, sed florem dumtaxat scholasticorum, et splendorem insignē, et

illustrem, id satis esset ad ample magnificeque de Salmanticensi academia praedicandum: quos cum intueris, humanos, politos, urbanos, totos aulicos posses appellare. Tantus est in corpore splendor, tanta in domestico victu praestantia, in comitatu famulorum a tergo sequentium numerus, in verbis, et in omni sermone elegantia, in congressu communi officiorum omnium conformatio, et mira semper accuratio. Nam vestitus quamquam honestus, adeo tamen splendidus est, quia fere semper recens: adeo gravis, quia talaris, et ad nostrorum speciem clericorum: adeo magni pretii et aestimationis, quia ex praestantiore, et magis tenui panno: adeo compositus, et ex omni parte conveniens, ut nulla non ex parte aequabiliter cadat. Atque illi cum sint adolescentes, et multi apta membrorum conformatione, oris spectata dignitate, sui ipsius corporis non negligentes, egregiam habent speciem, et aspectum illustrem: ut in omnibus filiorum plane locupletissimorum, in Ducum, aut Magnatum sobolem arbitreris te intueri. Ita incedunt omnes, qui non in famulatu sunt, tunicis, et epitogiis talaribus induti, praecincti serica zona, lateque explicata, et a fronte nodo eleganter costricta, pileis capitibus venuste satis impositis ad usum, quem temporum varietas tulit. Quacunq; progrediuntur, illos ad minimum bini famuli consequuntur, multos terni, quaterni, et non paucos copiosis, ac bene nummatis parentibus, natos, quique in filiorum ostentationem ad omnes sumtus largi sunt, et effusi, famulorum greges maximi. Quid quod extremi isti mula vehuntur, et quidem anteambulonibus semper praeuntibus, et a tergo multo puerorum comitatu sequente: domibus autem ipsis, vivunt ad locupletum et benenummatorum morem: qui vero moderatissime, hunc sibi praefinierunt modum, rationemque vescendi: ut nunquam fructus temporis illius pro primis mensis, neque esca cuius iure bene condito, atque aliquid, quod prandium absolvat, ab usitatis mensis abesse debeat, praeter extraordinarias car-

nes assas haedinas ad minimum, vel venatione captas, delicatas, atque suaviores, quae carnibus coctis, et petasone colla absolutam, atque perfectam plerunq; praecedere debent. Dum autem scholastici Salmantenses prandere, dum coenare solent, astare famuli, puerique tunicati, capitibus apertis ministrare, inferre escas, expedire patinas omni munditia, elegantiaque politiore cernuntur. Quod factum facile est scholasticis Salmantensibus, qui divites dumtaxat, et qui facere sumptus hos possunt, ad litterarum studia ex diversis terrarum partibus confluunt. Qui faciendis sumptibus non sunt, famulantur. Ita autem illi domos conducunt, quas bini, terni, et plurimi sine comitatu incolunt: nam Salmanticae de decori semper fuit, quoniam cubiculum ad habitationem annuam conducere: neque haec in academia contubernia, quae sunt in aliis honorifica, aestimantur. Ita vivunt, ut omnes sui juris esse videantur, et domos habeant conductas ad suam, et suorum habitationem famulorum. Dum ipsi domi sunt, togas addunt tunicis talaribus, aut apertas, aut ex omni parte conclusas, et multis condylis sericis earum manicas, et oras in circuitu distinguunt, collaria interiora gaulapino eleganter exornant, et a summo leviter revocant per circuitum ad speciem, et aspectum illustriorem. His amicti pro foribus esse, lustrare viciniam, domos adire proximas amicorum, rusticari solent, et subdicio esse partem noctis aliquam, verno, et aestivo tempore. Atque cum hoc scholastici ornatu sint, cum tam splendido videantur more vivere, vitam agunt scholasticorum propriam, et laborum, atque difficultatum plenissimam: qui totos dies, mane, vespereque, praelectionibus audiendis ponunt. Nocte qui minus diligentes sunt, eidem relegendis tres horas continuas a sextam in nonam usque consumunt: qui diligentes habentur, et nomine scholasticorum adepti sunt, post tres horas ante coenam litteris tributas, coenati duas, vel sesquihoram nocturnis studiis addunt: neque cubitum eunt, nisi matutinarum pre-

cum signo, quod noctis hora duodecima dari solet, audito. Tantum autem studium in litteris, et diligentia adhibetur, ut diebus festis res litterarias inter se conferant, juriscōsultorum responsis, Pontificumque decretis explanādis dent operam domibus ipsis, intra domesticos parietes invitatione scholasticorum: qui mutuo se ipsos ad hujusmodi litterarias exercitationes invitare solent. Ita viri evadunt doctissimi. De quibus plura non dicam contentus communibus, et usitatis scholasticorum jocationibus: quas quoniam inter illos communes esse video, nō praetereundas fuisse silentio judicavi.

IOICATIONES SCHOLASTICORUM.

 VI Salmanticae fugere joca veteranorum volunt, ludosque passim tyronibus factos, in eo dant operam, ut ab horologio, ab arietibus, quos praediximus in peristylii descriptione, oculos avertant, remque hanc ab amicis praemoniti omnium maxime caveant: ne in manus veteranorum incidant, qui illos peccant, et orrent, et ex ore suo, et ex vestitu nobilitent. Omnia tamen joco, interdumque ludo aguntur, nisi fuerint tyrones illi, qui jocorum, ludorumque hujusmodi insciantes irasci coeperint: id enim temporis malo suo irascuntur: nam deterius tractantur, et vexati, concisique dimittuntur ovibus, et agnis facti mansuetiores: qui mallent in jocum, ludumque convertisse facta, dictaque ludicra veteranorum. Ecce enim cum veterani longe dijudicent ex verbis, aut ex factis, saepe ex vestitu recentiore tyrones, circumstant illos dicaces, et elegantes scholastici, et inducunt sermonem urbanum, et venustum, nullo saepe jocandi genere pro-

profuso, et immodesto: atque ita faceti incipiunt esse, ut dicant unum, et alterum, et plurima etiam dicta, omnia falsa, lepidaque. Arridere, qui praesentes sunt, falsum aliquid, et facetum dicenti in os, in faciem, in vestitum; rogare primo de adventu patriae, laudare vestitum, dicere pulcrum, et cū corpore congruentem: sed mirari inscientiam sartoris, qui tam male sarferit. Hui dicere alter, non videri Salmanticae confectum, si suum sequeretur consilium, emendatum sartoris errorem. Atque alter addit, habeo notum sartorem, qui melius conficiat. Huic tertius continuo. Tunc illum videri posse veteranum, qui nunc recens venisset, et esset in academia tyro. Subridere interea praesentes, et irrideri magis tyrones, sed facetius, cum ad subuculae collare perventum est, et de bonitate, de praestantia collaris tyronem veterani rogant, et de auctore tanti collaris, tam bene confecti, et acu tam mirabiliter elaborati. Quis acu puncta punxerit? quis in illo elaboraverit? materne? an sorores? ecce inopinantem ab utroque latere attingere scholasticus unus, et alter, collare paulatim subducere, unus ab una, alter ab altera parte cōponere, tyro sese referre suum in locum, orare urbanus gerant sese, neque ludos illos urbanos, non ingenuos: adesse alius, pileum detrahere de capite, purgare manibus, saliva leviter spargere, alius veterano tollere de manibus, et quasi subirascens in capite reponere: et quoniam pileus cornua quattuor habet, appetere unumquodque cornu singuli, agitare manibus, versare pileum in diversas partes, atque unus, qui majore est audacia in frōte demittere paulatim, ac denique in aures usque deprimere, ut miserandi tyronis oculum utrunque teget, atque occuleret. Quid ille? non audere se commovere, orare potius, aliquid facete, et commode potius dicerent, atque manibus, quae contumeliosae sunt, et infestae, abstinerent: nisi satis jam, satis illum pro ridiculo, ac delectamento habitum esse constaret. Interponitur id tē-

poris faceta, et elegans ab aliquo ironia, eadem per jocos tyronis repetita, iterataque supplicatione. Miseremini, miseremini jam tyronis, qui plorare vult. En ut oboriuntur lacrymae misello: occurramus cum strophio, subveniamus afflicto (unus id temporis se offert ad abstergendas lacrymas) mittamus jam tandem, missum faciamus. Si est, qui perferre non vult jocos, neque ludum, hunc urgere magis, premere plurimis modis, primo tyronem dicere, appellare suo nomine, et in rusticanorum morem, et ori digito admoto silentium indicere, ni vult tyro malum asciscere. Calere ludis, jocique magis, deludi jam apertius, et fortasse contumeliose: continuo significatione una, nutuque minimo, coire scholastici veterani plures, amplius quinquaginta, aut sexaginta amici, efficere circulos usitatos, in orbem includi tyro, ille cupere exitum reperire, manibus propelli ab omnibus, in medium retrudi orbem, praecludere veterani locum omnem, et ne qua facere perruptionem possit comprimere, cōstringereque sese circulares, sibilis deinde proficendere, confectari quoque, mirandum in modum per peristylum, per porticus, in gymnasio, ubicunque locorum fuerit, agitare, vexare. Cum magis offirmatum, cum pertinacē vident, sputis operire plurimis, et albenti nive candidiorem relinquere: cum longe prospicitur multo ante quā accedat, excreare vi magna, et contentione adhibita, sonitu, crepituque vehementi, ut intestina velle evellere veterani videntur: et quidquid purulenti potuerint, in miserum projicere tyronem. Atque hae praecipuae sunt jocationes, illusionesque scholasticorum in peristylis, in porticibus. At in gymnasio, ne praelectio inturbetur, et persentiat praceptor, cum duo veterani coeunt, fingunt aliquid commode, ut ne plane videantur id facere, quod profecto faciunt, hujusce miseri tyronis personae, honori que certatim illudere, ut rogando saepe plurima, quibus distrahant animum in diversa, et a praelectione prorsus abstrahant, ex omni genere

ur-

urbanitatis, facietiarumque leporem aliquem libent: atque alias in re, alias in verbo: quo ponant id, quod volunt, tempus cum tyrone laetius jucundiusque. Colligere igitur veterani duo multa ex tempore, multa dicere ex tyronum natura acute satis, et urbane, rogare de rebus academiae, si jam in scholasticorum catalogum ascriptus, si cū candela, si lyneateus domum adiit secretarii, percontari, unde, quis ille, cujus rei causa venerit in academiam, quaerere de legibus, de textus interpretatione, de notis. Atque unus a dextra, alter a sinistra cubito tangere, tyro perturbari, nescire, nec posse excipere, quae dictantur, exarare pessimas litteras, in aequales omnes, efficere distortas lineas, atque atramento respargere papyrus: unus manum tyronis cū penna sumere, et constrictam, atque deviam trahere, distrahere, retrahereque, ut nullas formet ille litteras, deformet vero paginam litteris, atramento, lineis fursum, deorsumque in orbem tractis, et aversis, diversisque, contra voluntatem suam. Quid deinde pileum tangere, versare diversas in partes, in aures usque dejicere, atque saepe commutare in illius recentis locum, sordidatum admodum, et inquinatum, vel veterē, et attritum. Tyronem obmutescere jubere veterani: quod cum pileo antiquitatis jura secum deferat, et praerogativas veteranorum domum. His, et aliis modis miseri tyrones tractantur in academiis illis diebus post suum adventum, multo joco, risu, cachinnatione, atque omni saepe illusionem, nisi allegatores, deprecatoresque adsint veterani: quos, si sapiunt tyrones, patronos adoptare solent: neque unquam nisi istorum comitatu, quasi patrocinio defensi prodeunt foras. Ad quos magis conciliandos tyrones ad prandium invitare domi suae solent aliquot magis amicos, et evocare de vicinia notos. Prandia autem sunt ejusmodi, quae vulgo dantur: ut ad carnes usitatas, perdix pro singulorum honore addatur, deinde gallina saltem cuique dimidia, et leucophagum nunquam omittendum. Atque haec praeter fructus, ad primas,

N. n. n. 3, et.

et ad ultimas mensas usitatos: nisi convenerint inter se, contentique sint veterani invitatione quadam quam suavi, quam liberali, quam fraterna in locum aliquem. Quo cum pervenerint ad coagulatum lac, et liquidum, et pinguia lactis invitantur, et ad fructus alios quoscunque, qui magis grati sint, et appetantur a veteranis. Haec postquam facta sunt, et a tyrone praestita, nihil est quod timeat tyro veteranorum jocationes, illusionesque. Factus enim ab his antiquus, ad antiquorum jura perfruenda vocatur, gradu interdum accepto, litterisque traditis (quas illi vocant patentes) antiquitatis. Cum autem is gradus defertur domibus ipsis, intra privatos parietes, magnum est gaudium, et ingens cunctorum, gestiensque laetitia simulatione eorum, quae in vera doctorum laurea geruntur, fictaque imagine praesentium oculis obversante. Non plura de Salmanticensi academia. Ex his, quae adumbrare potuimus, statum, et imaginem academiae maximae, celeberrimaeque florentem lector agnoscet: ego ad Chronographiam Topographiam absoluta perveniam, postquam Inferorum regiones descripsero: quae cum infra terram sint, illae suo ordine terrarum ambitu res contentas consequentur.

INFERORVM SEDES.



DESCRIPSIMVS quae supra, infraque Lunam sunt, et quae praecipue terrarum ambitu continentur: nunc quae infra terram sunt descripturi, rebus aliis omissis, quas superiorum exercitationum ope facile consequetur Latine agendi studiosus adolescens, Inferorum sedes dumtaxat ostendamus: ut quemadmodum primo libro beatorum praemiis ad vir-

tu-

tutem excitabamur, ita poenis damnatorum a sceleribus, et flagitiis deterreamur. In qua caligine describenda venit in mentem mihi puteus quidam altissimus, in tantam altitudinem depressus, ut ad Inferorum usque fauces, et ad illam caliginosam regionem quam incredibili sua altitudine perveniat. Is vero cum altissimus sit, tenebris circumfundatur crassissimis, et crassioribus omnino, quam illae sunt obscurissimae, quae eruptione ignium aetnaeorum finitimas regiones obscurasse dicuntur. Nam ab hoc puteo fumus quidam crassissimus, et in omnes partes eadem crassitudine se projiciens, atque diffundens, ita tenebris omnia circumfundat, et obscuret loca finitima, ut neque locus, in quo sit puteus, neque ad illum aditus, aut accessus pateat: quibus cum tenebrae noctis, tum cum maxime nubibus, et atra caligine caelum obducitur, sideribus, et Luna prorsus occultatis comparatae speciem obscuritatis solum habeant, re ipsa tenebrae non habeantur. Ad hanc obscuritatem accedat ignis horribilis, ad quem iste nos ter, qui comburit, vastat, et depopulatur omnia, adumbratus quidem appelletur. Atque ille cum vim habeat maximam comburendi, nunquam tamen extinguatur: nec opus sit administris, qui materiam recentem admoveant ad alendum ignem huiusmodi. Cum tanta sit obscuritate, tantisque ignibus infestissimus, afflet idem odoris intolerandam foeditate: cujus intolerabilis afflatus sulphure male olenti tenebras tetras, magis infestas reddat. Plenus timoris, plenus horroris, locus iste fuerit propter terrificas, et detestabiles figuras in imam putei voraginem, totamque concavitatem detrusorum hominum: quorum lamentis, et ululatus omnia complentur toleratu incredibilia tormenta perferentium. Nullum est enim supplicii genus, quo non torqueantur, qui miserabiliter in puteum caliginosum, male olentem, et ignibus deflagrantem perpetuis dejecti,

deturbatique fuerunt. Nam frigore, fame conficiuntur, et aliis acerbitatibus premuntur, sine modo, sine misericordia, acriter nimium, et vehementer, quos iste puteus, his in tenebris, et caligine jacentes coepit. Haec est species, et quasi quaedam inferorum adumbratio. Nam cum inferorum regio sit infra terram, infinitis locorum spatiis, in tantum plane modum a terra distat, quantum ipsa tellus a caelo, tota crassissimis, et obscurissimis circumfusa tenebris. In his jacet omnis turba sceleratorum, et improborum hominum, qui gravissimis suppliciorum generibus cruciantur, et cruciabuntur post diem extremi iudicii, non animis solum, sed etiam corporibus has acerbitates perferentibus. Sed cum aliis cruciatibus, tum flammis nunquam non deflagrantibus sceleratissimi homines torquebuntur vehementissime. Quarum ignis cruciabit, non absimet tamen: ut sit cruciatus flammarum sempiternus. Quibus accedit intolerabile frigus, quo damnati conficiuntur. Neque ob hanc causam ignis extinguetur, aut quidquam de flammarum magnitudine remittetur: ut his flammis levatione aliquam reperiant. Fames in illis regionibus semper erit, quae nunquam depelletur, sed majorem inferent Daemones. Et quamquam confici, quamquam enecari magnitudine famis videantur, nihil unquam miserrimis hominibus dabitur cibi, nihil quoque potionis ad famem, sitimque depellendam: quin suam Daemones famem explebunt inedia damnatorum, et illorum macie, palloreque horribili. Daemonum turma execranda saturabitur. Adde horribiles Daemonum formas, et execrabiles figuras, singulis momentis dissimiles, et omnes horrificas, obversantes in formam colubri multiplex inflexione in torti, sibilis terrificis, et horrore squamarum obducti, et in similitudinem serpentum immanissimorum: qui inflato collo, tumidis cervicibus, inhiante, et imminente ore, devorare velle videantur condempnatos, et in tergum rejecta cauda, et ad ictus infligendos inteta. Deterrebunt eosdem

dem aliarum formae belluarum, ferarumque deterrimarum, quales olim suis fabulis ad terrorem inferendum, Chimaeas ex capra, leone, serpente conflatas, qualem Pithonem monstruosissimam bestiam, centum capitibus constantem, calamitatem factorum, stragem hominum mentiti poetae fuerunt. Quales idem furias confinxerunt specularices, et vindices scelerum, et flagitiorum; quae agitent, et insectarentur impios, et ita deterrerent taedis ardentibus; ut nunquam eos respirare, nunquam consistere paterentur. Communia erunt visa, quae nos scimus, et audimus, luporum, tigrum, leonum. Semper sibili, semper mugitus, semper rugitus, semper fremitus audietur; et harum improbi belluarum multiplex, horribilique aspectu terrebuntur: quae, quocumque scelerati se convertant, adesse continuo videbuntur, nec punctum temporis a suis oculis abesse. Atque figura formidanda Daemonis in sacris annalibus tot expressa simulachris, nihil augendi causa, nos dicere comprobabit: cujus facies oculis mortalium objecta satis esset, ut metu perterriti repente mortui conciderent. Cujus (ut inquit Beatus Iob) quis unquam indumentum audebit inspicere? quis in os illius medium inferre sese? quis aperire forem, qua vultus immanissimi Draconis, et ora teguntur terrificae? Videamus, quam deformis, ac truculenta sit facies. In circuitu dentes ambit ipsa formido. Corpus factum est in similitudinem scuti, quod totum est conflatum ex squamis spissis, valdeque compressis. Observa sternutamenta ignem accensum spirantia, ardore oculorum, tanquam caelum undique rubens, et ignescens totum primo diluculo. Ex ore faces ille taedarum ardentium furiales evomit. Nares ipsae, tanquam olla, tum, cum ebullire visa est, vapores fumigantes exhalat. Afflatu immanissimo ignes excitantur, et ardentes flammae feruntur in sublime. Ex ore, ex oculis, ex toto corpore ignes flammarum semper ardore deflagrantes Daemonem spirare putatote. Quidquam ne deformius, ac terribilius ad aspectum apparebit? jam vero

nares qua ratione foetidum, et importunum odoré, quem affabunt Inferi, quem nefarii spiritus, quem omnes damnati, qué princeps Inferorum Lucifer, quem omnes furiae tetriorem coeno, luto, deterrimis quibuscunque odoribus exhalabūt, perferre poterūt? Null° erit odor pestilētissim°, quem istius tenebricosae regionis incolae non odorabunt, olfacient sulphur perpetuum, nunquam foeditatem intolerabilem intermittentes. Quae supplicia subibunt aures, cū illae dissonis, et horrēdis clamoribus, luctibus, lamentis, diris execrationibus, detestationibus nefandis, probris et cōtumeliis, maledictis omnibus, strepitu malleorum horrifco fragore concrepantium, tumultu carnificum in damnatorū ora, vultus, et corpora ictus infligentū crudelissimos, magna confusione, perturbationeque perstreptentium satellitum personabunt? Absiduis se execrationibus devovebunt impij, maledicent sibi, suis amicis, fratribus, sororibus, parentibus, et quod cogitare reformidat animus, maledicent Sanctis omnib°, Virgini Mariae, Christo Iesu, sāctissimae Triadi. Non aperient unquam ora sua spurcissima, atque sacrilega, nisi ut in aliquem, in omnes etiam, quos nominavi, maledicta detestabilia conferāt. Hae sunt matutinae precatio- nes hujusce loci, eademque modulationes cantorum infernalium, quibus maledici conviciatores, mēdaces, obrectatores nūquam de bonis, de sanctis nō detrahare perstabūt. Atque gustatus, quoniam prae reliquis sensib° est maxime voluptarius, cibos exquisitos, potusque suaves luet amarissimo gustu, felle ipso semper amariore, nihil unquam percipiens, nisi plenissimum fellis, mille saporibus permixtum amariorib°. Atque haec de corpore, cujus nullae partes vacuae doloribus erunt, nec cruciatibus unquam acerbissimis liberae: quibus adduntur animorū poenae gravissimae. Qui quoniam trib° donis ac muneribus memoriae, voluntatis, et intelligētiae praediti sunt: singuli suis suppliciis afficiētur, gravib°, et exquisitis admodū. Nūquā cogitationē torque-

ri desinent magnitudo, multitudoque suppliciorū, et illā anxīā, et sollicitā habere: ut fodiantibus his cruciatibus, quos graves, et acerbos perfert, non sit in potestate sua ad punctū tēporis animū ab hac cogitatione abducere. Ita dies, et noctes pūget, et fodiet assidua cogitatio poenarū, quas solvit, et sine intermissione pēdet in perpetuū. Quid memoria? quemadmodū poenas a sceleratissimis hominib° repetet, dū illos lacerabit? dū cruentabit amissorū recordatio bonorū cū omni desperatione conjuncta veteris fortunae recuperādae? Recordabūtur miseri delicias, et voluptates praeteritas, opes et fortunas amissas, auribus perceptos cātus, conditiones, et suavitates odorū, gregē famulorū praecūtiū, et cōsequētiū puerorū, familiā, apparatus, lecticas, equos, aedes, dignitatē, et ostentationē pristinā: et cum effluxisse jam omnia recordabūtur, et in luctus, et dolores, in egestatē et inopiam, in aerumnas, et miserias, in poenas, et in cruciatu se convertisse sempiternos meminerint: neque in omnem immortalitatem Dei, qui semper erit, finem statuendum lacrymis, et calamitatibus hujusmodi: majorem, quam intelligere possumus, et plane inconsolabilem dolorem accipient. Mens autem, quoniam longius prospicit, et providet quae futura sunt, quaeque genera bonorum, quam gloriae dignitatem amiserit: miserrimam se, et calamitosam ducit: qua nihil miserius, nihil perditius, nihil foedius esse possit. Majoribus in lacrymis, et squalore jacet: plus doloris ex suis acerbitatibus accipit: quem auget, et graviolem facit plana cognitio calamitosae, perditaeque fortunae, nullū portū, neque perfugiū futurū unquā probe perspiciens in posterū. Et quoniam multa sūt hominū genera perditorū, quib° referatae sūt, et cōplebūtur Inferorū sedes, quib° generatim, et univēse supplicia cōstituta sunt: separatim exponā judiciū vehemēs, ac severū, quod in aliquot exercet justitia divina speciatim. Atque unū est eorū, qui tāquā tardae, et lāguidae pecudes, otio se ac desidiaē dederūt, et hebescere passi fuerūt

suorū aciē ingeniorū, et partes corporis nobiles, ac praestites, quas in Dei cultū, et obsequiū conferre potuissent. Alterū est eorū, qui cū fortuna fuissent florētissima, fuerūt locupletes, avaritia tamē insatiabili. Qui cū agris, cū aedificiis, cū argento, cum familia, cum rebus omnibus ornati, et copiosi fuissent, et possent multū de sumptibus immodicis detrudere, et ad pauperum miserias sublevandas convertere, nunquā tamen pauperum misereri voluerunt. Tertium genus est ostentatione superbū. Quo ex genere princeps est Lucifer, cui homines isti vectigalia pēdebant, qui se suis honoribus, et dignitatibus insolentius jactarunt. Hi dum in honore, et gloria potentes erant, dum vestibus variis, famulis magnis, conviviis apparatus delectabantur, tantos spiritus, et animos tam elatos sumserunt, ut reliquos prae se cōtemserint, et suis opibus, atque divitiis homines tenues, et egentes opprēsserint. Quartum genus est invidorum, et alienis bonis moerentium: quod infestū, et infensum est valde virtuti. Qui semper invidia ardebant, partim invidendo prosperis rebus, partim virtuti bonorum, partim consequutis honoribus, partim laudi, gloriae, commodis omnibus. Qui sic moerebant, sic angebantur ex aliorum magno nomine, ex praeclara opinione, et fama: ut in circulis corrodere, florem infringere virtutis, et nervos incidere, obrectare, detrudere mos fuerit istorum, et in veterata consuetudo. Quintum genus est heluonum intemperantissimorum, qui gaudebant epulis, exstructisque mensis, et frequentibus poculis. Qui cōviviis, prādiis, et coenis, patrimonialia sua obligare, et Baccho, Cererique dies festos agere nunquā intermittebant. Qui dum ventrem voracem, et omnium escarū appetentem, vini gurgitem, et voraginem inexhaustam explerent (sunt tamen nequissimi, et spurcissimi poterant unquā heluones explere), nihil honorum, aut salutem curabāt. Postremū genus est non solum numero plurimorum, verū etiam genere ipso mollissimorum, et delicatissimorū. Quod

pro-

propriū erat Cupidinis, de Veneris delectū, vel potius de complexu illius, et sinu. Quos superstitus pexo capillo, nitidos, aut imberbes, aut barbatos accedere mos erat, et brevioribus palliis, unguentis imbutos, cum cincinnis a fronte capilorum intortis. Quorum omnis vita in amoribus meretricum, in libidinibus explendis, in viis harum mulierularum lustrandis, et obsidendis domibus, cum obeundi copia non daretur, consumebatur. In his gregibus omnes libidinosi, omnes adulteri, omnes impuri, impudicique versantur. Qui omnes praefinitis speciebus suppliciorum generibus gravissimis, et acerbissimis apud Inferos torquebuntur. Ad communes enim damnatorum poenas adduntur haec, quae sequuntur, exquisita, et singularia suppliciorum genera in desides, in avaros, in invidos, in superbos, in libidinosos, acriter statuenda. Nam desides aculeis, et stimulis, acerbis acriter pungentur, et fodientur. Heluones intolerabili fame, siti, et que enecabuntur. Invidi propter magnitudinem dolorum, tanquam in canes rabiosos conversi, rabie agitati latrare, et ululare nunquā desinent. Insolētes, et elati, omni dedecore, et infamia cooperientur. Libidinosi flammis sulphur redolentibus foetidis, et intolerandis ardebunt. In hunc modum diversis afficientur suppliciis administri hujus saeculi, appetentes honorum, qui divitias congeriebāt, qui cultū inusitatos proferebāt, qui prandia, qui coenas immoderatas faciebāt, qui turres inanis gloriae architectabantur, qui moliebantur, qui machinabantur omnia, ut cum praestantia, et excellentia maxima caeteris mortalibus anteirent. Atque haec cum perpessū difficillima sint, sed perferenda necessario, ex cruciatibus assiduis, et moribus, quos conscientia efficit intolerandos, intolerabile supplicium accedet, grave conscientiae pondus, cum impedita, et oppressa mens conscientia, se ipsam nulla ex parte levare poterit, et angore peccatorum, fraudisque cruciatu, dies, noctes, que sollicitudines a Deo supplicii causa videat impertatas. Et

Ooo 3: quia

quia nihil conscientiam in vita, sensus animorum intimos homo curaverat: quia facile quidem auriculari confessione, lacrymis aliquot, detestatione scelerum, venia flagitiorum petita, una veste de tam multis, quae domi suppetebant, uno poculo frigidae pauperibus dato tot poenas, et cruciatus Inferorum aeternos declinare posset: unde fuerit eiectionis, quo prohibitus ingredi, cuius aditus gloriae praecclusus, quorum gaudiis, et societate, cuius aspectu orbat in perpetuum, cum conscientia redigat in memoriam: et haec omnia, quae tam facile comparare posset, quam multi sui status, et fortunae homines fuerint adepti, et quam levibus ille de causis, quae minimis, caelorum immortalitatem amiserit: uno aspectu in mulierculam, una confessione solum, et appetitione mulieris pulcritudinis perfruendae: quibus cruciatibus? quibus aculeis stimuletur, et pungetur animus, conscientia semper intus efficiente morsus acerrimos, et in illum culpam conferente, qui tam animi fuerit oblitus? Cum id, quod conari, et efficere debuerit, id non fecerit, neque contemderit dato loco, personis idoneis, nec opportuno solum tempore, sed etiam multo, ut facile laqueis, quibus constringeretur, se expediret, et illum ad confessionem, ad misericordiam, ad veniam certam, et exploratam, Deo ipso crebris motibus, et ictibus animum percellente, ut in sua manu fuisse confiteatur magnis clamoribus, et ululatibus poenis se Inferorum sempiternis liberari potuisse: quid ager infelix homo? Cogitate igitur dolorem, quem accipiet turba damnatorum ex amissione Dei Optimi ac Maximi. Nam si ex magnitudine rei, quam amiserunt homines, dolor est aestimandus, quae iactura? quae bonorum amissio ad divinum numinis praesentiam, et aspectum amissum comparabitur? Cuius gloria perfruendi causa homines nati sunt, in quem aspirare, et affectare debent, ad quem niti semper atque contendere, in quo decus omne beatorum, ipsorum honos, et immortalis gloria posita est atque consistit. Cuius si perfrui numine, si Deum praesentem habere datum esset parvi du-

cerent cruciatus, et quae subeunt, supplicia, condemnati, ipsis semper addicti triremibus Inferorum. Ex his magnitudinem, et gravitatem dolorum, anxietates et sollicitudines damnatorum iudicatos: dum modo diuturnitatem perpetuitatemque poenarum ex vestris animis non deponatis: quae non ad sexcenta annorum millia permanebunt solum, sed cum omni sunt Dei immortalitate coaequanda: et aliis, et aliis, et innumerabilibus semper effluentibus totidem infinita succedent atque renascuntur saecula. Sic denuo supplicia damnatorum renovari videbuntur, et instaurari: neque ulla dies afferet miseris, et aerumnosis hominibus modum aliquem, finemque patiendi. Nam si isti calamitosi homines spem haberent fore, ut dies ulla post annorum quaecumque millia finem fuisset cruciatus, quos sustinent, allatura perferendi; ea res consolationem aliquam afferret, et levationem tormentorum: sed dolor consolationem non accipiet: cum poenarum magnitudinem nulla saeculorum circumscriptio metiatur.

